

URANIA

AD ILLUSTRIORES
EMPYREI PROCERES

CARMINA


P. F. ANTONII A S. NICOLAO

Carmelitæ Excalceati Neapolitani.

In Te Cantatio mea semper.

Psalm. 70.





NEAPOLI MDCCXII.

Ex Typographia Pauli Severini

Superiorum Licentia.

Prò Conuentu S. Mariæ de Scala Romæ





SANCTISSIMÆ DEIPARÆ
SANCTORUM OMNIUM
REGINÆ







D Tuos provoluta pedes, ò Sanctorum omnium Regina, mea acclinatur Urania; alligata quidem metro, ſed ſolutâ in Deum mente. Si Tui muneris eſt, per aſtra diverſari, quàm libentiſſimè, ad illam tuam

Coronam , quæ duodenis eſt compacta ſideribus circumvolvitur . Se tibi ergò famulam vovet , precaturque ut ſui operis munus, quod non eſt, niſi ſtellarum opificium , benignè excipias . An non Beati Indigetes Aſtra ſunt matutina jugiter Creatorem laudantia ? Hos modò Tibi offert ; non ſecùs ac Roma ſacra , Templum obtulit omnium Sanctorum nomine inſignitum , quod Pantheon ſuperſtitioſa Gentilitas nuncupavit . Si expurgatis vanis Diis, Auguſta Urbs delubrum tibi fecit ſacrum, tamquam Indigetum omnium Induperatrici : pari qua fas eſt reverentiâ in hoc volumine mea Urania ſuam hanc (qualiſcumque eſt) opellam exhibet , in qua debitus collocatus Aris , quilibet reſidet Semideus , & eo ordine digeſtus , quo ſecundum ſacras Ephemeridas illi congruit . Auſa eſt non inficio , Cœlum omne, in terras deducere : verumtamen Te Auſpice fecit ; tuum enim Imperium ſacro Carmini impertiit poteſtatem , ſtatuendi Indigetes ſuper æthera , eoſdemque avocandi in terras cum oportuerit . Quà propter quidquid in illorum perſonat laudem , tuum eſt præconium , quia tuum eſt munus . Sat ſa-

tis

tis Mater amantiſſima, novi, quod per Te meæ Caſtalides, caſtæ fuerunt, & alibi puris undis, Aganippe cucurrerit non ad paphios colles, ſed ad Carmeli verticem. Sint Tibi igitur Sanctorum Genethliaci pergrati, quia tuo ſunt addicti famulatui. Ne diſpliceant encomiorum rivuli, qui à tali fonte proſilierunt, & ad mare tuorum meritorum rurſus excurrunt ut fluant, refluantque, ſecundum exigentiam primordii, & finis. Fas eſt Empyreum Cœlum, tibi pulchriori Cœlo adhærere, mihique perſuadeo, & Sanctis iſtis, nil fore benevolentius: quandoquidem innovando memoriam ſuarum victricium palmarum, denuò Tibi ſiſtere videntur, ſubque tuo labaro, ſpuriorum Deorum expulſionem reſonare, & adeptæ poſſeſſionis gloriam rememorare. Supereſt, ut provolutæ ad tuos divinos pedes Uraniæ, benigniſſima Virgo, benignè annuas, & commendatum libellum lætis oculis aſpicias, ut ſi Tibi ſoli ſervire intendit, tuo ſolùm ſit ſtipatus patrocinio: ſufficienti aliàs, ne aut lethes mergatur in vortices, aut invidarum Poteſtatum dentibus erodetur. Sis mihi demùm cum Sanctis

 his

his omnibus dulcissima Deipara, prospera Patrona, & quorum vectigalem feci Uraniam Ipsorum merear frui consortio beatitudinis, in Patria illa beata, in qua Tu veluti Sanctorum omnium dignissima Regina effulges.

Humillimus Famulus, & Filius
F. Antonius à S. Nicolao Carm. Excalc.

AD LECTOREM.

NE mireris, humanissime Lector, meum calamum, perenniter sacræ poesi addictum: Musæ Virgines sunt, non æquum est illas indignis amoribus irretitas prodere, aut adulterinis nominibus deturpare. Olim (negare nequeo) fatuorum ardorum, tympanistriæ fuerunt Sirenes, nunc amantium querelas deplorabant, nunc Corybantum orgia personabant, nunc pharetram, cæcique Cupidinis tela magnificabant. At posteaquàm veri Numinis agnoverunt veritatem, & Cœli Indigetibus erecta fuerunt templa, aliis numeris sub meliori Auspice aptarunt chordas, itaùt ad Deum, suamque purissimam Genitricem, cantus, & plectra, & se ipsas dedicarint. Si fortassè fuit quispiam, qui adhùc myrteis Veneris sertis coronas Camenarum capitibus, attexere ausus fuit, non spontè Ipsæ ad carmina cucurrerunt; sed violenter trahi questæ sunt: quapropter, corollas illas, earum comis immeritas extemplò discerperunt. Pietatem ergò modò diligunt, & ex vestigio ipsam sequuntur, Religionem veram amant, & inanium Poetarum concentus, anseribus similes prædicant, non candidis Oloribus. Pervolant è contrà ad divinos affectus anhelantes, cumque per sacros Vates ad arcana cœlestia trahuntur, ò quantum disertæ suarum opum pandunt supellectilem, inspirant œstrum! De hoc profectò, fas sit mihi dicere quod sim veridicus testis: nam si ad terrestria, vel profana velim Pierides inclinare: protinus aret cantus, cithara sonum non reddit, & penè lingua mutescit. E' converso, cum ad Deum, ad Deiparam, vel Cœli Indigetes pectinem præparem, lætum mihi fluit ore carmen, diviti venâ prosiliunt numeri. Si res ergò ità se habet, ne mireris, Amice Lector, meæ Uraniæ studium cœlestibus meditationibus hypothecatum: immò gratulare; Nam si omnes Musæ sacræ sunt, Uraniam, quam tibi exhibeo sanctiorem esse decens est, cum sit ipsa ad cœlestia opificia Præposita. Offert illa tibi Museum sacrum,

in

in quo delineatos aspicis, novi & veteris testamenti primates Heroes: Tu cuilibet Ipsorum mentis aciem dirigere poteris, ut ad imitationis studium inciteris. Non sunt me hercle fumosæ Mortuorum imagines, sed viva simulacra, Dei spiritu vividissimè compacta. Præcipuè sunt triumphantiũ Martyrum, jam in Cœlo collocatorum Figuræ, habes tu ex eis exemplaria omnia à quibus virtutum apices addiscere poteris. Placeat demum Sanctorum istorum Cœtum in hac vita, ut tuos venerari Patronos. Hos mihi crede, quos laudare sum conatus, confido habere, in mortis agone propitios: non enim suum Vatem despicere tunc poterunt. Vale, & nomina Fatorum, Fortunæ, Deorum, similiumque vocum protestor esse poesis ornamenta, non veritatis ideas. Præstolare insuper Opusculum aliud, cui nomen: CARMELUS VIVENS. *Spero favente Deo, & Beatissimæ Mariæ Virgini, illud Typis quamprimum committam, quod ne dedigneris deprecor, cum sit compositionibus tàm poeticis, quàm solutæ orationis variegatum. Iterum. Vale.*



Fr.

Fr. Quintinus à S. Carolo Præpositus Generalis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. Eliæ Ordinis B.V.M. de Monte Carmelo, ac ejusdem S. Montis Prior.

CUm Librum, cui titulus: *Urania ad Illustriores Empyrei Proceres, à Rev.P.F. Antonio à S. Nicolao Provinciæ Nostræ Matris Dei Neapolis Sacerdote Professo compositum*, duo Theologi, ex nostris, quibus id commisimus, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, quantum ad Nos attinet, facultatem impertimur, ut Typis mandetur. In quorum fidem præsentes dedimus sigillo nostro munitas, ac propria manu subscriptas. Romæ in Conventu nostro S. Mariæ de Victoria die 1. Februarii 1710.

Fr. Quintinus à S. Carolo
Præpositus Generalis.

Fr. Thomas de Villanova à S. Nicolao Secretarius.



Approbatio, & Censura.

UT tuis obedirem mandatis, Adm.Rev.P.N. perlegi Librum, cui titulus: *Urania ad illustriores Empyrei Proceres, ab Adm.R.P.F. Antonio à S. Nicolao*, Congregationis Italicæ compositum, & ut verum fatear, summâ animi delectatione pervolvi, admiratus Carmelo addita jam esse hoc opere omnia Parnassi oblectamenta, & sacro Eliæ fonti Hyppocrenem. Raró non fœdatæ fluunt aquæ Poetarum, & rariùs auditur Urania, præ cæteris Musis ad æthera tendens; cùm vitio nostro, faciliùs ad profana assumatur lyra, quam ad sacra. Hinc chariùs, & delectabiliùs in hoc opere, Musa apparet, quià sanctius ad cœleste melos defertur,

tur. Laudandus ergò undique eſt carminum ſtylus, candor, energia; ſuper omnia verò laudanda eſt Auctoris pietas, quæ ſemper altiori tono, ad ſublimia citharam tangendo dirigat, Si quid ergò meis ſuffragiis concedendum; cum nihil offenderit, vel minus conſonum Fidei dogmatibus, vel contrà bonam morum inſtitutionem; quin imò cum Sanctorum exemplaria exhibeat ad virtutis ſtimulum omnibus calculis, opus prælo dignum cenſeo.

Fr. Jo: Chriſoſtomus à Jeſu Maria Theol. Lector.



LIbrum inſcriptum: *Urania ad Illuſtriores Empyrei Proceres utriuſque teſtamenti, Authore P.F. Antonio à Sancto Nicolao Carmelita Excalceato Neapolitano*, ex mandato Rev. P.N. Quintini à S.Carolo Præpoſiti Generalis, ut potui accuratè perlegi. In hoc opere, nihil Orthodoxæ Fidei noxium, aut moribus Religioſis diſcordans inveni; immò nihil, quod non inſonet Authoris gloriam. Decoravit olim duplici opere Carmelum, ejus geminam exornando Coronam, nunc ampliora intendens, utriuſque teſtamenti perilluſtrium Virorum admiranda fata, perbellè metro decantans, geminatæ Coronæ, aliam adnectit Coronidem. Quandoquidem, cum exemplis Virtutes fęderans: non minus vivaciſſimum oſtentat ingenium, quam Fideles allicit ad veræ Sapientiæ apicem pertingendum. Quapropter opus S. Eccleſiæ, ac litterariæ Reipublicæ ornamentum cenſeo, quod abſque periculo à quolibet divinæ, humanæque Sapientiæ Studioſo legi poteſt, quinimò non ſine ampliſſimo percurrentis emolumento; Hinc arbitror ut prælo, & æternitati mandetur. Datum Neapoli Menſe Januarii 1710.

Fr. Carolus Philippus à S. Hieronymo
Carmel. Excalc. Sac. Theol. Lector.

Emi-

Eminentissimo Signore.

FR. Antonio di S.Nicolò Carmelitano Scalzo, supplicando espone à V. E. come desidera dare alle Stampe un libro intitolato: *Urania ad Illustriores Empyrei Proceres*. Per tanto supplica V.E. si degni commetterne la revisione à chi li parerà, e l'havrà à gratia, ut Deus,&c.

Rev. P. Bernardus Pisanus Soc. Jesu revideat, & referat.
Neap. 6. Septembris 1709.

Septimius Palutius Vicarius Gen.

D. Petrus Marcus Gyptius Can. Dep.

Eminentissime Domine.

LEgi, ut imperasti Volumen, cui titulus: *Urania ad Illustriores Empyrei Proceres, &c. Ab Adm. Rev. P. Fr. Antonio à S. Nicolao Carmelita Excalceato elucubratum*, nihilque in eo reperi, vel moribus, vel Catholicæ Fidei dissonum, quinimmò Pietatem, Religionem Elegantiam undique spirat, & Uraniam citra febrim, verèque Uraniam, cœlestem scilicet, Authoreque suo dignam exhibeo. Qua de re, nedum luce publica, quin etiam æterna censeo; Si tamen Eminentia Vestra, ità censebit. In Collegio Neapol. Maximo Societatis Jesu die 11. Februarii 1710.

Eminentiæ Vestræ.

Indignissimus, & humillimus Servus
P. Bernardus Pisanus Societatis Jesu
Examinator Synodalis.

Attenta supradicta Relatione Imprimatur.
Neap. 31. Maii 1710.

Septimius Palutius Vic. Gen.

D. Petrus Marcus Gyptius Can. Dep.

Emi-

Eminentissimo Signore.

FR. Antonio di S.Nicolò Carmelitano Scalzo, supplicando espone à V.Em. come desidera dare àlle stampe un Libro intitolato: *Urania ad Illustriores Empyrei Proceres*; Per tanto supplica V.E. si degni commetterne la revisione à chi li parerà, e l'haverà à grazia ut Deus.

R. P. Andreas Mastellonus videat, & referat.

GASCON REG. BISCARDUS REG. GAETA REG. ROSA REG. ARGENTO REG.

Provisum per S.E. Neap. 22. Augusti 1710.

Mastellonus.



Eminentissime Princeps.

VIdi, an Audivi canentem URANIAM? Et Vidi, & Audivi: Utrumque. Vidi, dum E. V. demandante, famelicis nedum percurri, sed perdevoravi oculis, dulcissimum Ad.Rev.Patris Musarum omnium amicissimi ANTONII A S. NICOLAO Carmelitæ Excalceati peramplum Volumen. Audivi dum Codicis suavi lectura, quæ cor elevat, mentem erudit, satiat animum, raptus in Paradisum (quod non in Carmelo novum si Psalte canente, facta est super Eliseum manus Domini & ad futura prævidenda super sidera extulit) audivi arcana verba mortalibus patefacta, dùm Angelorum psallentium concentui, Auctoris dulcisona Carmina jungebantur. Regis terræ jura non lædit Opus, quod EMPYREI PROCERES, Virosque illos laudat gloriosos, quibus qui in Cœlis est Pater, Cœleste Regnum dare complacuit. Ipsum itaque nedum typis, sed ut in perpetuas fulgeat æternitates Sideribus existimo consignandum, si meo huic judicio arrideat sententia E. V. cujus purpuræ fimbriam humiliter deosculor. Ex Carmelo nostro S.Mariæ de Vita die 8. Septembris 1710.

E. V.

Humillimus, & Obsequentissimus Servus
Fr. Andreas Mastellonus Ex-Assistens Gen. Carmelit.

Visa Relatione imprimatur, & in publicatione servetur Reg. Prag.

GASCON REG. GAETA REG. ROSA REG. ARGENTO REG.

Provisum per S.E. Neap. 17. Septemb. 1710.

Mastellonus.


ADAM

A D A M

Protoparens. Ipse sui historiam infœlicem texit. Lib.1. Genesis cap. 1.

C A R M E N.

PRima Damascenus mihi dat natalia pulvis
    Omnipotens rubram sic animavit humum.
Is dedit erectas ad Cœlum tollere frontes,
    Artificisque capax annuit esse genus.
Hei mihi, quod pomi morsu, deceptus ab angue
    Mole meâ cecidi, dùm Deus esse volo!
Supplicium sceleris, Libitinæ præda remansi
    Vertar & in cinerem qui cinis antè fui.



E V A

Viventium prima Mater, fatetur damnum suâ culpâ illatum posteritati; at temperat dolorem prænotione futuræ prolis, scilicet Deiparæ Mariæ attrituræ pedibus caput serpentis deceptoris. Lib. 1. Genesis cap. 3.

C A R M E N.

VIventum sum prima parens; sed spicula mortis
    Per me Viventum postera turba tulit.
Ipsa fui fateor primævæ labis origo
    Audeo dum vetitas mandere dente dapes.
Læserunt quantum seros ea poma nepotes!
    Æternis clausit vectibus Æthra fores.
Fudisti serpens, mellito verba venæno
    Ah me cum Sponso perdidit ille sonus!
Hostis ero tibi, Tu mihi; sed gaudere decendum
    Quod sine vindiciis non tuus astus erit.
Ominor. Adveniet mea stirps Virgoque, Parensque
    Vipereum pedibus conteret illa caput.

A B E L

Justus ob invidiam à Fraterno scelere interimitur. Fuis Is typus Christi; sicut enim innocens stipite est occisus sic ipsa Innocentia in Cruce erit necanda. Lib. 1. Genesis cap. 4.

C A R M E N.

NOn dum truncarat vitalia stamina Cloto:
Cum Tu Fraterni præda furoris abis.
Purpureum primò tunc suxit terra liquorem
Tunc primò in vocis murmura sanguis iit.
Ducebas tonsas per roscida prata capellas
Cùm Te nodoso robore stravit humi.
Cæsaries ostro rubuit, quæ fulserat auro
At roseas pinxit pallida forma genas.
Innocuum Nocuus sub prima crepuscula Mundi
Enecat invidiæ victima Justus obit.
Tu Christi typus es venerandus Abèle, dabitque
Crux illi, stipes quæ tibi fata dedit.

SUPER EADEM MATERIA.

Horret Cain patratum homicidium, nec curat à gladio occidi non posse, cum omnia quæ videt pejora sint morte. Lib. 1. Genes. cap. 4.

C A R M E N.

AH face Tartareâ furiis excitus Averni
Germanæ mortis cur ego causa fui?
Nonne reluctabat sceleri Natura? sed ipsa
Non potuit tantum præpediisse nefas.
Me miserum! Invidiæ tabes, livoris amaror
Blanditiis carnis prævaluere meæ.
Vicinos sentes, roseus super alluit imber
Ex hac cæde rosas ah rubuisse reor.

Antè

Antè quidem flos ille nivis se veste tegebat,
Sed neque vulnificâ cuspide septus erat.
Nunc heù sanguineis oriuntur tela rosetis
Quantùm carpentes apta ferire manus!
Cœlipotens concede mori, me munere ferri
Sævius ex orto me necat ense Rosa.

S E T H

Serus filius Adam, simillimus, facie moribusque Abèli: est geminata lætitia Parentum, & ex suâ progenie orietur Noè, qui humanum genus, suæ arcæ ope servabit. Lib. 1. Genes. c. 4.

C A R M E N.

ADæ Seth pignus salve, Seth Frater Abèlis
Almus amor Matris, sera propago Patris.
Illi quàm similis facie, qui primus in arvis
Germanâ sensit fata cruenta manu!
Frons eadem par relligio connexuit ambos
Nexum si jungas nominis, unus erunt.
Ambigeres an bis Mater genuisset eumdem
Anne unâ binos parturiisset ope?
Non equidem periit pietas insontis Abèli,
Insita sed Fratri venit adulta suo.
Credibile est animam non uno corpore tantam
Contentam, corpus sed petiisse duplum?
Quidquid id est: certè Patrum es geminata voluptas
Et Fratricidæ scis reparare malum.
Quin tua progenies sospes merso orbe natabit
Humanum terris, restituetque genus.

E N O S

Filius Seth. Heros venerabilis, fuit primus qui nomen Dei invocavit, & Tetragrammaton litteris, posteritati mandavit. Genes. lib. 1. cap. 4.

CARMEN.

LAus tibi qui Princeps, ſupero ſed concitus œſtro
Divini nomen Numinis ore vocas.
Te Duce cum terris Cœlum commercia jungit
Ebibit ut melici mellea verba ſoni.
Si tempeſtivâ properat Deus aure rogatus
Extemplò templis ſique precatus adeſt:
Tu Primas nobis exordia tanta recludis
Delebit veniens nec monimenta dies.
Tu tabulis etiam dulciſſima nomina ſcribis
Et mandas calamum pervolitare polos.
An niveus pennam ſuffecit Cycnus arantem?
Non equidem: Cherubim Cœlitis ala dedit.
Dicitis Heroi quæ præmia digna manebunt?
Quod dedit accipiet fœnore penè pari.
Aras impoſuit, nomen tam grande Tonantis
Egit, ſidereum magnificavit Herum:
Aris ipſe etiam ſtatuetur dives honoris
Semideus terris vociferatus Enos.

JARED

Filius Malabeel ſpecimen continentiæ cum eſſet centum, & ſexaginta annorum fuit genitor Enochi viri ſanctiſſimi, quem erudiit optimis præceptis; undè poſtea rapi meruit ab Angelis. Geneſ. lib. 1. cap. 5.

CARMEN.

ASpicis ut Jared duo poſt trigeſima luſtra
Agglomeret collo connubiale jugum!
Rarus amor! ferè tædas adamare jugales.
Eſſe atavus potuit cœpit ut eſſe Pater!
Seriùs at nemo docuit dictamina prolem,
Eſſent quæ Veneris plus odioſa jocis.

Na-

Natus Enoch ſancti pendens ex ore parentis
Edidicit ſolum quærere mente Deum.
Deſertas habitare plagas hinc geſtiit, undè
Spiritus æthereâ ſe recrearet ope.
Inde rapi meruit divulſus cardine terræ
Aligeræ vivens gentis & eſſe comes.
O fœlix Genitor meritus poſt tempora tanta
Cœlicolis ſobolem te generare parem.

E N O C H

Vir perfectiſſimus primus fuit qui ſphæræ cœleſti animum applicuit, hinc numeros ſtellarum, ortus, & obitus membranis depinxit. Geneſ. lib. 1. cap. 5.

C A R M E N.

PRimus Enoch, tabulis Cœli proſcœnia pinxit
Dinumerans ſtellas, indigitanſque polos.
Dudum ſideribus dederat non Navita nomen,
Nec qui frugiferam Cultor arabat humum.
Æthere tunc deerat nomenclatura ferarum,
Non Aries, Piſcis, non erat Urſa duplex.
Hic Pater, aſtrorum caſus dum ſignat & ortus
Qua decet ardentem lampada voce vocat.
Neſcia mens hominum tot Cœlis monſtra locaſſe
Deque meretricum luce repleſſe cyclos:
Hic meliùs Matutinos & Veſperis ortus
Simplicibus verbis, ire, redire notat.
Sancte ſenex, ſtudio fueris cum ſemper Olympi
Votus, & ad ſuperos iveris uſque tholos.
E' terrâ raperis vivens, Jovis arva meaſque,
Empyreum viſas ut propiore loco.
Nos ubi Tu latitas neſcimus: credere fas eſt
Elyſias raptum te coluiſſe plagas.

Aut

Aut alibi, aut illic maneas, fac nofter ut ardor
Sit procul à terrâ, tendat ad axis iter.

ULTIO

Divina in criminofos Gygantes, plus æquo, Veneri indulgentes, quorum ignes aquarum diluvio extinxit. Genef. lib. 1. c. 6.

CARMEN.

ASpicit Omnipotens folium cui fidera fternunt
Quot fint Adamidum crimina fparfa folo.
Indolet: indignas haud Numine concipit iras,
Concutienfque caput talia dicta tonat.
Pœnituit feciffe viros; delebo fed illos
Non avibus parcam, reptilibufque feris.
Perdatur mortale genus: pluvialibus undis:
Inveniat tumulum terreus Orbis aquâ.
Sic ait, & Cœlo nimbos dimittit aperto.
Protinus illuvie naufraga gleba gemit.
Ah quantos glomerat madefactus Aquarius imbres!
Irrumpit toto gurgite fufa Thetis!
Cernuntur rupes, Urbes, Montefque natare,
Cunctaque cæruleo jura fubeffe freto.
Excipe Lamechidis fuper æquora vafta phafelum
Fluctibus infractum, cætera pontus habet.
Sic Deus extinxit nimios Cithereidis ignes
Sic toto tellus crimine lota fuit.

NOE

Luctus in univerfali diluvio. Iridis afpectus fenem confolantis, & fœdus pacis adftruentis, nec non facrificium Lamechidis Deo placens. Genef. lib. 1. cap. 7.

CARMEN.

FLuctivomas inter dum terra laborat abyffos
Incolumis Noe tollitur una ratis,

Hæc

Hæc hominum ſemen ſervans , genus omne ferarum
Tutans , Neptuni nulla baràthra pavet.
Lamechides igitur tantâ de clade ſuperſtes,
Ut jam ſuſpenſas Æthere vidit aquas;
Oceanumque Patrem fluctus ad clauſtra vocaſſe
Nimbiferum pluvias & poſuiſſe Notum.
Sic flens (Armeniis quo montibus appulit Arca)
Navita ceù vitæ vix ſibi compos . Ait.
Cunctipotens Genitor , mihi quid poſt fulmina tanta
Poſt tot fatiferas vivere reſtat aquas?
Quid juvat ulteriùs vitali lumine veſci?
Non meliùs clauſâ fauce , bibiſſe necem?
Quin agè me telo reliquum conſume triſulco
Et ruat in noſtrum flamma coruſca caput.
O' nunc in lacrimas oculi precor ite perennes
Vos pietas gemino mergat utroſque freto.
Vincite vicinum rorantia lumina pontum
Si fas , diluvium congeminate novum.
Sunt ubi frondentes ſaltus ? quò florida terræ
Cæſaries abiït ? eſt ubi ruris honor?
Undè oleæ germen , mihi fida columba tuliſti?
Imbribus immunis nùm fuit orbe locus?
Si nemus eſt aliquod , cui peſtis aquoſa pepercit
Jam non Venantum tela timete feræ.
Ite per intonſas ſilvas vos nulla laceſſunt
Agmina clamantum, retia nulla latent.
Omnia vaſtato ſquallent magalia cultu
Ah ſolus mortis luctus , & horror ovat!
Hæc Senior plorans : cui proxima murmurat unda,
Et reſono queſtu deflua lympha gemit:
Dumque dolet , levibus de nubibus advenit Iris
Nec secùs , ac Cœli nuncia fatur ità.
Parce metu , lacrimiſque Noe , ceſſere pericla,
Numinis irati detonuere minæ.

Me

Me vade non ultrà pluviis Deus ultor in orbem
    Crudescet, pacis pignora certa fero.
Quin nova mellifluì facies lucescet Olympi
    Spendidiore comâ de mare surget Eos.
Quippè renascentis venient cunabula Mundi
    Pulchrius & post tot fata virescet ager.
Eja agè Posteritas meliores inchoet annos
    Te Duce; mox capiat sæcla novata Nepos.
Esto Parens Mundi, terræ monumenta sepultæ
    In lucem produc, da genus, affer Avos.
Argue vel Pirrhæ lapides, vel signa Promethei:
    Undè revixit humus postera Fama sciat,
Nec Thaumante satam, nec me Junonis alumnam
    Astruat, hæc Vatum somnia ficta procul,
Sed fore perpetui doceat me fœderis omen;
    Arcus sub specie multicolore dati.
Hæc Iris, superisque citò se reddidit oris,
    Mulsit ut annosi pectora mesta viri.
Deponit tristes vultus, exiccat hic imbres
    Manantes oculis, omnis amaror abit.
Numine gratatur: Superos instaurat honores
    Sacrificum Domino protinus implet opus.
De volucri mundâ, tenero pecorique, Tonanti
    Offert libamen, quod sacra flamma vorat.
Gratus odor libi, mansitque perennè statutum
    Iris quod paulò dixerat ante Seni.

N O E

Post sacrificium Deo oblatum, agriculturæ se vovet, deque plantatis vineis, succum exprimit, quem summis laudibus coronat, & de quo inebriatur. Genes. lib. 1. cap. 9.

C A R M E N.

POstquam Lamechides flammis holocausta cremarit
    Et jam pacati viderit ora poli.

Illum

Illum non piguit profcindere vomere glebas;
    Et dare maturo femina lecta folo.
Roboreos ftuduit fœtus plantare ligone
    Annua fructiferas ferret ut arbor opes.
Hinc pirus exiliit, viruit ficulnea, pomum
    Floruit, albentes fudit oliva comas.
Vitea præcipuè placuit cultura per omne
    Pubuit, hàc, illàc Bacchica planta latus.
Hæc primùm palo incubuit, conftrictaque loris
    Profiliit verno palmite, gemma ferax.
Indè maritalem illaqueans amplexibus ulmum
    Uberiùs nato prodiit uva botro.
Fortuitò fuccum Senior premit, effluit imber
    Melleus, arenti gratus & ille gulæ.
Quem bibit, & rebibit, donec congefta voluptas
    Replerit liquido vifcera tota favo.
Atque ait ò mea progenies, SEM, JAPHET, ad ufus
    Potandi pofthàc ferviet ifte latex.
Ulterius fontis renuent convivia lymphas
    Has vitis lacrimas præfcia menfa petet.
Hic dulcore fuo, curas expellet amaras
    Corporibus vires, lætitiamque dabit.
Hoc Conviva fatur, voces inflectere cantu
    Gaudebit, choreas & celebrare pede.
Donec fomnifero labens de limine Morpheus
    Lumina nectareo victa fopore riget.
Parva loquor. Veniet tempus fœlicius, in quo
    Aris ponentur vina bibenda facris.
Sed tunc fola meri fpecies; Nam fanguinis hauftus
    Unigenæ Divi vena cruoris erit.
Sic Rex Cœlicolum, liquidâ fub imagine, fefe
    Libandum tanto fictus amore volet.
Ille ter, ille quater grandis, cui Fata Sacerdos
    Annuerint vefci poffe cruore Dei.

Sic dicens, fessos dulcis sopor occupat artus.
Decubuit: somnos attulit alta quies.

S E M

Filius Noe cooperit verenda Patris dormientis, imposito pallio super dorso, ut retrogradus tegeret & non videret nuda virilia. Genes. lib. 1. cap. 9.

C A R M E N.

Quæ Te fama decet, famæ tutela paternæ
Sem? plusquam centum Te canat illa tubis.
Nam puduit nudi Patris pudibunda videre
Qui calidus baccho lumina clausit humi.
Irrisus Chami objurgas, visusque profanos,
Fraterni fugiens criminis esse comes.
Quid facies? stratos artus tua pallia condunt
Retrogradus, tergo pallia nexa tuo.
Sic facies aversa fuit, nec vidit ocellus
Ilia sopiti discooperta patris.
Texisti formose puer, decor alme parentis
Plusquam palliolo membra, pudore genæ.
Te decus at texit, laus vestiit, & fuit Æthra
Illustris tunicæ famigerator honos,

J A P H E T

Frater Sem, simili cogitatu, sequens exemplum Sem Fratris, & abhorrens à Cham contegit nuda parentis soporati. Genes. lib. 1. cap. 9.

C. A R M E N.

Tu quoque Fraternæ comes es pietatis Japhet
Ingenioque pari syrmata sancta paras.
Tu patrii simul ire studes protector honoris
Germani reprobans exitiale scelus.

Non-

Nonne fuere duplæ Cœli tua lumina ſtellæ
    Viſere dum fugiunt nuda verenda Patris?
Argo ſe fecit centenæ lucis Olympus
    Ut non cernentem cerneret ultrò virum.
Pulchrius haud radiis ſe Titan induit illâ
    Qua tu texiſti corpora veſte Noe.
Fama veni, penniſque tuis fac tegmina Japhet
    Induitur pennis qualis alauda ſuis.
Regia ſitque chlamys, quam pluſquam purpura, tingat
    Infundens malis oſtra modeſtus Amor.

DIVINUM CONSILIUM

Adverſus ſuperbos habitatores terræ Sennaar. Molem quam trans nubes attollere audent diſſipat Numen, vocum confuſione: quamobrem turris illa Babelis nomen eſt nacta. Geneſ. lib. 1. *cap.* 11.

CARMEN.

AEriam tollunt magno fundamine turrim
    Cultores Sennar turba ſuperba plagæ.
Intus circuitum, rupes, colleſque receptant
    Ut Cœli tangat culmina molis apex.
Impoſitis creſcit ſaxis ſublime cacumen
    Aſtris vicinas rentur habere manus.
Aſpexit Numen faſtigia gliſcere: riſit
    Inſanum fabricæ luxuriantis opus.
Turgida cœpta jubet, ne ſurgant altius, omnes
    Terrigenum niſus, ludat hebeſque labor
Ambigit an perdat molito fulminis ictu?
    An potius motâ ſub tumulentur humo?
Dentur an Eoliis ludibria congrua ventis?
    An ſolo nutu diſſipet omne nefas?
Poſtremum libuit: confundit murmura vocum;
    Fit diſcors, concors qui fuit antè ſonus.

Nam tunc Hebraicæ ſolum commercia linguæ
Senſerat in terræ cardine quiſquis homo.
Protinus alter Arabs evadit, & alter Acarnar
Meſſagetes alius, Maurus hic, ille Cylix.
Tùm ſubitò cœpère manus languere fabriles
Ignotos Orbi dum ſtupuere ſonos.
Alter ad alterius juſſum, ſe novit ineptum
Non auditurâ quid juvat aure loqui?
Hic dare juſſus aquam, calcem, tignumque paravit
Proque requiſitâ calce refudit aquam.
Cùm clamant, rursùm lapides ſuper alta gerantur
Fertur ad ima lapis qui faliendus erat.
Sæpè moras hauſit monitus properanter abire
Admonituſque moræ, ſollicitavit iter.
Irritus ecce labor, deſiſtunt cœpta, Babèlis
Arx è confuſò nomine, nomen habet.
Deriſit ſic Numen opus, Naturaque vidit
E' linguis aliud proſiliiſſe chaos.

A B R A H Æ

Patriarchæ obedientia cœca, qua Unigenitum Iſaac non dubitat Deo ſacrificare. Verumtamèn impedit Angelus mortem, & promiſſam prolem ſtellarum numerum æquaturam ratificat. Geneſ. lib. 1. cap. 22.

C A R M E N.

QUò tua mens agitur? rapuit cur dextera ferrum
Abram? Num geniti cogitat illa necem?
Quid tamen innocuus moris, Puer aureus Iſac
Demeruit, gladio detur ut eſca tuo?
Non eſt electæ ſpes ille propaginis Auctor
Quæ numero major ſideris axis eat?
Parce ſenex, truncare manu tot ſtamina vitæ
Atque etiam vitæ parcere diſce tuæ.

Poſt

Poſt ſobolis mortem, vives fortaſſe ſuperſtes?
Non equidem: Nato deficiente cades
Ah quò fugit amor? patrio num pectore reſtat
Dilecti cordis cor homicida ſui?
Nil mihi reſpondes? lacrimis das oſtia ſolùm?
Sed lacrimæ quantum pondera vocis habent!
Angeris hinc, illinc, qua tempeſtate, laceſſunt
Bella paternus amor, prælia, Dius Eros.
Sidereus vincit; mortem meditatur acinas
Mens manet Vnigenam prompta litàre Deo.
Jam ruit ad collum æs: aſt Aliger impedit ictum,
Sanguineoque vetat rore madere ſolum.
Vivat ait Natus, vivatque ætate futurâ
Parendi virtus, quæ tibi cœca fuit.
Exeruit luces hæc ad ſpectacula Cœlum
Tot demirantes, ſidera quotquot habet.
Innumerum aſtrorum numerum, proli dabit Axis
Ex quo venturus Conditor axis erit.

L O T H

Monitus ab Angelo, ut ab infami Gomorrhæ regione aufugiat: brevi enim imber igneus eam devorabit. Geneſ. lib. 1. cap. 9.

C A R M E N.

LOth fuge Pentapolim, monet Aliger: Imber ab alto
E' pice compoſitus mox ruet èque face.
Hæc Urbs, poſthabitâ Naturæ lege, chloachæ
Criminis infandi viſitur eſſe locus.
Deſere putentes olido quas ſulphure terras
Divini vindex ira piabit Heri.
Evertetque domos, & agros, fumantia ſtagna
Efficiet, fœdum ſic monitura ſcelus.
Si petis, undè plagas incendia fœtida vaſtent?
Non mergat pontus, terrave mota voret?

Na-

Naturâ luctante cadet Vulcanus in imum
Naturæ adversùm perdat ut igne genus.

UXOR LOTH

Contra Dei mandatum respicit incendium Pentapolis, idcirco moriens evadit salis statua. Genes. lib. 1. cap. 19.

CARMEN.

DEcidit in vetitum mulier, præcepta nec implet
Ultor sidereâ, quæ dedit æde Tonans.
Ille Gomorrhæos vetuit spectare novales
Dum fax, dum sulphur depopulatur agros.
Hæc levitate suâ lumen convertit, & illud
Aspicit, ut supero fumiget igne solùm.
Pœna manet: moritur Domino parere rebellis
Mortuaque in statuam vertitur indè salis.
Insipidas hominum mentes sal condiit illud
Ut sapiant vetito se prohibere malo.

ISMAEL

Puer, in deserto cum Matre meretur auxilium potus ne siti pereat. Genes. lib. 1. cap. 21.

CARMEN.

PArvulus Ismàel, famulâ Nilotide natus
Ex Abraam Domino, progenitore satus.
Extorri cum Matre per arida tesqua vagatur.
Et magnam patitur cum genitrice sitim.
Hinc puer in sabulo cum Matre residit anhèlus
Expectans ævi fata suprema sui.
Astitit at subitò pereuntibus Ales ab Æthrâ
Et dedit ambobus bis miseratus opem.
Quandoquidem fluidos digito dedit indice fontes
Undè fuit vitæ lux reparata duplæ.

Atta-

Attamen Abramides contemplans Alitis ora
Penè prior potu fit redivivus aquæ.
Talis erat vultus ſpecies, fulgorque capilli.
Talis de Phæbi lumine veſtis erat.
Plumea gens Abrahæ ſemper proſperrima Natis!
Huic nunc, Isàco degere deindè dabit.

MELCHISEDECH

Summus Sacerdos, Rex Salem, offert ſacrificium Altiſſimo, panis, & vini, myſticè præfigurans ſacramentum Eucha-riſtiæ futurum in lege gratiæ. Geneſ. lib. 1. cap. 14.

CARMEN.

MElchiſedech Salem Princeps, ſummuſque Sacerdos
Sacrificum Domino cum prece præſtat opus.
Depoſita chlamidis trabeâ, ſceptroque ſequeſtro
Antè aras humilis munera ſacra dicat.
Hæc quàm cara Deo! pluſquam ſi cæſa volucris,
Vel ſi mactatus bos cecidiſſet humi.
Quippè notant Diam Cererem, Diumque Lièum
Cùm Chriſti corpus, ſanguis & alter erit.
Auſpicor: Hæc aferunt Charitis ſub lege, voletque
A' Myſtâ, Numen victima talis edi.
Utque figurato nihil eſt excelſius illo
Sic iſtâ major nulla figura fuit.

SARAI

Uxoris Abrahæ lætitia, pro partu Iſaac, qui interpretatur riſus jam à Deo prænunciatus & in ſpem eximiæ poſteritatis deſtinatus. Geneſ. lib. 1. cap. 21.

CARMEN.

LÆta dies micuit, pario mea gaudia natum
Pollicitiſque ſuis adfuit alma Charis.

Poſt

Post steriles pisces, post arida sidera Capræ
Floriferis venit ver geniale comis.
Ecce novum gigno germen ridentibus agris
Et germen, Matris risus eritque Patris.
Comite purpureis famulæ mea strata rosetis
Mixtaque sint flavis alba ligustra crocis.
Sit locus & choreis: ulnis Lucina parenti
Fer pignus, grates reddat ut ille Deo.
Gratia, Cœlicolum tibi sit Rex: tua novimus esse
Munera, fœcundas dum mihi fundis opes.
Sed Tu crescè Puer, Regi benè votus Olympi
Ut sis promissæ Posteritatis honor.

I S A A C

Patriarcha indeficientibus lacrimis sepelit suũ Patrem Abraã, in speluncâ Mambre de regione Hethéâ. Genes. lib. 1. cap. 25.

C A R M E N.

Quæ mihi funereos lacrimarum suppetat imbres
Najas, ut Patris nupera fata gemam?
Care Pater gelido tandem te marmore condam
Et mihi præ luctu non juvat esse lapis?
Quàm penès hanc urnam vellem lapidescere cautes
Undè duplex tepidi roris abiret aqua.
Me miserum! periit quo non famosior alter
Quo nec amabilior vixit in Orbe Parens.
Inter opes despector opum, despector honorum
Eloquio dignus Numinis usque frui.
Lugete ò Valles ululate cacumina Mambræ
Planctibus ah vestris consociate meum.
Esse prius renuent discordes ignis & humor
Quam potero dulcem non gemuisse Patrem.
Mortuus Ipse licet specubus tumuletur Hethæis.
Semper in Isàci pectore vivus erit.

RE-

REBECCA

Prægnans, gemellæ prolis adhuc utero latitantis, & inter se collidentis incommoda perpetitur, & auguratur meliorem sortem minoris adversus majorem. Genes. lib.1. cap.25.

CARMEN.

Pondere ventris agor, nimios uterusque labores
Perpetitur, geminæ dum gero prolis onus.
Omnipotens Numen si tot peperisse dolores
Debebat fœtus, quod genuisse lucrum?
Hei mihi collidi, certareque visus uterque!
Nec luctæ damnis noxque, diesque caret.
Si non dùm lucem nacti, sic prælia tentant
Ah quid agent vitæ, quandò patebit Eos?
Meque timere facit sic fassa loquela Tonantis
Hostilis pubes, alter, & alter erit.
Quid demiror Abel germano crimine cæsum?
Abdita uisceribus, Fratris & ira furit.
Nostra tamen soboles feret hoc discrimen ab illâ
Major erit victus, victor eritque minor.

JACOB

Patriarca post septennium pastoralis laboris cum non obtineat conjugium amatæ Rachelis, non detrectat onus alterius septennii, dūmodò suæ dilectæ potiatur cōnubio. Genes. lib.1.c.30.

CARMEN.

Ductorem pecoris me septimà respicit æstas
Emensum pariter frigora cana nivis.
Sed non pollicitæ potior Rachelis amore
Ah mea dispersit trans mare vota Notus
Cur das conjugio remoram durissime Laban?
Nescis ingratæ sint quod amore moræ?
Compensas forsan, cum des connubia Liæ?
Allicit haud oculos lippa puella meos.

Tu Rachel, tu mentis amor, tu pectoris ardor,
Tu refrigerium cordis amantis ades.
Et si Fata volent, passos iterare labores
Non ego me curis, servitioque negem.
Sudantem videat rursus me septima messis
Pascentemque pecus septima cernat hyems.
Dummodò jurati non frauder fœdere lecti
Dulce pati veniet, fel, mihi dulcor erit.
At Sol accelera cursus, precor ociùs ito:
Festina gressus tu quoque Luna tuos.
Quà magè veloces eritis, suspiria nostra
Impulsus flabunt quèis properetis iter.

R A C H E L

Fugam arripit à partibus Orientalibus, & de domo Laban Patris sui, & suo viro Jacob associatur, visura Rebeccam suam socrum, in quibus locis suum vult transigere ævum. Genes. lib. 1. cap. 30.

C A R M E N.

FInibus Armeniis, socrum visura Rebeccam
Egreditur Rachel associata viro.
Lœta oculis, festina gradu, subvecta camelo
Frugiferos croceæ linquit Eois agros.
Bis septem annorum, sudore bis empta mariti
Assequitur reducem patria ad arva procum.
Nec curat dare terga plagis, ubi flumine mixto
Euphrates coeunt, cæruleusque Tygris.
Nam laus est illo vitam consumere Cœlo
Quo traxit Proavi prima propago genus.
I roseis decorata genis, i flava capillis
Fœmina, Matutæ tu capis instar iter.
Et Te cum Chanaam possederit Axis avitus
Retrogradum Solem per sua signa, canet.

RU-

RUBEN

Filius Jacob, conatur eruere Fratrem Josephum à manibus Fratrum, quæ rentium animam pueri, propter somnia patefacta, & assequitur, cum Ephæbus Madianitis mercatoribus venum datur. Genes. lib.1. cap. 37.

CARMEN.

PArcite Germani fraternum haurire cruorem
Vociferat Ruben: ne temerate manus.
Est sanguis noster, Josephi sanguis, & insons
Est puer, immeritus Ditis adire plagas.
Quod facinus narrare fuit phantasmata noctis
Dùm somnus molli membra quiete rigat?
Quid sopor est aliud, falsæ nisi mortis imago?
Portabunt veram somnia vana necem?
Et si Fratris adhuc lethi vos tangit orexis
Proiicite in puteum qui modò siccus adest.
Hoc satius, quam velle manus profundere tabo
Sanguineoque virens spargere rore solum.
Sic Ruben, veritus puerum discrimine vitæ
Tollere, postque suo restituisse Patri.
At meliore gradu servarunt Fata puellum
Ismaëlitis venditur ecce viris.
I Joseph, faciunt si Te tua somnia servum
Niliaci Regis somnia, sceptra dabunt.

JACOB PATRIARCA

Nescius, inventi dolosi filiorum, visâ polimitâ veste Joseph, sanguine respersâ luget illum, tamquam à ferâ pessimâ devoratum. Genes. lib.1. cap.37.

CARMEN.

A' Natis missam, sparsamque cruore lacernam
Viderat ut Jacob nescius esse dolos.

Vix tulit aſpectum, væ, væ mihi dixit, amictus
Eſt hic Joſephi (quàm benè noſco) mei.
Heù chlamys eſt geniti, date tegmina nota Parenti
Me non alterius fallit imago pepli.
Tradite relliquias intriſas ſanguine, cari
Pignoris, agnoſco ſerica texta ſatis.
Cerno tuam fera ſæva famem, rabidoſque molares
Nil reor, in noſtrum ſæviit illa genus.
In me Tu Cœlum crudelibus utere fatis
Fac ſubeat ſtygios orba ſenecta lacus.
Bellua me laniet morſu, venterque leenæ
Non ſecus ac Nati ſit quoque tumba Patris.

J O S E P H

Aulicus factus Pharaonis Regis Ægypti à Regina tentatur ad adulterinos concubitus; ille tamen fugiens, & relinquens pallium in manu Dominæ, reliquit exemplum poſteritati cœleſtis caſtimoniæ. Geneſ. lib. 1. cap. 39.

C A R M E N.

ARdet amans viſo Memphitis Principis uxor
Joſepho, cujus floret in ore decor.
Illa tot arcanos in pectore nutricat ignes,
Quot vomit in Cœlum Sicelis Ætna faces.
At ſemel ardentem cordis reſeravit amorem
Et dixit, mecum dulcis Ephæbe cuba.
Nil ægræ voces adoleſcens curat amantis
Et fugit ut viſo territa dama cane.
Agglomerat veſana preces cum ſolus oberrat
Nactaque prætextam talia voce refert.
Non ultrà poteris noſtris obſiſtere votis
Te teneo: à Dominâ non procul ire potes.
Affer opem, ſolare meos Hebræe dolores
Ut redames, ſervum cernis ut ipſa rogem.

Stra-

Strata patent, veniant sitibundæ flumina cervæ
Et Dominam, & famulum mutua lympha beet.
Non tulit ulterius fucato melle venenum.
Vir fugit, inque manus pallia linquit Heræ.
Mira fides! spolium cum deserit ille triumphat
Cum rapit exuvias fœmina, victa jacet.
Contegat illa tuum sindon Regina pudorem
Heù mavult ficti criminis esse notam!

J U D A S

Filius Jacob commendatur ab eo, quod ex suâ tribu, nasci debeat Maria Virgo, paritura Christum, verum Deum & hominem. Genes. lib. 1. cap. 49.

C A R M E N.

JUdaicæ Judas ò Heros stirpis origo
Dignius haud ulli, quam tibi sceptra decent.
Ex nunc auguriis Superum, diademata poscunt
Implicuisse tuas Regis honore comas
Sors tua Germanis melior, genus altius omni
Quandoquidem Matris Virginis Author eris.
Hinc cum mortali Numen se fuderit ore
Esse Dei proavum Fata secunda dabunt.
Est tua siderei laus clarior ignibus Orbis
A' Te si nasci qui tonat Axe, volet.

B E N I A M I N

Ultima proles Jacob prædiligitur à Patre super cæteros filios, ut potè in senectute genitus, & à Fratre Josepho regēte Ægyptū supra ipsos Fratres tenerrimo amore tētus. Genes. lib. 1. c. 45.

C A R M E N.

PRæ reliquis dilectus ades Beniamin Ephæbe
Ut potè qui genitus de genitore sene.

Tu



Tu Patris effœti ſoboles duodena, Canopi
Regna petis, Joſeph obſes, ibique manes.
Sed peregrinus amor Fratris regnantis, in Aula
Germanâ, Dominum te facit indè parem.
Te colit Ægypti pubes, tibi munera defert
Omnis Niliacâ de regione domus.
Fortunate puer, qui quamvis ultimus ortu
Sedibus agnatis ſurgis amore prior.
Temporis annoſi menſis biſſenus ut eſſes
Solamen patriæ cerneris eſſe nivis.
Tu numerum comples duodenæ quippè coronæ
Iſràel tribuum poſſit ut eſſe parens.
Sit cumulus pro te fauſtus, ſis ipſe amethyſtus
Cœli fundamen qui duodenus erat.
Ultima ſtella mices diadematis illius, Æthrâ
Quod micat, & majus vibrat ab axe jubar.
Hinc cum poſtremus venias: ad honoris aviti
Culmen, ades lucis lampade, prima Pharos.

RACHOBETA

Primogenitum ſuum Moyſen, in viminea fiſcina committit aquis Nili, ut aufugiat lictorum manus, occidentium juſſu Pharaonis Hebræorum primogenitos. lib. Exod. cap. 2.

CARMEN.

EDiderat Rachobeta ſuum ſub luminis auras
Fœtum: jam nato pignore Mater erat.
Pœnitet eſſe tamen; Pharii nam juſſa Tyranni
Hebræâ genitos vivere ſtirpe vetant.
Quid faciat? partum committat piſcibus eſcam,
Et noni fructum menſis obire ſinat?
Ah Pharao dicit, quid te crudelius? ecce
Interitu nati plus perit ipſa parens.

Si

Si tamen imperio parere necesse furenti:
　　Infantis curam Tu modò Numen habe.
Excipiat te care puer, de vimine texta
　　Fiscina, sic Nili flumina vade super
Præstet opem fluvius, quam me præstare recusant
　　Fata nimis nostris officiosa malis.
Si Superis stat cura tui, feret amne secundo
　　Fluctus, ne stygii gurgitis æquor ares.
Vel si dispereas non me cernente peribis,
　　Et sic cruda mihi mors erit illa minùs.
Dixerat, expositum Nilo committit, & undas
　　Ex oculis fundens, fluminis auxit aquas.

MERRHIS

Filia Pharaonis Regis, Mosen fluctibus Nili expositum, in suas ulnas excipit, servat, & in filium adoptat. lib. Exod. c. 2.

CARMEN.

CIrcumiens Nilum Pharaonis filia Regis
　　Cartallum fluvio desuper ire videt.
Quæ ratis est inquit ridens, spectate ministræ
　　Affert ò quantas iste phaselus opes!
Sic ludens, propiat portans fiscella puellum
　　Obstupet hæc, Pupi dum notat ore decus!
Ceù geminum sidus, geminus resplendet ocellus
　　Ostra genis rutilant, cœtera lactis erant.
Intuitus figit, Merrhique tenerrima voluit
　　Brachia, vagitu quo valet accit opem.
Commiserans Regina, suas excœpit in ulnas,
　　Et madidos artus tergere dextra studet.
Quisquis es, indè refert (Hebræo sanguine germen
　　Te reor), in fluvio quæ tibi causa mori?
Infœlix Genitrix, cui fas est gignere prolem;
　　Attamen uberibus post aluisse nefas!

Sunt

Sunt hæc juſſa Patris (causas ſciat ille furoris)
Iſacidam naſci qui putat eſſe ſcelus.
Me juvet eſſe piam puero, cui flumina parcunt:
Qui tetigit fluctus, me quoque tangat amor.
Atque utinam tali dignam me pignore matrem
Ætheris egiſſet qui regit aſtra Sator.
Quod Natura negat, pietatis adoptio patret
A' me ceù genitus Tu modò vive puer.
Sis meus, ereptus fluvioque vocabere Moſes
Imperiiſque tuis pareat omnis aqua.
Auſpicium Merrhis manſit; ſi Tethyos arva
Moſi paruerint, æquora rubra ſciunt.

M O Y S E S

Præceptum accipit à Deo ut alloquatur Pharaonem, dimittat ſcilicet populum ſuum, nec ſuam timeat puſillitatem, quia cum ipſò innumera patrabit prodigia. Libr. Exod. cap. 3.

C A R M E N.

I Qui paſcis oves Jethro, Pharaonis ad aulam
Dic Regi, populum mittat ut ille meum.
Sat lacrimas vidi: reſtant deſerta petenda
Gens ubi Sacrificum mox mihi promat opus.
Sic Numen Moyſi: tremit iſte, genuque recurvo
Vix potis eſt faſſo talia ferre Deo.
Nam qui ſum Dominus? Noſtris haud Sceptriger aures
Mandatis flectet: Non ego tantus ero.
Belligeris tantum dextris, & Marte cruento
Agmina dimittet: cætera ſpernet Herus.
Macte animo, tunc Numen ait, Tua virga, manuſque
Non adigent vacuos ponderis ire ſonos.
Diſſolvent elementa tuis ſua fœdera juſſis,
Accipient iterum teque jubente fidem.

Arbi-

Arbiter ut rerum, pones fluvioque, marique
  Leges, seù sisti, currere sivè voles.
Decolor ad nutus properabit in æquora Nilus;
  Et se sanguineis ire stupebit aquis.
Hinc, illinc mons, Oceanus se tollet: arenas
  Calcabit sicco transfuga turba pede.
Denique ceù terræ Rector, dominator Olympi
  Sum Deus ipse tui, Tu Pharaonis eris.

A A R O N

Summus Sacerdos, erectione suæ virgæ punitionem ranarum evocat in terra Ægypti. Lib. Exod. cap. 8.

C A R M E N.

Pontificum Princeps Aaron, super aera, virgam
  Tollit, & ò Terris qualia monstra patrat!
Nuper sanguineos fluviorum currere fluctus
  Egerat, & colubris texerat omne solum:
Nunc ex arcanis terræ penetralibus, agmen
  Ranarum, nasci prodigiale facit.
Prodit ut æstivo bufonum turba sub astro,
  Non expectatis cum ruit imber aquis:
Talis, sed numero major limosa propago
  Surgit, nec cœni, neve paludis eget.
Undique putre genus reperit natalia, sive
  Sit campus sterilis pulvere, sivè ferax.
Exilit uberiùs, fonti Pharaonis in aulâ
  Illic cum mensis regia fulchra tegit.
Fercula magnifico, quæ sunt accomoda luxu
  Obsidet, & penetrat quò minor ipsa fera est:
Quippè ruit, cum bullit olùs, cum fervet ahènus,
  Ingreditur phialas, & calamita meri.
Quid raucum referam sonitum? quàm displicet auri!
  Aspide sed Pharao surdior, extat adhuc.

Vis Here ſcire, ſuâ quid clamet voce, coaxans
Grex? ait: hanc mulctam mittit ab axe Tonans.
Ranaque Rex fies, ſtygiæ benè vota paludi:
Purpureus ſternet cum tibi pontus iter.

NAASSON

Filius Aminadab animat populum Israeliticum, ad patefactum mare rubrum ingrediendum, ſuo exemplo, qui primus bipartito æquori ſe credit. Ex eodem l. cap. 14.

CARMEN.

INcrepuit Comites ſurdum mare Numen, & undæ
Se reſerant, pelagi cernite quanta fides!
Et dubitamus adhuc ſido nos fidere Nereo?
Effugiis noſtris en ſua clauſtra patent!
Suſpendit Neptunus iter, ſuper aera librat
Fluctus, depulsâ jam gravitate leves.
Præbet iter populo, cui terras abſtulit hoſtis:
Muros, hinc glaucum fecit, & indè ſalum.
Nos ità ſecuros criſtallina mœnia claudent.
Aggeribus pluſquam turris ahena forent.
Primus Ego ingredior divortia nupera, rubri
Gurgitis, ad ſciſſum me juvat ire fretum.
Vos Gens freta Deo, ſuccedite: caſtra Tonantis
Diligit ut Cœlum, ſic reverentur aquæ.
Nec pavitare decet gentem, cui Divus ab axe
Olim fulminibus nuncque tridente favet.
Tu paveas Pharao, ſcopulis Rex durior ipſis
In nos, & paveat mox moritura phalanx.
Ille maris medio, furibundas digeret iras,
Et fruſtrà reditum ſorpta quadriga petet.
Ergò qui ſequimur Cœlum, quò mandat eamus
Cumque ſuis reſtet Rex tumulandus equis.

Æquo-

Æquoreâ ludus jactabitur ille sub aulâ
Ibimus in terras Nos, ubi mella pluent.

M A R I A

Soror Moysis, & Aaronis canit Domino epinicium post transitum maris rubri, quod Moyses in gratiarum actionem composuit. Exod. cap. 15.

C A R M E N.

DIcite Jo, Pœan, Regi cantemus Olympi
Cantica, quæ grato suggerat ore Charis;
Tundite lætanti reboantia tympana pugno
Agmina, cœruleis jam dominata viis.
Cornipedes, equitesque simul, Deus æquore mersit
Libera naufragio nulla quadriga manet.
Laus mea Cœlipotens: is, inexpugnabile robur,
Et decus, & nostri nominis una salus.
Confecit tantam, Martis sine munere stragem
Obstetrix palmæ, Doridis unda fuit.
Ceù Dux pugnator Dominus, Pharaona superbum,
Et Pelusiacos sub mare jecit equos.
O' ubi sunt Pharii proceres? ubi lecta juventus?
Ut lapis in fundum delituere maris.
Dextera Cunctipotens posito tua fulmine currus
Perdidit! armatas risit Erithra rotas!
Descendit Divina suis è sedibus ira
Non secus ac stipulam flamma comèdit eos.
Quæ stetit unda fluens, rursus commercia novit,
Mempheos exitio fœdus abyssùs habet.
Dixerat excîtus Pharao furialibus ausis
Persequar: est animus cor penetrare maris.
Nudabo gladium, tingam sabuleta cruore
Prædaeesque manus pabula piscis erunt.

Spiritus at flavit Domini : ſuperadditur ecce
Diſpergens tumidos mota procella ſonos.
Præcipitant inſtar plumbi, redeuntibus undis
Corpora, clamatam non habitura fugam.
Quis ſimilis Domino facienti ſigna ſub axe?
Prodigiis tellus, eſtque repleta Thetis.
Teſtis Edom, validuſque Moab, fortiſque Philiſtim
Omnis ad imperium gens tremefacta ſuum.
Et nunc Niliacas nullo certante, catervas
Faucibus expanſis rubra voravit aqua.
Non ſecùs eveniet deſponſam quærere terram
Turbanti, & pacto nos procul ire ſolo.
Intereà laudum tibi carmina cuncta vovemus:
Donec ſtet tellus, & maris unda fluat.

S A L M A

Naaſſonis filius natus in deſerto, clareſcit ductu populi Israelitici, illuſtratur ab incedio Hiericunthio, Patri ſimilis, (qui primus mare rubrum intravit) Jordanem immotâ mole aquarum ingreditur. Josùe. cap. 3.

C A R M E N.

Quod tibi contigerit, nemoroſas inter eremos
Naſci, dedecoris nil tibi Salma fuit.
Fronduit adveniens tua Fama virore perenni.
Nexa ſtetit ſemper tempore palma tuo.
Quin Fortuna fuit genetricia ſugere fraga
Queis alimenta dabant roſcida mella poli.
An non nutrices habuiſti nectare fœtas
Stellas? pro mammâ non tibi manna fuit?
Ambroſios rores hauſiſti cœlitùs altus
Proh quantos dulcor condidit ore favos!
Macte: tuo populus ductu, regione fruetur.
Promiſsâ, lacte, & melle rigante ſolum.

Nunc

Nunc te quàm Jericho faciunt incendia grandem!
    Te celebrat talem flammea lingua rogi.
Nec tibi magnanimi defecit gloria Patris
    Qui primus rubris eſt dominatus aquis.
Illius imperio Neptuni paruit Aula
    Humenti pandens ex adamante vias.
Par tibi mandanti Jordanis obediit unda
    Auſa minus liquidum non aperire vadum,
Scilicet à Ponto didicit benè cedere Flumen
    Ut Nati virtus æqua Parente foret.

M A N N A

Pluente de Cœlo ad alimentum populi Israelitici in deſerto, multitudo ingrata præfert deſiderio cœpas Ægypti, rori nectareo, continenti omnem ſaporem. Exod. cap. 16.

C A R M E N.

PAlanti victum populo tellure negante
    E' Cœlo nubes nectare plena pluit.
Solvit in ambroſiam ſe ſe liquidiſſimus Æther
    Cum matutinis curribus exit Eos.
Mira fides! quidquid ſapidum eſt, ros continet ille
    Omne quod eſt placitum faucibus, unus habet!
Fit fera, fit volucris, fit piſcis, fructus, & Evan
    Et quidquid vegeti ſeminis hortus alit.
Nauſeat at munus populus cervice rebellis.
    Utque leves ſtomacho murmurat eſſe dapes.
Quis credat? pharias cœpas, maleodora priapi
    Germina, quà mandet, concupit atque petit!
Quam tibi grandis honos Ægyptia cœpa! præis nunc
    Ambroſiam Cœli, poſtea Numen eris!

R A H A B

Meretrix Jericuntbina, meruit ob fidelitatem hospitii exbibitam Ducibus Josüe exploratoribus, incolumitatem suam, suæque consanguinitatis, quando tota Urbs incendio fuit consumpta. Josüe. cap. 2.

C A R M E N.

HOspitibus Tu fida Rahab, tutamina rerum
Sola capis, flammæ perfugiumque meres.
En ubi tota flagrat Jericho, tibi parcere gaudet
Mulciber, à gazâ longius itque tuâ.
Sic tibi retribuit meretrix meritissima Cœlum,
Exoluit pactam cum Ducibusque fidem.
Fœdera connubii nescis; sed fœdera servas
Hospitii, Superis non pretiosa minus.
Vulcani urentis celebrat Te lingua fidelem
Splendescit patriis & tua fama pyris.
Buccina quæ muros prosternit funditùs Urbis
Fit fortunatæ voxque, sonorque Lupæ.

J O S U E'

Ad solos sonitus tubarum operatur ruinam murorum. Jericbo. 15. Josüe. cap. 10.

C A R M E N.

URbs cadis ò Jericho, pessùm tua mœnia vadunt
Et te non aries, nec catapulta quatit.
Buccina septeno sonitu mandante Josüe
Sublimes arces, structaque valla terit.
Non opus hic ferro, non machina milite fœta,
Ut tu præpes eas sat strepitare sonum.
Voce tuâ potis es Tuba, propugnacula saxi
Frangere, quæ saltus vix potuisset humi?

Tem-

Tempus edax ò cede ſono : clangente metallo,
Quod tu dediſcis tanta ruina venit.
Scribantur tabulis veriſſima geſta futuris.
Dentibus ætatis, plus valuiſſe Tubam.
Radantur Vatum deliria, mœnia Thebes
Ad Citharæ melicas orta fuiſſe fides.

J O S U E'

Præcipit Soli, ne occidat antè completam cędem Gabaoniticam, adſtruitque moram hujus occaſus, fore compenſandam acceleratiori ortu cùm Chriſtus reſurget. Josùe. cap. 10.

C A R M E N.

SIſte gradus, lentèque tuos Sol dirige currus
Segniùs Occiduas i periturus aquas.
Reſtat adhuc Gabaonitæ perfectio cædis
Indigeoque tuæ lampadis ipſe face.
Fœdera cum noſtris habeant modò tela diei
Illuſtris pugilum ſicque triumphus eat.
Ah ne nocturnis turbetur gloria victrix
Umbris, ne victis Luna det atra fugam.
Cras Matuta ſuo veniet jucundior ore
Hoſtili pinget ſanguine læta genas.
Et tu damna moræ, reparabis Phœbe; citato
Adventu, Cœli quando reſurget Herus.

C A L E B

Propter perſeverantiam in divino obſequio, meruit videre terràm promiſſam à Deo, fluentem lac, & mel, obtinuitque inſuper populi Hebræi ſummum ſacerdotium. Josùe. cap. 14.

C A R M E N.

FOrtunate Caleb ſelectus viſere terras
Quas minimè Moſes viſere dignus erit.

Fidus

Fidus amor, tua ſpes adiget regione potiri,
    Lac ubi manabit, mel ubi juge fluet.
Deficit adverſis nunquam conſtantia rebus
    Ah non funeſtum frangitur antè malum.
Arguis immeritos queſtus, temeraria vulgi,
    Murmura compeſcis, ſpemque perire negas.
Inde Paleſtinæ deviĉtâ gente, Sacerdos
    Eſſe meres populi, ſceptra regente manu.
Principe Te: tellus, quæ lac quæ mella fluebat
    Sidereo ſcatuit neĉtare, ſcita Deum.

E S R O N

Faſtidiens Pharaonicæ aulæ converſationem, ab illâ ſe abdicat, ſeſeque vovet miniſteriis vitæ ruſticæ; propè Thebaidis oras. Matth. cap. 1.

C A R M E N.

ILle (vides) Esron Pharaonis terga dat Aulæ
    Villicus, & Phariæ Mempheos arva colit!
Thebaidis tellus; ſudores illius hauſit.
    Cùm bove ſolivagus ſollicitaret agros.
Cœlituum ſua vita fuit, dum longior Urbe
    Delicium in cultâ ſola locaret humo.
Candorem maculant magalia nulla beatum
    Nec tuguri fumus fata quieta nigrat.
Innocuas ſenſere manus Ægyptia rura
    Lauriferi novit vomeris ora decus.
Ubertate novâ mox reſpondere novales
    Viſaque fertiliùs luxuriare ſeges.
Vota Colonorum, fruges, culmique præibant
    Idcircò Cereris copia grandis erat.
Tu nihili, Nili ſis Eſron debitor undis
    Incrementa tibi depluit axe Charis.

OTHO.

OTHONIEL

Dux, & Judex populi Israelitici, de Rege Assyriorum, nobilissimum reportat triumphum per quem eorum terra, placidissimâ floruit pace, quadraginta annorum spatio. Judic. cap. 3.

CARMEN.

OThoniel, Syriæ domitor validissime gentis
Te titulus decorat Judicis, atque Ducis.
Ut regis! ut vincis! librat tua læva bilancem,
Sed ferrum toto robore dextra rotat.
Cum Populus duro premeretur compede, nodos
Ense secas, Themidi restituisque thronum.
Defunctam peperit tua mox Victoria pacem,
Bellonæ gremio prosiliitque quies.
Tunc hastam Pallas, tunc jure levavit olivam
Unus, Dux, Judex, munera dupla dedit.

AOD

Filius Gera æquè potens dextrâ, ac sinixtrâ manu, sed fortunatior sinixtrâ; cum hac enim interfecit Eglon Regem Moab, indè cum suis copiis exercitum Moabitarum destruxit, cujus palmâ octoginta annis terra Israel requievit à præliis. Lib. Judicum. cap. 3.

CARMEN.

FOrtis Aod dextrâ, fortis pariterque sinixtrâ;
Promptior ad palmam sed sua læva fuit.
Hacce Moàbitico, vulnus mortemque Tyranno
Infert, nil verito sic potuisse mori.
Hacce gerit labarum veniens è colle propinquo;
Jordanis campos transiliensque vada.
Res fuit una, Moàbiticas vidisse cohortes,
Et totas gladios sacrificasse suo.

Confligens armis, hostes'lævàque lacessens
A' lævâ tonuit, personuitque polus.
Protinus est illi bona sors conversa trumphi
Cui Cœlum tonitru prospera signa tulit.

SAMGAR

Filius Anath percussit de Philistiim sexcentos viros vomere, defendit Israel, & à suo populo magnificatus est. Lib. Judic. c. 3.

CARMEN.

VOmere Paganos Samgar ter percutit hostes
Illo sexcentos cędit & ære viros.
Agricola ò fœlix patrios tutatus honores
Ferro, quo frugum Mater aratur humus.
Quàm melius curvo secuisti dente Philistim
Findere quam terram cum tua cura fuit.
Seminibus jactis, quamvis plausisset Olympus
Plus necibus plausit, quas tua dextra dedit.
Eugè colone, pugil, fecisti sanguine fuso
Fertiliùs campos luxuriare satos.

BARACUS

Dux Israelitarum castrametatus in Monte Tabor divino concitus æstro, spondet sibi victoriam adversus copias innumerabiles Jabini Regis Assyriorum, quarum ductor erat Sisaras, ut evènit. Lib. Judic. cap. 4.

CARMEN.

QUà Thabor Syriis surgit mons inclytus oris
Hebrigenis, tali voce Baràcus ait.
Parcite flebilibus verbis, & tergite tandem
Rorantes oculos: stat propè nostra salus.
Dextra Dei præsens est, Cœlipotensque secundus
Erogat optatam jam miseratus opem.

Agmi-

Agmnina Jabini, populo dominata fideli,
    Nec dudum noſtris exaturata malis.
Nunc, nunc extremis properant obnoxia fatis,
    Et mox ceù paleas parca ſuprema metet.
Dux pugilum Siſaras, trajectus tempore clavo
    Pellicis, in ſomno ſaucia præda cadet.
Dumque ſuper noſtras volitabit palma cohortes
    Victricem Judam plumea Fama canet.
Es Thabor fœlix, hæc ad ſpectacula lectus
    Hic te purpureus quàm benè comit honor!
Scilicet hinc mereas auguſtius eſſe theatrum
    In quo ſit Chriſti glorificanda caro.

B A R A C I

Agmine appropinquante, terror panicus, inveſtit exercitum innumerabilem Aſsyriorum, & inter ipſos fit cædes mutua. Judic. cap. 4.

C A R M E N.

PRotinus Aſsyriis oritur turbatio caſtris
    Vidit ut Iſaici prælia prompta Ducis.
Attonitas ſine mente acies ſuperingruit horror,
    Et ſibi crudeles efficit eſſe timor.
It confuſa cohors in mutua vulnera, ſævit
    In conſanguineas ira cruenta manus.
Erumpunt adytis, & cœco Marte ſodales
    In ſe ſe vertunt, ſpicula, ſcuta, ſudes.
Omnia confundit non obſervabilis error;
    Ad proprias mortes unus at ordo patet.
Hic ferit, ille cadit, peſſundatur alter, & alter
    Unguibus ærati quadrupedantis obit.
Nil eſt conſilii, nil eſt rationis in armis,
    Datque neci certum panicus angor iter.

Intereà validus peragit ſua bella Baràcus
    Fatiferum portans funera complet opus:
Hinc videas ſterni reliquas ſuper arva phalanges,
    Et vacuum ſtragi non ſupereſſe locum.
Falcati currus ah ſtrata cadavera campos
    Abdunt! de ſolo ſanguine terra rubet.
I nunc & populum Chanaæe laceſſe Tonantis?
    Sat rubrum rebar te monuiſſe mare.

J A H E L

Magnæ virtutis fœmina, Siſaram Ducem Sirorum enecat, quem prius lacte medicato ſopiverat, figendo per tempora clavum ferreum. Lib.Judic. cap. 4.

C A R M E N.

Occide fœmineæ, Siſaras data victima dextræ
    Nequidquam fiſus vivere poſſe fugâ.
Eſt Deus. Et meritam tandem Rhamnuſia pœnam
    Exigit: æternum non decet eſſe ſcelus.
Ecce dies ultor. Quatuor poſt luſtra dolorum
    Nunc fas è turpi nos ſoluiſſe jugo.
Evome lac bibitum fere Dux, ſed ſanguine mixtum
    Potaſti dulcem me fabricante necem.
Lac modò ſopitum, ſomno conjungere mortem
    Efficit, atque oculos claudere ſemper agit.
Ne tibi ſit ſomnus dumtaxat, funeris umbra,
    Sed ſit non fictæ mortis, origo ſopor.
Dixit, & in cerebro clavum per tempora figit,
    Et tundens lethi malleus urget iter.
Talis obit Siſaras, revomens cum lacte cruorem
    Occidit ut truncus ter terebratus humo.
Fortunam Iſacidum, clavo firmavit Jàhel.
    Hinc ſtetit in Judæ gloria fixa domo.

DEB-

D E B B O R A

Prophetissa, Soror Baràci canticum canit lætitiæ, post stragem Chananæorum Cœli auxilio inceptam, & mox armis Baraci perfectam. Lib. Judic. cap. 5.

C A R M E N.

AUdite ò Reges, quæ nunc cano carmina, Vates
Debbora, nec laudum plausibus ora vacent.
Stravimus Assyrias fœlici Marte phalanges
Innumerabilibus castra referta viris.
Mentior : Omnipotens immenso robore stravit
Cujus ad aspectum, mons velut unda liquet,
Elègit Dominus nova bella, novosque triumphos.
Auxiliatrices misit ab axe manus.
Aligerûm cunei flammis venère trisulcis,
Fregerunt currus, enecuere Duces.
Confudit trepidas exercitus ille cohortes
Convertit gladios in sua fata Chanan.
Sunt ubi collisi currus, fractæqne quadrigæ :
Cœlorum Regi laus voveatur ibi.
Tu Thabor testis, testes vos flumina Cison
Spectastis tantas quæ stupefacta neces.
Debbora surge, fides apta concentibus, & Tu
Captivos religans compede, surge Barac.
De Cœlo pennuta manus certamina movit,
Et certare eadem res, & ovare fuit.
Te quoque magna Jahel celebrent in sæcula gentes
Fœminei sexus gloria, rarus honor.
Fixisti Sisaram cum clavo, clavus & ille
Ætheris infixit nomina nostra tholis.
Sed melius : sidus clavus fuit ille, quietem
Pollicitum populo lustra per octo Dei.

GE-

GEDEON

Habito signo, velleris sicci in pluvia, & in ariditate madidi, omen habet certum de victoriâ contrà exercitum Madian. Lib. Judic. cap. 7.

CARMEN.

Quid dubitas Authore Deo convertere bellum
 In Madian Gedeon? tela fer, arma cape.
Qui mandata dedit, vires dabit, ille superbos
 Conteret, & nostrum tollet ad astra genus.
Ibimus auspiciis Cœli, data tessera palmæ
 Stat mihi. Mentiri qui regit astra nequit.
Ah quid plura petam? vellus non area siccum
 Protulit è pluviâ quandò madebat humus?
At maduit campis arentibus undique vellus,
 Et de rore suo concha repleta fuit.
Hoc satis ut nostris sistat Victoria castris,
 Utque cruore suo naufragus hostis eat.
Eja triumphales nobis dat lana lacernas.
 In Madiàn pluvias sanguinis illa notat.

FILIA JEPHTE

Obviam ita victori Patri, canensque cum tympano epinicium, intendit, se à Patre sacrificandam, sic enim ipse voverat, cujus voti executioni, non ipsa obluctatur, sed petit ut duorum mensium spatio possit de suo fato queri, & per montes suam deplorare Virginitatem. Lib. Judic. cap. 21.

CARMEN.

Unica Nata, patris gladio dicor, hostia vota
 Obvia victori sum quia facta prior.
Ergò pulsantem me tympana, Ioque canentem
 Impia mors, luctus coget adire plagas?

Quod

Quod reduci ſcelus eſt epinicia ferre Parenti
Illius ut laurus ſit mihi cauſa necis?
Me miſeram! Victor blaſphæmo ſæpè pepercit
Laudantem genitam fata ſuprema petunt!
At ſi Progenitor ne ſis periurus ad aras
Te juvat in noſtrum tela rotare caput.
Fortiter ipſa feram ferrum, flammaſque rogales
Attamen hoc fatum fac prius ipſa gemam.
Per loca montanis gradiar crebrerrima ſaxis
Intuear ſolis cognita luſtra feris.
Sit mihi cum caris fas mortem flere puellis,
Et de Virginei floris amore queri.
Donec perficiat plenum bis Delia cornu,
Et totidem mutilo, compleat orbis iter.
Eſt aliquid tacitis ſuſpiria fundere ſylvis,
Et lacrimis auctas reddere fontis aquas.
Accipite hos igitur nemoroſa cacumina queſtus
Deque meo mȩſtum murmure flumen abi.
Tu querulas repetes voces reſonabilis Echo
Has ego dum promam mox moxitura notas.
Nata triumphali cantans pœana Parenti
Sacrificata Patris concidit icta manu.

SAMSON

Manoe filius, cujus fortitudo crinibus hærebat, interimit leonem, quem occiſum invenit cum favo mellis in ore quo paſtus eſt. Lib. 1. Judic. cap. 14.

CARMEN.

IRruit in validum, validiſſimus ipſe leonem
Manoades Cœli munere, crine potens.
Ora premit catuli rugientis: ſternit arenâ
Illum qui ſylvis fatifer horror erat.

In-

Infremuit fruſtrà, nec ſęvos iuvit in ungues
Surgere, nec rabidas exacuiſſe molas.
Zargìtis dextrâ jacuit laniatus, & armis
Non eguit Samſon, tela fuere manus.
At tibi mors talis ne Rex ſit amara ferarum
Thymnàtis palmâ ſit periiſſe decus.
Ecce tuum rorat dulciſſima mella cadaver
Nectareoſque ſuo nex ſtruit ore favos.

SAMSON

Cum maxilla aſini occidit mille Philiſteos: verumtamen, cum tantæ cędis incaluiſſet labore, & ſitiret; itaut jam deficeret: ab eadem maxilla, aquæ proſilierunt, quarum refrigerio vita Samſonis eſt ſuſtentata. Judic. cap. 15.

CARMEN.

SAmſonis manibus maxilla rudentis aſelli
Fit millęnorum falx homicida virûm.
Illa Philiſtæo fluvios de ſanguine fontes
Ire facit, totum tabe rubere ſolum:
Hæc eadem Domino ſitienti parturit undas
Undè ſuo vitæ munera fundat Hero
Virga tibi Moſis cedat maxilla: cruorem
Elicis hoſtilem, proficis indè latex.
Cum juvat officio mortis ſis robur, & unà
Ne ſit Maonadis vita cremanda liques.

SAMSON.

Dalidæ amore deceptus, & illaqueatus à Philiſtæis hoſtibus tonſus eſt, & excęcatus inſuper molendini miniſterio veluti jumentum deſtinatus, quo in officio cum oculis orbus, in conſpectu inimicorum tripudiaret, amplexus eſt geminas columnas ſuſtentantes templum. Diffregit itaque illas, priſtini roboris compos in qua ruina ipſe cum omnibus Philiſtęis eſt ſepultus. Eib. Judic. cap. 16.

CAR-

C A R M E N.

GEns inimica peri, longo non tempore Samſon
Ante tuos oculos, ludio cæcus erit.
Diffringet geminas nato jam crine columnas
In queis delubri machina fulta manet.
Moxque rotæ votus, genus atteret omne philiſtim,
Quale Molendinum far cereale terit.
Tu cape liba Deus, quæ luminis offeret expers.
Nazarei placitum ſit molitoris opus.
Gratius haud veniet tantâ tibi cæde piaclum.
Hoc Tu placeris, lętus ut ipſe cadam.
Dixerat: excuſſis imo de cardine fulchris
Innumeros homines, una ruina premit.
Ipſe prior ſub mole perit, poſt turba philiſtim
Sub fani ſaxis ſemiſepulta jacet.
Non plures hoſtes Samſon, vivenſque, videnſque
Suſtulit, ut cœcus nunc, obienſque necat.

R U T H

Moabitis colligens modeſtiſſimè ſpicas metenſium in agro Booz, meretur iſtius conjugium. Lib. Ruth. cap. 2.

C A R M E N.

COllige deciduas manibus meſſòris ariſtas,
Relliquias Cereris pulchra puella cape.
Non oculis Dominus torvis, hæc aſpicit: ille
Si petis areolæ tritica ſecta dabit.
Sed tibi delapſas ſatis eſt apprendere ſpicas
Cætera ſtent diti munera ruris Hero.
Hæc tua ſobrietas Ruth qualia dona meretur?
Te capit uxorem, dat ſua cuncta Booz.
Diſcite frugali Mulieres mente lucrari
Hæc ſi quęſiſſet non reperiſſet opes.

F EL-

E L C A N A

Vir Annæ solatur uxorem sterilem, datque illi spem fęcunditatis, ut posteà accidit, pariendo Samuelem. Lib. Sam. cap. 1.

C A R M E N.

ANna quid æternùm lacrimis concedis habenas?
Cur sterilem luges nocte, dieque torum?
Claude precor madidi rivos paulisper ocelli.
Ne nimium cordis sæviat arce dolor.
Non Ego pignoribus denis tibi gratior extem?
Dedecet ah nostro majus amore dari.
Quis scit an ætherea descendat Gratia sede
Teque sinat fructu connubiale frui?
Fœmina quæ superis est nixa favoribus, omnem
Lætitiæ gravidam pectore speret opem.
Uxor erat sterilis Manues, tamen auspice Cœlo
Concępit, tantum parturiitque marem.
Cur tibi non eadem? procul ergò luminis imbres
Post pluvias hyemes ver genitale venit.

ANNÆ CANTICUM.

Offerentis Samuelem Deo, illique gratias agentis de fęcunditate. Lib. Samuel. cap. 2.

C A R M E N.

AD Dominum spes nostra citis se sustulit alis,
Et rediit donis ter cumulata suis.
Audiit Omnipotens humilis pia vota rogantis
Ulterius steriles abnuit esse preces.
Largitur placitam post tot suspiria prolem
Fęcundo dignam matris honore facit.
Non est par Domino Sanctus, non fortior alter
Paret ei tellus, Ætheris aula tremit.

De

De Vobis nolite loqui ſublimia gentes.
Sit cor, ſit pectus, menſque relata Deo.
Robuſtæ languère manus, nil profuit arcus
Militis, at plenus roboris æger iit.
Mortificat Dominus ſontes, truditque ſub Orcum:
Vivificat rectos, & ſuper aſtra locat.
Formidate poli Numen, vos Numinis hoſtes
Fulminibus gravidam ventilat axe manum..
Judicium Mundi faciet, ſuper alta puſillos.
Evehet, elatos ad ſtygis ima trahet.
Hæc ait Anna, vovens Samuelem, corque Tonanti.
Accepit votum, corque voventis Herus.

SAMUEL

Prophæta ungit Saulem in Regem Israelis, datque illi ſalutis monita, ut perpetuò ſervet ſceptrum; ſed Rex à monitis cum defeciſſet in prælio Amalecitarum ſuis ſe interfecit manibus: verum ex diuturnâ mora mortis, infelicior actus, omnis reprobæ animæ evaſit ſpecimen. Lib. Regum cap. 10.

CARMEN.

NE Te Ciſſeides aſinarum cura fatiget
Ad regale decus Fata ſecunda vocant.
Ipſe (jubente Deo) te Palladis unguine tingam
Sic Rex deleto Judice, primus eris.
Tu cape ſceptra, Paleſtinam moderare; ſed æquâ
Sit ſemper dextrâ lance librata Themis.
Si tibi nulla fames auri, gemmæque cupido
Nec ſegetes inopum, nec violabis oves.
Si juſti vindex, præcepta tuebere legum:
Æterno ſtabunt tradita regna throno.
Si tamen æthereis renues parere ſtatutis
Excidet immeritis vota corona comis.

Sic Samuel; Poſtrema ſed evenère Saùli
Heu miſer in barathrum proruit omne mali.
Sævius haud Regi, proprio quo ſe necat enſe
Ille necis lentè gaudet adire gradus.

I S A I

Jeſſeæ ſtirpis origo celebrandus tam propriâ virtute, quam fœlicitate prolis, præcipuè Davidis, natu ultimi, qui fuit victor Gygantis Goliath, Rex Iſraelis, & progenitor Chriſti è lineâ materna. Reg. 1. *cap.* 18.

C A R M E N.

EN Regum radix, Jeſſæi ſanguinis Auctor
Robuſtus dextrâ, conſilioque ſagax.
Dum viridis roſeo pubeſceret ore juventus
Nullus Te citior currit ad arma pugil.
Emeritus. Marti fidiſti pignora trina
Enſe Philiſtęos ter domitura Duces.
Tergeminas Nati tres ſuffecere Parenti
Poſtmodò victrices ad tria bella manus.
Viſus es in triplici confligere corpore ſolus
Alter Gerion, ternus & unus homo.
Bethlæmas magnis ornaſti geſtibus oras,
Nobiliorque tuâ nulla propago fuit.
Qui natu minimus ſtravit de carne Coloſſum
Deque gyganteâ mole trophæa tulit.
Poſt è ſtirpe ſuâ Bethlæmis alter in antris
Surget ovaturus de phlegetonte Puer.

D A V I D

Filius Jeſſe in puerili ætate ſternit Goliath. Gygantem jactu lapidis à funda. Reg. lib. 1. *cap.* 17.

CAR-

C A R M E N.

Rufe puer, ne bella notho committe Gygante;
Qui ferus in fuperos impia verba tonat.
Ille vir eft primâ fuetus certare juventâ
Cernis ut immani longa ftet hafta manu!
Es Tu imberbis adhuc, nullis obnoxius armis
Jeffęas folum pafcere doctus oves.
Æra Philiftæum religant, cuftodit & ipfum
Ferratis ligulis ocrea bina genu.
Te vix funda juvat, vix perâ faxa recondis
Nuper fluminεis eruta faxa vadis.
Quàm timeo, pereas Goliath ne præda furentis!
Ah tibi ne tumulus fit Terebinthus ager!
Quid loquor? In Domini paftor rotat omine fundam,
Incircumcifum cauteque fronte ferit.
Machina tanta ruit, lapidis jactufque pufilli
Offam profternit carnis, & æris Athon!

J O N A T H A S

Filius Saul cum fuo armigero hoftes Phyliftæos diffipat; dulcedine verò loquelæ, Patrem furentem mulcet; undè figurari potuit Leoni, Samfonis manu perempto, in cujus ore inventus eft mellis favus. Reg. lib. 1. *cap.* 14.

C A R M E N.

Saulides armigero folùm comitatus Ephèbo
Hoftiles fuperat Numine flante globos.
Hoc pugnante Philiftæo de fanguine collis
Purpurat, à nimia ftrage madefcit humus.
Idem bacchantes animos mitefcere fævi
Patris agit, talis dulcor ab ore fluit.
Hunc reor expreffit catulus Samfone peremptus.
Robore qui fortis, gutture mella tulit.

Quan-

Quandoquidem bellans præfert insigne leonis,
Cumque Saul mulcet mel rugientis habet.

ABIGAIL

Fœmina prudentissima uxor Nabal viri vecordis, placat Davidem armatum, justè iratum in Nabal, cum dulcedine blandi sermonis.

CARMEN.

Obviat Abigail spiranti funera David,
Et viso cecidit Principe, prona solo.
Mox ait: Innumeris Heros decorate triumphis:
Quid juvat in stolidum tela vovere Nabal?
Ille Nabal, multo semper sordescit Jaccho
Ogygiisque meret petra rigere jugis.
Heù procul, ut tanto tua dextra potita Gygante
Saucia de vili sit rea dicta nece.
At si fixa manet sententia mente, necandi.
Quem mihi consortem Fata dedere virum.
Antè precor nostro figetur pectore ferrum,
Præstet & antè tuos me periisse pedes.
Omnes nos morimur, cuncti dilabimur, instar
Fluminis, æquoreas ingredientis aquas.
Læta cadam, si cęsa cadam Davidis ab armis
Est aliquid tanto Principe fata pati.
Dixerat Abigail: Regis deferbuit ira.
Nectareo talis fluxerat ore lepor.
Discite quid possit mulier, prosansque, gemensque
Ferri durities, & furor omnis hebet.

ABINADAB

Domus facta est receptaculum Arcæ Domini postquam regionem Philistinorum internicionibus, & incendiis vexaverit. Lib. 1. Reg. cap. 7.

CAR-

C A R M E N.

CIrcuitus moderata ſuos vaga Numinis Arca
    Abinadab tandem ſiſtitur antè lares.
Utque foret pacis de Cœlo pronubus arcus
    Lethiferas ceſſit mors jaculare faces.
Non plùs arva flagrant, non fumo prædia fervent,
    Amplius haud bullit quà meat illa ſolum.
Vos Bethſamitæ lacrimas compeſcite: veſter
    Non iterum populus per ſtygis ibit aquas.
In Gabaâ manet arca, novo quaſi fœdere compos
    Ignibus haud ultrà, neve nocere nece.
Abinadab fœlix, hæc læto carmine canta
    Extinxit pluvias arcus; at Arca faces.

O B B E D E M O N

Cunctique ejus penates impleti ſunt benedictionibus, quià boſpitem babuerunt arcam Dei, totaque familia proſperata eſt. Lib. 1. Paralipom. cap. 13.

C A R M E N.

ESt dignata tuis Obbedemon Arca morari
    Sedibus: ò ſecum gaudia quanta vehit!
Deſcendet pleno tumidiſſima gratia nimbo
    Influet omnigenum proſperitatis opus.
Grex tuus innumeris creſcet mox fętibus auctus
    Laniferæ meſſis munera dupla dabit.
Nulla bidens ſterilis, niveique coagula lactis
    Implebunt dulci limina cuncta penu.
Annua ſpiciferis ſaturabitur area culmis
    Vix ſimilas capient, hordea, farra, caſæ.
Manabit Pallas, fluvio flaventis olivæ
    Largifluo Bacchus flumine muſta vomet.

O' Ar-

O' Arcæ virtus! Eadem Pharaöna ſuperbum
Cùm vult deſpoliat, pauperiemque parit.
En modò largitur gazas Obbedemon ædi!
Neſcio num major cum rapit, aut dat opes.

BETHSABEE

Lavans ſe tempore meridiano à Davide conſpicitur, qui ejus forma captus eſt, ut poſtmodum lateret furtum Veneris imperavit homicidium Uriæ fideliſſimi, & ſtrenui Signiferi Reg. lib. 2. cap. 11.

CARMEN.

Bethſabee medium Phœbus dum tranſigit axem
Peluibus impoſitis candida membra lavas.
Aſpicit adverſâ David, qui permeat æde
Confeſtimque tuo captus amore perit.
Te fruitur, mora nulla, ſuo de ſemine fœtum
Concipis, & gravidi ſe patuere ſinus.
Quem non dens Urſi, nec vicerat haſta Gygantis
Nudato vincit lota puella peplo!
Sed mox Ethæi fit Rex homicida Fidelis,
Una quot agglomerat crimina fœda, Venus!
Proh dolor! ad mentem Divini Numinis actus
Ille vir in paphiis ecce crematur aquis!

URIAS

Fideliſſimus, & fortiſſimus Miles poſtergat oblectamina uxoria, ut ad caſtra Joabi tendat. In ſuo reditu ad campum, proditus à Rege, & ſuis commilitonibus in fervore pugnæ derelictus ab hoſtibus interimitur, quam mortem, & fidelitatem luxit poſteà Rex David perpetuis lacrimis. Reg. lib. 1. cap. 11.

CAR-

C A R M E N.

URia Te Veneris non urit teda maritæ;
Bellonæ potius Martia flamma cremat.
Nam non Bethſabeæ teneris amplexibns hæres,
Sed tellure cubas, caſtra Joàbque petis.
In Dominum, qui rarus amor! ter Rege coactus
Vadat ad uxorem, ter negat ire pugil.
Cùm remigras campum medios irrumpis in hoſtes,
Deſertuſque tuis, prodita prędа peris.
Non meruere fides, nec talia præmia virtus.
Patrarunt tantum Cypria furta nefas.
Luxit, at irriguo David tua funera fletu.
David præcepti prodroma cauſa mali.
Oceanum fudit lacrimarum: lavit in illis.
Effuſi maculas vixque cruoris aquis.

TRES FORTISSIMI VIRI

Milites David, irruperunt in caſtra Philiſtinorum, hauſeruntque aquam de ciſterna Bethlem, ut eorum Rex refrigeretur; at noluit David illam bibere, quæ tanto periculoſo diſcrimine ad eum pervenerat. Reg.lib.2.cap.23.

C A R M E N.

AH ſi de Bethlem puteo, mihi lympha daretur:
Sedaret noſtram Najas illa ſitim.
Sic dixit David, ſtans tempore meſſis Odollâ
Cum nimis arderent ariditate labra.
Audivere ſonos tres robuſtiſſima pubes,
Illicò Bethlemas, & petiere vias.
Per medios hoſtes, per martia caſtra Philiſtim
Irrupere, ſuos nil remorante gradus.
Vicit iter durum virtus, tantoque valori
Cuncta pharetrarum tela dedere locum.

G Hau-

Hauſerunt imo frigentem fonte ſcatèbram,
Proque cadis, galeæ tres ſubiere vices.
Hinc qua progreſſi, modò ſunt virtute regreſſi,
Et Regi potus exhibuere ſuos.
Reſpuit at David diſcrimine pocula tanto,
Et vitæ pretio penè coempta trium.
Par Domini, pugilumque decus fuit: abſtinuiſſe
Illius, iſtorum ſuſtinuiſſe fuit.

NATHAN

Prophetâ increpante Davidem de adulterio, & homicidio: pius Rex ad Dominum convertitur, ſuumque facinus maximâ cordis contritione redimit. Reg. lib.2. cap. 12.

CARMEN.

ARguor, & meritò rapti, temerator honoris,
Quàm tua vera manent dicta Propheta Nathan!
Ille Ego multiplicis Dominus ſum dives ovilis;
Pauperis unigenam, ſed populatus ovem.
Immemor ah nimium Charitum, quas Rector Olympi
In me munificâ miſit ab axe manu.
Paſtor eram, Numenque mihi regalia ſceptra
Tradidit, & gazam, quæ fuit antè Saul.
Has ego nunc ſolvo grates? ità noſco favores?
Heù montes faciem nunc operite meam.
Quod ſcelus admiſi, quæ congrua pœna ſequetur?
Regia fœdari tecta cruore, parum eſt.
Eſtque parum uxores violari lumine Solis,
Nec non à genitis talia probra pati.
Eveniat quodcumque malum: non abnuo, tantùm
Me ne projicias Numen ab ore tuo.
Hoc ſi contigerit, gladius, mors, dedecus, Orcus,
Gloria, vita, ſalus, & Paradiſus erunt.

THE-

THECUITIS

Fœmina ſolertiſſima conſiliante Joabo, cum falſis lacrimis impetrat à Davide reditum Abſalomi: gratia tamen iſta, curſu temporis influxit in mortem non immeritam utrique. Reg. lib. 2. cap. 14.

CARMEN.

DAvidicas gemitu Thecuitis temperat iras
 Fucato mulcet regia corda ſono.
Quàm ſapiens verbis! redimit quàm ſupplice vultu
 Abſalomum patrios poſſe videre lares!
Sed melius falſis ſi numquam fleſſet ocellis
 Sceptriferi rabies, nec tepuiſſet Heri.
Forſitan Abſalomum minimè, minimèque Joàbum
 Maƈtaſſet rabidâ mors inopina manu.
Margaritis fiƈtis, emerunt alter, & alter
 Veracem (fato ſic ſtatuente) necem.

ABSALOMI

Mors infœlix perſequentis Patrem. Occiſus eſt enim à Joabo, dum ſuſpenſus inter Cœlum, & terram, fulva ejus coma quercui adhæſerat. Reg. lib. 2. cap. 18.

CARMEN.

AUri ſacra fames, & Regis purpura, quantùm
 Sollicitant animos pulcher Ephebe tuos!
Auſus es in Patris committere bella coronam,
 Ut tua feſtinet ſtringere ſceptra manus.
Te tamen interimit quod nutris crinibus aurum
 Deque cruore tuo purpura ſola venit.

ABISAGA

Sunamitis, omnium pulcherrima Virginum, calefacit artus algentes senis Regis David electâ ejus sponsâ, in quo ministerio non est agnita carnaliter à Rege, alias incenso inter aquas balnei Bethsabeæ. Reg. lib.3. cap.1.

CARMEN.

QUæritur in Solimis Virgo pulcherrima regnis,
Quæ foveat David frigida membra senis.
Per totos legitur Sunamitis Abisaga fines
Hæc est regali vota puella toro.
Algentes artus juvenili sponsa calore
Recreat, attactu molle tepere facit.
Non erat hac roseo mulier speciosior ore,
Sed mansit Domino Virgo marita suo.
Sospite Jessiadi servivit flore pudoris
Servarunt purum lilia verna decus.
Nix teneri femoris, frigus, glaciemque fugabat
At Veneris nullus flammifer æstus erat.
Castus hymen, cælebs Juno, studuere ligustris
Comere sceptrigeri regia strata viri.
Hic tibi solus honor Sunamitis, corpore brumam
Pellere, sed mentis non temerare nives.
Obstupuitque Venus, Regem frigere cubili,
Incendi quando viderat inter aquas.

GAD

Propheta increpat Davidem de vanitate, cum voluerit suum populum enumerare, & divinam mulctam illi prænunciat. Reg. lib.2. cap. 24.

CARMEN.

QUid populũ numeras? quid robur, & arma recenses?
Non est hæc David laus tribuenda tibi.

In-

Incrementa tuæ fas eſt ditionis ab illo
    Noſcere, qui Diâ condidit omne manu.
Sed Te ventoſis inflavit gloria buccis,
    Et tetigit vani murmur honoris iners.
Aliger idcircò deſcriptas peſte catervas
    Atteret, & ſtygios coget adire lacus.
Sordeſcent patulis congeſta cadavera campis
    Omnis ab innumera cęde putreſcet ager.
Nec mirum, majus peperit jactantia funus
    In Cœlis, mundus cum tener eſſet adhuc.
Tertia ſtellarum periit pars, præda gehennæ
    Tunc ſibi plus æquo cum tumefacta placet.

SALOMON

Rex pacificus conſtructor templi Dei, cunctiſque hominibus ſapientior, omnibus etiam fœlicior fuiſſet, ſi amore Mulierum, Idolis non immolaſſet, quæ deſipientia, incertum ſuæ mortis exitum molita eſt. Reg. lib. 3. cap. 1.

CARMEN.

PAcifer en Salomon, placidis metuendus in armis
    Huic pluſquam laurus præſtat oliva decus.
Iſtius auſpicio ſurrexit ad æthera moles,
    Quæ fuit Auguſti Numinis alma domus.
Non illâ majus portentum vidit in orbe
    Sol ſivè exoriens, ſivè obiturus aquis.
Hic cedrus, hic ebur, argentum ſudavit, & aurum
    Comeret ut ſacros per latus omne lares.
Sufficiat, placitos ſibi delegiſſe penates
    Rectorem Superûm qui ſuper axe ſedet.
Idòlis utinam Salomon ſacra thura negaſſet
    Non umquam ſapiens deſipiiſſet Herus.
Forſan & incertâ ſua ſors non eſſet in urna,
    Æternique forent pignora çerta boni.

Nunc

Nunc latet an Sapiens aſtris dominetur, an umbris
Serviat. O' tanti pendula fata Viri!

REGINA SABA

Adit Salomonem mota ab ejus famâ, cumque vidiſſet Regis divitias, & intellexiſſet ejus ſapientiam rumore majorem, illum enixè commendat. Reg. lib. 3. cap. 7.

CARMEN.

INgreditur Solimam, Solimæ viſura Dynaſtam
Inclyta divitiis, imperioque Saba.
Succedit Regis laribus Regina ſuperbis
Obſtupet immenſas, quas alit ædis opes.
Illic theſauros, terræque, mariſque repoſtos
Invenit, & quidquid pulchrius orbe micat.
Neſcit materies an ſit pretioſior arte
An ſuperet gemmas hic operoſa manus.
Quidquid id eſt, majora videt, Salomonis ab ore:
Scilicet auriferos Palladis ire tagos.
Solvit Rex tripodas Sapiens, ænigmata cuncta,
Nec latuit quidquam quod Saba ſcire cupit.
Indè ait ò Famâ major tua geſta canente,
Non tibi ſunt æquæ quas ſonat illa tubæ.
Unus es omnigenæ perventus ad alta Mynervæ
Fortunæ imperio celſior unus eris.

ASA

Rex pius, præcipit deſtrui Deorum fana, lucos excindi, omnem Idololatriæ cultum tumulari, ex hoc ſpem concipit evadendi victorem de Æthyopibus, qui cum exercitu decem centenorum millium, illum invaſerant, de quibus poſteà fidelis Rex illuſtrem obtinuit palmam.

CAR-

CARMEN.

TOllite ſacrilegas, extructas collibus aras
Frangite marmoreos (ſtent ubicumque) Deos.
Ignibus infames ſanctis exurite lucos
Occaſum videant fana profana Baal.
A' noſtris abſint veſtigia tartara regnis,
Relliquias Orci, nimbus, & aura piet.
Sunt ea quis dubitet ſimulacra nequiſſima Ditis
Condita mortali, ſaxa, vel æra manu.
Scilicet os illis, nares, nec lumina deſunt
Non tamen olfaciunt, neve videre queunt.
Noſtrorum Deus ille patrum Sator unicus orbis
Ad ſe libamen, cunctaque templa vocat.
Fac Pater Omnipotens, lemures ut ad Infera truſi
Sic trudam Æthyopos ad nigra regna nigros.

ELIAS

Propheta à nomine, ardore, fulgore, alter Sol: viſus eſt infans per manus Angelorum paſci facibus. Hinc è Cœlo flammas evocat, areſcere facit meſſes, & tandèm curru ignito ſuper aera fertur. Reg. lib. 3. cap. 17.

CARMEN.

EVocat è Cœlo flammas, areſcere campos
Efficit Elias, ſiſtit in orbe famem.
Quid mirum, ſi viſus ali de cœlite prunâ
Eſt puer, Aligerum pabula dante manu?
Quam rectè Sapiens cecinit! Surrexit ut ignis;
Thesbites, ardens illius os & erat.
Nec tantum ad mortes famulatum præbuit ignis
Adfuit & palmis teda miniſtra ſuis.
Quippè triumphali Vates ſuper Æthera curru
Raptus, flammiferis non niſi vadit equis.

Quis

Quis ſplendore tibi par, alter luceat Heros?
Tu ſolus, Solis nomen, habeſque facem.

E L I S E U S

Primum pignus Eliæ Prophetæ, in patrandis prodigiis, ſimillimus parenti, diſſimilis tantùm eſt ſuo magiſtro, quia ipſe filius jam Cœlos eſt introgreſſus, Pater verò Elias poſt finem Mundi obtinebit. Reg. lib. 4. cap. 2.

C A R M E N.

HIc eſt Thesbitis magni primævus Alumnus
Hæres pallioli dum petit ille polos.
Hic rapti geminum genium, meruitque magiſtri
Robur, ut in Cœlo, monſtra patretque ſolo.
Obtigit ambobus portenta faceſſere Divis
Non ſecus, ac unus Spiritus eſſet eis.
Excepit juſſus Jordanidis unda duorum
Ex æquo ſciſſus præbuit amnis iter.
Sic Æther frumenta negat, Cereremque miniſtrat,
Seù fas largiri, tradere ſivè nefas.
Imperium pariter geminorum Parca renòvit
Viveret ut Matri mortuus antè puer.
Iſràel demum currus fuit alter, & alter.
Et ſimul Aurigans, rector uterque rotæ.
Diſſimiles curſu tantùm: properantiùs intrat
Filius, at tanget tardius aſtra Pater.

J E Z A B E L I S

Fatum deplorabile. A' feneſtra projecta moritur à canibus laniata, in media Samariæ viâ. Sola calvaria, & manus fuerunt ſuperſtites. Juſta tamen Dei punitio propter ſua ſcelera. Reg. lib. 4. cap. 9,

CAR-

CARMEN.

JOzabel hæc illa eſt, Samaræ Regina coronæ?
Illa potens formâ, divitiiſque ferax?
Quò roſei vultus, quò lactea colla meàrunt?
Eſt ubi cæſaries aurea? frontis ebur?
Iſtorum nihil eſt. Calvaria ſola ſuperſtes,
Argentique rapax, quæ fuit unca manus;
Cætera frendentes laniarunt membra molòſſi,
Ipſaque ſunt mediis oſſa relicta viis.
Gloria ſic ſolii tranſit; ſic vindice Cœlo
Sera licet, punit probra, ſevera Themis!
Occidis exemplum Regina miſerrima, mulctæ
In terris tandem quam ſceleratus habet.
Latraſti Cœlos contra, rabidiſſima verba;
Mordentes ideò te petiere feræ.
Terra parens, gremio te fugit humare, ſepulchrum
Viſceribus voluit te reperire canum,

PHINEES

Filius Eleazari, Zelotypo legis amore enecat Israelitam, quià contrà legum ſtatuta, rem habuerit cum ſcorto, muliere alienigenâ. Exod. cap. 6.

CARMEN.

OCcide, concubitus vetiti qui fœdus amaſti,
Nec fœdam Venerem linquere ſuaſit amor.
Quid ſi neſcires prohibentia jura? nec eſſe
Jungi alienigenâ cum muliere nefas?
Perfide commixto ſpreviſti corpore leges
Te movit turpis more libido feræ.
Sed morere hic noſtri meritiſſima victima ferri
Sanguine gaudebit ſica madere tuo.
Tu dic dum moreris, chalybis cado, prædaque ſcorti
Enſis poſterius, ſed prius eſca lupæ.

NABOTH

Jezraelita, Jezabelis uxoris Achab crudelitate lapidatus est, & morte innocentis viri, possedit impia Regina vineam quam concupiverat, nec obtinere potuerat. Lib.Reg. cap.21.

CARMEN.

PRoxima regali ſtans Naboth vinea rurî
Influxit inſonti ſontia fata viro.
Ecquando ivvit propiores eſſe Dynaſtis?
Sidus ut infauſtum regia virga nocet.
Illicò lethiferos Naboth deglutiit hauſtus
Parvus ager, proſper qui modò fuerat hero?
Tellus quæ plantas, quæ dulcia poma ferebat
Cauſa necis Domino fertilitate fuit.
Quàm melius, lappas genuiſſet inutile germen,
Aut ſterilis ſpinis exiliiſſet humus!
Non homicida parens (quamvis invita) fuiſſet,
Nec poſſeſſoris morte notata ſui.
Nunc ubi ſeù oleas, ſeù Bacchi munera gignit,
Quæ non culta fovet ſaxea mala parit.
Increpo quid lapides? prædatrix Jezabel ore
Parturit innocuo ſaxea fata Seni.

ELIAS

Quasi Helios, quod græco idiomate Solem sonat, Solis habet ignitum calorem, illius lumen, nec non igneorum equorum moderamen, à quibus raptus in Paradisum Terrestrem est collocatus. Reg. lib.3. cap.2.

CARMEN.

EDitus Elias, rutilus ſurrexit ut ignis
Illius exarſit, linguaque more facis.

Im-

Imperio Cœlum clausit, pluviasque triennes
Finibus à Samaris jussit abire procul.
Cùm voluit vesana fames circumdedit Urbes,
Et mors innumeros est populata viros.
Cùm petiit, Cœlo subitum ruit agmen aquarum;
Et mors exuviis est viduata suis.
Vivum flammiferæ Vatem rapuere quadrigæ;
Et nunc Elysiis deliciatur agris.
An melius cuiquam sunt credita nomina Solis?
Lumem, equos, ignes, omnia solus habet.

E L I S E U S

Alumnus Eliæ, Eliæ dignatus est spiritu duplici: Videndo enim suum Magistrum in aera raptum, confestim prodigia operatur, adeò sublimia, ut penè duplo major sit visus spiritus ejus, spiritu Eliæ. Reg. lib.4. cap.2.

C A R M E N.

Quadrijugis raptum super aera cernit Eliseus
Thesbitem, flammâ concomitante Patrem.
Spiritus extemplò duplex investit Alumnum,
Nec mora quod mirum fecerat, iste facit.
Jam reserat Jordanis aquas, jam flumina sanat
Immisso fonti quà capit orsa sale.
Evocat occultis duplicem de saltibus Ursum
Expers nè mortis, sit puerile probrum.
Impertit pluviæ rores sitientibus arvis,
Victoresque suâ Tres facit esse prece.
Dat sterili pignus Matri, raptumque sub umbras
Suscitat ad vitam, bis sit ut illa parens.
Exturbat syrias Superûm virtute cohortes
Immensas hostis depopulatur opes.
Plura quid enumerem? sunt cuncta minora Prophetâ
Eliæ genius, cui geminatus erat.

E L I E Z E R

Propheta increpat Josaphat Regem, quia fœdus inierit cum Ochosia Rege Idolatra, idcirco portendit ut sua classica contererentur, nec poterunt ire Tharsis uti desiderabat. Paralipomenon. lib.2. cap.18.

C A R M E N.

JOsaphat egisti stultè, cum fędus inisti.
Ochosiâ, Cœli Numinis hoste fero.
Pacta fides, socialis amor, concordia classis
Ah quantùm Domino displicet illa tuo!
Et nunc invitis peragrant tua carbasa stellis
Æquoreas aulas, & vada salsa maris.
Non favor æthereus volitantia lina replebit
Non Charis optatum per mare sternet iter.
Ominor: infestum pelagus carchesia perdet
Cum vomet australes nimbifer Hædus aquas.
Conjurata mari descendet ab axe procella
Sic contrita salo, naufraga vela ruent.
Tale meret fatum, stolidè qui jungitur illi
A' quo Cœliparens, & Salis Author abest.
Heù quondàm tellus palmis te vinxit ovantem
Mox tua ridebit classica fracta Thetis.

E Z E C H I A

Orante ad Dominum mittitur Angelus, adversus exercitum Sennacherib, Regem Assyriorum, & illius virtute hostilium copiarum magna fit clades; ita ut unica nocte centum octoginta quinque millia de perduellibus inimicis per manus Angeli feritoris perierint. Lib.2. Paralipom. cap.32.

C A R M E N.

PErcutit Assyrias immensâ clade phalanges
Missus ab æthereis armiger Ales agris.

Æs

Æs ubi descendit, cœlesti robore rectum
Agmina Sennacherib millia mille cadunt
Non citiùs Lybiæ vanescit pulvis ad Austrum
Ut sunt in nihilum castra reducta Ducis.
Ipsa tot exuvias mors obstupet, undè repente
Funereis spoliis Orcus opimus ovet?
Tu Nox ad tantam reserasti lumina stragem
Quot tibi sunt toto sidera sparsa polo.
Vos nunquam choreas celebrastis lętius astra
Ni quandò Nemesis tanta trophæa tulit.
Hac vice plumigeras letho dedit Alifer alas
Ocius ut stygias mors peragraret aquas.

E Z E C H I Æ

Canticum, & spes ejus in Domino cum ægrotaret.
Lib. 2. Paralip. cap. 32.

C A R M E N.

SIc Ego (dum medii stadium perlaberer ævi)
Infernos igitur sollicitabo fores?
Quæsivi resides lacrimosis imbribus annos
Territus an caream Numine fortè meo?
Hei mihi non hominis vener solamen? & ultrà
Non Dominum videam qui mihi sola quies?
Defecere dies, veluti pastoria sedes
Deficit ad modicas agglomerata moras,
Aut veluti texentis opus, dum cęditur ære
Cùm magis ordiri stamina dextra studet.
Hanc modò quam poto lucem, lux una videtur
Cùm semel ex Ortu Sol it ad interitum.
Auroram meditans venientem, percutit ecce,
Nostraque carnivorus conterit ossa leo.
Accipite ò saltem Cœli clamantis ab ore
Talia, dum superis lumina figo plagis.

Vim

Vim patior nimiam Numen: ſed mentior; A te
Aſpera cum veniant ſunt mihi cara tamen.
Præteritam vitæ ſeriem meditabor acerbæ
Flebo: ſic melli mixtus amaror erit.
Corripe me Cœli Rector, non abnuo virgam
Ibit in ambroſium paſſa cicuta favum.
Me quoties tua cura fuit procul eſſe gehennâ?
Omne meum jacuit poſt tua terga nefas.
Quandoquidem non te Mors, nec laudabit Avernus,
Nec qui præcipites in ſtygis ima ruunt.
Qui vivet poterit magnalia Dia referre,
Ceù Ego tartarei raptus ab ore canis.
Me ſerva Deus: æterno modulaminæ pangam
In lare ſtellato quantus es orbe pius.

MANASSES

Rex Israelis, filius Ezechiæ Regis, ſceleſtiſſimus, in ergaſtulo captivitatis Babylonicæ deflet ſuas noxas, oratque Deum pro venia. Lib. 2. Paralip. cap. 33.

CARMEN.

RErum Opifex Deus, ò ſuperi moderator Olympi
Qui pugno terras claudis aquaſque maris:
Flecte tuas noſtris miſeratus vocibus aures
Contrito fateor dum tibi corde nefas.
Ille Ego ſum ſceleris cuncti, ſentina Manaſſes
Scilicet Eoi veſpera flamma poli.
In lucem veni, uſurus malè fœnore lucis
Concepi Matris viſcere, quodque malum.
Proſiliens alvi latebris, genitricia torſi
Ilia, ceù matri vipera pulla nocet.
At mox tentavi morſu fœdare mamillas
Sic pluſquam lactis, ſanguinis hauſtor eram.

In-

Infans infandus, parvus, pravuſque: nitorem
Candoris nivei tænia ſola tulit.
Cum duodennus eram, ferro jam ferreus ipſe
Auſus ſum patrias fingere ſępè neces.
Sævior in ſolio, Proceres, Civeſque necavi,
Moribus ut levior, ſic gravior populo.
Quæ Pater Ezechias deſtruxit fana refeci;
Stultus at extruxi templa nefanda Diis
Aſtra, feras, lapides, feci mea Numina, paſſus
Dum Tu non eſſes, quidlibet eſſe Deum.
Diſſecui ſocerum ferrato dente Prophetam,
Et natos, facibus pignora ſancta dedi.
Singula quid numerem? collegi crimina ſolus,
Quæ deteſtandis ſparſa fuere viris.
Et nunc Me meritò compes Babylonicus angit
Alligat & Regem ritè catena trucem.
Alliget heù ſemper, non his me denego pœnis
Hoc precor, ut culpis parcere Dive velis.
Tergantur lacrimis commiſſa piacla, cremetque
Quæ maculant animum ſontia cœna, dolor.

MANASSÆ

Proſequitur luctuoſa deprecatio, orando Deum, ut ſit miſericors, nec ipſum velit obliviſci, (quantumvis nomen Manaſſæ ſonet immemor) cujus precibus, quia à pœnitenti corde manabant adfuit Numen benignum reſtituendo illum ſuæ patriæ, & regno. Paralipom. lib. 2. cap. 34.

CARMEN.

ÆQuoris innumeras noſtrum ſuperavit arenas
Crimen, non Cœlos viſere dignus Ego.
Et meritò vinclis curvor, ne ſidera ſpectem
Sæpius à noſtris ſidera læſa malis.

Tu

Tu tamen es patiens Dominus, miſerator, & ultrà
Quam ſim pravus ego, Tu pius, eſque bonus.
Agnovi, fateorque meos Pater alte reatus
Undè juvat toto fidere corde Patri.
Tu non innocuis parcis, rectiſque remittis
Sontibus indulges, flagitiique reis.
Exere vim Diam miſerando exercite, quandò
Mortalis noſcit, probraque luget homo.
Me pietas tangat tua, me de funere ſerva
Aptius eſt ſuperæ, quod bonitatis opus?
Ah precor aſpectus Urbis mihi redde beatæ
In qua regales pœnituere Duces.
Eſto memor, Salomon, David, veterumque Parentum
Qui veniam lacrimis emeruere ſuis.
Congrua ſi dignum mihi dant oblivia nomen
Si immemor ipſe Dei; Tu memor eſto mei.
Fac ubi ſanguineos fudi ſine limite fontes
Illic tot mortes, luminis imbre piem.
In queis deliqui ſpargam ſuſpiria tectis
Sim bona norma meis, qui mala forma fui
Sic ait, & ſuperis gemitus Deus audiit oris
Captivum Solymis reddidit, atque throno.
Rex votum explevit, nemòque diutius Urbe
Regnavit, lacrimans ut foret ipſe diù.

J O S I A S

Rex pius aufert à finibus Israel opprobia Idolorum, & indicit honores templo Dei, munificentiâ, numquam præterito tempore exhibitâ. Paralip. lib. 1. cap. 33.

C A R M E N.

SCulptile marmor adhuc vivit? ſimulacra Deorum
Nec ſunt ultrici jam cinefacta rogo?

O' ge-

O' genus electum, rape ferrum, sume ligonem
I vasta lucos, pollue signa face.
Talia Josias, & ad unum luminis ictum
Ecce Baal imo fana sepulta solo!
Protinus ad Cœli se vertit Numinis aras,
Et Salomonæos, implet honore lares.
Hic melos addictum modulantis Flaminis ore
Hic holocaustorum tota referta domus.
Azima festivis etiam sunt vota diebus
In quibus est largo munere fusa Ceres.
Form osi facies templi, formosior indè
Instauratoris munere, visa sui est.

E Z E C H I A S

Rex Israel pius regnator restaurat templum Salomonis pollutum jam, & semivastatum astu Dæmonum, & furore Gentilium. Lib.2. Paralip. cap.29.

C A R M E N.

AUspice Te, rursus Salomonidis ara vetustos
Induit ut vultus, sic nova dona capit.
Polluti lapides, turpata sacella fuere
O' Rex, ad nutus purificata tuos.
Accepit gremio sordes, & ab ubere cœno
Cedron immundis turbidus ivit aquis.
Æneus at serpens, Dio quoque cultus honore
Fractus abit, fani nec stetit inde lare.
Quidquid paganus furor, aut vastavit Avernus
Restituit veteris Relligionis, amor.
I restaurati templi citò Fama sub umbras
Gaudeat & David, gaudeat & Salomon.

ESDRAS SACERDOS

Reparat Jerusalem totam quasi Idololatrarum sacrilegiis pollutam. Reædificat turres, instaurat mœnia, templumque in Numinis honorem erigit. Esdræ. lib. 4. cap. 1.

CARMEN.

ITe bonis avibus, genus hùc accersite Judæ
Isacii procerès, cara propago Deo.
Est opus ut surgant arces, fastigia crescant
Quam decet ut templi sit reparatus apex!
His animat populos Esdras, Populique, fabriles
Attollunt moles, tecta, focosque struunt.
Pars renovat muros, pars æquat strata viarum
Erigit hic turres, elevat ille lares.
Incumbunt omnes nisis majoribus, Aræ
Cœlicolum Domini, quæ penetrale foret.
Auspice sic Esdrâ, Solima Urbs speciosa refulsit
Numinis ut fuerit nomen adepta domi.

JOATHAM

Rex, quia fecit, quod rectum erat coram Domino, magnificatum est nomen ejus, & retributa fidelitas, cum victoriis, & divitiis. Paralip. lib. 2. cap. 27.

CARMEN.

AUriferis Joatham vitulis quia thura negavit
Sprevit & argenti sacrificare Diis:
Illius excelsum volitavit ad æthera nomen,
Et clarum Dominus fecit utroque polo.
Ammon bis domuit, genus indelebile bello
Tunc sua divitiis arca repleta fuit.
Auri Rex victus dedit, argentique talenta
Misit triticeos, at sine fine coros.

Hæc

Hæc Juſto terris dat congrua præmia Numen:
At majora polo poſt ſua fata, dabit.
Argentum Lunæ, Solis concedet, & aurum;
Ut pedibus calcet, dum ſuper aſtra volat.

ZOROBABEL

Inſtaurat mœnia Jeruſalem, & templum Dei reædificat; quod ex gentium furore fuerat deturpatum. Esdræ lib. 1. cap. 2.

CARMEN.

LAus tua Zorobabel fuit inſtaurare penates,
Et Cœli Domino reſtituiſſe lares.
Invida gens quantum niſa eſt evertere molem!
Ah quoties ſtuduit ſternere templa ſolo!
Sed nequiit pagana manus, Cirique ſatelles
Cœlitus accitas proſtituiſſe domos.
Quæ vis adverſus Regem, cui ſidera parent?
Omnia conſilio, ſtantque, caduntque ſuo.
Illa Babel cecidit turris celſiſſima: Tecta
Hæc Solimæ ſurgunt cardine firma Dei.

TOBIAS

Pater obcæcatus à ſtercore hyrundinis plorat ſuam orbitatem. Lib. Tobiæ. cap. 2.

CARMEN.

LUminis heù nunquam non plorem lumen ademptum,
Quod nidos fabricans ſtercore læſit avis?
Undè mihi Deus omnipotens tam flebile fatum?
Orbis propitius non Ego luce fui?
Scis ſi defunctos impranſus tergore vexi
Conderet exanimes ut mea dextra viros.
Cur mea nunc pietas tenebrarum præmia portat?
Neve juvat rerum poſſe colore frui?

 Phębe,

Phębe, Sororque vale, non vos pupilla videbit
    Nec quidquid pulchri Dædala terra parit.
Ad ſolas lacrimas, clauſi referentur ocelli;
    Nam mea nox, luctus non niſi fundit aquas.
Tu quæ læſiſti, ſis flentis hirundo magiſtra,
    Utque gemis ſemper, ſemper & ipſe gemam.

T O B I A S

Filius, fretus tutela Angeli Raphaelis, piſcem minantem mortem in fluvio Tigri, manibus capit, illum exenterat, intenditque ab Angelo ſub nomine Azariæ cor avulſum à piſce, & carbonibus aſſum, fumo potens eſſe ad effugandum Dæmonem Aſmodeum ut evenit in Sara ejus uxore taliter liberatâ. Lib. Tobiæ cap. 6.

C A R M E N.

CAre comes pereo, properat de Tygride piſcis
    Anxius ad noſtram quàm volat ille necem!
Aſpicis os aperit! quanta eſt frendentis abyſſus!
    Me vivum immani condere ventre petit.
Quid faciam bone Dux? me ſerva fide ſodalis
    Affer opem, prohibe piſcis ut eſca vorer.
Junior hæc Tobas dixit, Raphaelque ſalutis
    Auſpex, ſemianimi talia dicta dedit.
Parce metu, ne verte gradum, non ſquamiger ille
    Dentibus aut caudâ triſta fata feret.
Quin potius Tu prende manu, fluvialibus undis.
    Extrahe, mox cultro viſcera pande foras.
Fel jecur, & tecum ſerves præcordia: morbis
    O' quantum rabidis illa medela forent.
Paruit his Juvenis: piſcis moriturus arenâ
    Palpitat, à puero dilaniatus obit.
Si petis avulſum quid cor deſerviat? Aſſum
    Expellit fumo, Dæmonis omne genus.

I nunc

I nunc Asmodèe, tuo bellare Deoque
    Te piscis fumus, vertere terga facit.

S A R A

Uxor Tobiæ junioris, virtute fumi ex assato pisce, liberatur à tyrannide Dæmonis, nec ulterius suus vir necatur, ut acciderat septem anteactis viris: talis tamen virtus plus tribui debuit ingenuitati conjugum quam fumo piscis. Tob. cap. 8.

C A R M E N.

Gratia Cœlitibus: stygiis sum libera nodis
    Conjugii vinclo nobiliore ligor.
Hoc fecit piscis fumus carbonibus assi.
    Expulit ah tenuis Tartara monstra vapor!
I pete desertum septenâ cæde procorum
    Sanguinolente Geni, vinctus ibique mane.
Sed potius Cœli, quam fumi credo potestas
    Tenariam pestem fecit abire procul.
Quippè favent Superi, cui sunt connubia curæ
    Ne Veneris nocuæ sola libido trahat.
Sed magis ut caræ lætetur munere prolis,
    Et faciat stabiles posteritate lares.
Sic Ego non unquam paphiis sum torribus usta,
    Et modò me stringit lege statutus, hymen.
Hoc Tobæ contingit idem: non ergò necator
    Inde fores Dæmon, si negat arma Venus.

J U D I T H

Deponens viduiles vestes, accipit nuptiales, suàque specie incendit Holofernem Ducem Assyriorum ad sui amorem, indè divino impulsu, dum ille ebrius dormit, ferro caput amputat, suamque Bethuliam liberat. Lib. Judith. cap. 13.

CAR.

CARMEN.

QUæ tibi laus parilis, mulierum gloria Judith?
Æquos ad meritum non habet Ascra sonos.
Tu Solimæ præcelsus honor, Tu fama perennis
Isaciæ gentis, Bethuliæque salus.
Retibus ut capitur volucris, ceù piscis ab hamo,
Ut fatum in dulci gustat uterque cibo.
Sic tua forma trahit malè cauti cor Holofernis
Fœmineo pasti mortis in ore dapes.
En ubi Tu viduas deponis corpore vestes
Induerisque mitram, sandaliumque rapis.
Uritur immenso Syrii Dux agminis igne
Hærent lacteolo lumina capta pedi.
Et si tela jacit talus, terebratque cothurnus:
Utraque quam mortem non geret ense manus?

EADEM

Triduò deprecata Deum, dum ad epulas trahitur, noctis tempore, Holofernem ebrietate, & somno correptum interficit. Ejus caput abscissum, muris Bethuliæ affigit, ad cujus intuitum totus Assyriorum exercitus turbatur, in fugam vertitur, & inter viarum angustias trucidatur. Judith. cap. 12.

CARMEN.

EXorat Numen post tres, & Juditha luces
Conscia nocturnas fundit ad astra preces.
Post ubi quarta redit roseo Pallantias ore
Ducitur ad Sirum jussa puella Ducem.
Bellica gens gaudet positis accumbere mensis.
Principis immenso nectare corda natant.
Ebrius in fulchris Holofernes membra soporat,
Sed vigilat Judith, findat ut ense gulam.

Asse-

Affequitur. Ferrum vibrat, cadit impia cervix
Gemmeus alluitur ſanguinis imbre torus.
Freta Deo mulier, per ſaltus tendit ad Urbem
Bethuliæ, truncum figit in arce caput.
Hoc viſo, ceù ſectus apex, foret ille Meduſæ.
Obriguere quaſi, territa corda Syrûm.
Sed tu Nobilior Pallas fortiſſima Judith.
Deſpicis in lapides ire repente viros.
Oceano mavis immergi ſanguinis hoſtes
Ut ſic plus haſtâ, quam ægide clara mices.

E S T H E R

Regina, conjux dilectiſſima Aſſueri Regis Perſarum, ſuâ eleganti ſpecie, & nectareis verbis, flagitat ſalutem populi Judaici, & obtinet, converſo edicto mortis, in hoſtes. Lib. Eſther. cap. 5.

C A R M E N.

ESthera Memnonii conjux dilecta Dynaſtæ
In Te par ſplendet cum pietate decor.
Oris honore, trahis totos tibi Regis amores,
Nec minùs Iſaciæ gentis es alma ſalus.
Impavidum mavis caput objectare macheræ
Quam Mardòchæi non memor eſſe Patris.
Horrificum mulces Dominum: Te quippè precante
In vitæ occurſus omina mortis eunt.
Si facis hoc Mulier formæ fulgoribus; ergò
Heſperus hoſtibus es, Poſphorus eſque tuis.

E A D E M

Impetratâ ſalute ſuo populo, urget Aſſuerum, ut Amànum ulciſcatur authorem meditatæ ſtragis, & illicò Rex jubet Amànum ſuſpendi in cruce quadraginta cubitorum, quam Mardochæo præparaverat. Eſther. cap. 8.

CAR-

CARMEN.

ISacìas vetitura neces adit Esthera Regem
Postergans ævi cædua fata sui.
Non Venus Occiduo surgit formosior axe
Non Sol æquoreo cum lavat amne comas.
Ut Regina venit, roseo spectabilis ore
Cui comes ambrosiæ gratia plena favo.
Ingreditur, Dominique genu se sternit ad imum,
Et populi vitam flagitat, atque suam.
Obstupet Assuerus. Quis ait Te cædet, & unà
Reginæ viduum me cecidisse volet?
Ah Macedo non fidus Aman! gens hostica Persis!
Tu sceleris tanti non reus esse nequis.
Hæc tibi grata fides! regni quasi cessa potestas!
His vicibus tanti pensus honoris apex?
Imperii sociam, thalamique, necare petebas
Hoc ictu nescis posse perire duos?
Vivis adhuc? Mea turba, cruci configite Sævum,
Criminis undè sui præmia digna luat.
Dixit: Quadrifido suspenditur illicò ligno,
Qui Mardochæo voverat illud. Amàn.
Trabs quadrageni cubitus lætata figurâ est.
Sublimis pœnæ celsa ministra fuit.

EADEM

Aman prius efferus, & minax indè tumens quià additus convivio Regis, & Reginæ, ultimò infœlix hauriendo sententiam suæ mortis, quæ completa est in cruce altissima quadraginta cubitorum. Lib. Esther. cap. 7.

CARMEN.

BArbarus ille Cyclops Amàn, sævissimus hostis
Hebrigenum, quantas evomit ore minas!

Post

Post ubi Reginæ studio, regalibus escis
    Dignatur mensæ tertius esse comes:
Quo fastu sua corda tument! jam vertice sidus
    Pulsat! jam Soli se putat esse parem!
Cœlicolum retur, superis accumbere cenis
    Indigetem, toto nectaris imbre frui.
Sed mox est rerum facies mutata; repentè
    Pallidus Esthèris volvitur antè pedes.
Exorat vitam supplex, fatale tremiscit
    Fulmen ab Assueri quod videt ore jaci.
Irrita vox. Illum stipes altissimus ambit
    Expandens summæ brachia tota crucis.
Disce superbe mori super aera, fulgura mortis
    Quà citiùs pereas, proximiora cape.

MARDOCHEUS

Hebræus, Vir fidelis, invidiâ Amani, incognitus in aula Assueri: mox agnitus, & præmiis dignatus primos bonores in Regia assequitur, quandò Amànus in cruce suspensus suæ superbiæ retributionem est adeptus. Esther. cap.16.

CARMEN.

MArdochæe, decus, Solimeæ vitaque gentis
    Major in Assueri Te lare comit honos.
Antè fores Regis nuper despectior ibas
    Haud nactus fidei præmia digna tuæ;
Sed mox Regis equo vectus, fastigia prima
    Aulæ consequeris, Principis instar ovas.
Invidiæ stimulis Aman tabescit, & illi
    Dedecus est pejor nex, crucis antè necem.
Infido vitam, benè vindex eripit arbos
    Ævi dat fido Regia dona Fides.

J O B

Vir Sanctissimus expositus est à Deo multis certaminibus, jacturæ bonorum, & liberorum; semper tamen est inventus fidelissimus, & de omnibus adversis fœliciter triumphavit. Job. lib. I. cap. I.

C A R M E N.

VIr fuit Hussitis, Job nomine natus in oris
 Est ubi palmifero germine terra ferax.
Quàm recti, justique tenax! quàm nescius astu
 Fallere! Siderei quàm venerator Heri!
Hic quia sanctus erat, magnos haurire labores,
 Et varios casus ferre necesse fuit.
Immensas illi pecudes, armenta, camelos
 Innumeros famulos, abstulit una dies.
Hac etiam (in natos ventorum turbine moto)
 Bis quinæ prolis desiit esse parens.
Non tamen in tantis defecit spiritus undis
 Evicit stygias cor patientis aquas.
Sic ait: Adveni nudus, nudusque revertar
 In terram: gazas, pignora nonne data?
Qui dedit, abstulit ille idem, laus usque Tonanti,
 Et sit honos illi, gloria, palma, decus.
O' Vir, quà meritis orneris ritè coronis
 Deficiunt palmæ, quas tua terra parit.

I D E M

Ulcere pessimo est percussus instante Dæmone, eodemque stimulante, insuper est ab uxore increpitus, ut Deo malediceret, Job tamen uxorem redarguit, & Deum magnâ æquanimitate benedicit. Lib. Job. cap. 2.

CAR-

C A R M E N.

ULcere tabifico Satan, Job percutit: Iste
Nidorem patiens fert graveolentis haræ.
Eradit testâ saniem, vermesque molestos
Non alia pellit præda doloris ope.
Uulnere sed major cuncto, venit uxor, & inquit
Tales tartareo concita felle notas.
Credule vivis adhuc? vivis conjux malè simplex?
Dic (melius pereas) aspera verba Deo.
His Jobus: Quantùm carissima falleris uxor!
Es quasi de fatuis una locuta choris.
Prospera fata, hylari si quando cępimus ore
Cur non adversum stat modò ferre malum?
His Satan confusus ait: quod dedecus Orci!
Non paradisiacis talia facta plagis.
Illic vicit Adam mulier, sed vincere Jobum
In sterquilinio fœmina voce nequit.

I D E M

Dolorum vehementiâ concitus, invehitur in diem suæ nativitatis; non tamen in diris illis, stultum aliquid contra Deum est allocutus. Lib. Job. cap. 3.

C A R M E N.

VIvere pertæsus, sic flebile carmen Jobus
Inchoat. O' ævi lux, sine luce peri.
Heù cadat illa dies, quæ Me sub luminis auras
Excepit ventris de genitrice satum.
Damnetur tenebris, alio procul exulet orbe
Cimmerios adeat non memoranda specus.
Illam etiam noctem, qua sum natalia nactus
Possideat turbo, solaque laude vacet.

Ter quater increpitent, luci qui dira precantur
Apti tartareas ore ciere ſtryges.
Expectet Phœbi radios, nec viſere poſſit
Neſciat Auroræ cum venit illa jubar.
Cur non maternæ clauſerunt oſtia vulvæ?
Nec poſuere malis noxque, dieſque modum?
Aut cur non ſubitò perii malè fuſus ab alvo?
Lactea nutricis cur alimenta bibi?
Nunc etiam ſomno correptus pace ſilerem,
Et cum Conſulibus ſtare juvaret humi.
Eſt ubi pregeniès Regum, Procerumque propago
Auro pollentes in regione ſtygis.
Quarè igitur miſero largita eſt vita, petenti
Mortem, quæ longo ſtat procul uſque gradu?
Non ſecus ac vano theſauri tactus amore
Deluſus foſſor perforat ære ſolum.
Quodque malum timui duplicato fœnore venit
Dirius ut feriat pectora, vulnus atrox.
Hæc Domino Jobus; ſed amantis protulit irâ
Exterius queritur cùm magis intùs amet.

DAVIDIS PSALMODIA SELECTA

PSALMUS I.

Qui incipit. *Beatus Vir, qui non abiit in conſilio impiorum.*

Aſtruitur Innocentium fœlicitas, & nocentium infortunium, nec non illorum finis commendatur; iſtorum verò exitus deploratur.

CARMEN.

FOElix quem nunquàm ſontum ſententia flexit,
Nec fuit in lubricas impetus ire vias.
Qui non mendaci vomuit convicia linguâ,
Nec fatuas cathedrâ fudit ab ore notas.

Sed

Sed ſua jus Domini fuit amplexata voluntas,
Seù Sol exurgat, ſeù ruat inter aquas.
Hic ceù planta ferax, quam fluminis alluit unda,
Illicò fructiferi germinis uber erit.
Et cum triſtis hyems, Aquilonis inhorreat alis,
Non coma de folii pulchra virore, cadet;
Quin ubi condicto fluet annus tempore, ſemper
Fœcundas viridi viſcere promet opes.
Non ità flagitiis dicti, quos pulveris inſtar
Auſter arenoſum projicit antè ſolum.
Hinc haud mixta bonis, gens perdita crimine ſurget,
Una nec ambobus gloria, parque decus.
Idem qui Dominus Judex: & præmia Juſtis
Tradet, & errantum deſtruet ultor iter.

P S A L M U S II.

Qui incipit. *Quare fremuerũt Gentes, & populi meditata ſunt.*
Oſtendit Propheta, vanos eſſe niſus hominum, adverſus divinam potentiam.

C A R M E N.

IN Dominum, Populi quare fremuere rebelles?
Cur ſtolidos auſus Gens meditata fuit?
Convenère ſimul Proceres, terræque Dynaſtæ,
In Chriſtum gladios exacuere ſuos.
Rumpamus nodos dixerunt, vincla teramus,
Scilicet à collo ſit procul omne jugum.
At Cœli Rector, niſus ridebit inanes,
Illudet ſtultæ fictile mentis opus.
Irâ terrificus, minitantia verba tonabit,
Inque furore ſuo, ſub ſtyga trudet eos.
Ipſe Ego Rex David, ſum Rege ſtatutus Olympi;
Nam ſuper excelſam ſunt data ſceptra Sion.

Illic

Illic præceptum Domini, mea lingua loquetur,
    Non ſecus ac belli buccina clara foret.
Sic mihi Numen ait. Dilectus Filius es Tu,
    Hac Ego plaſmavi, Te genuique die.
Poſce decus, pete quodque bonum, trabeaſque repoſce,
    Ecce tuâ Gentes ſub ditione cadent.
Finitimi cunctos tractus dominaberis Orbis,
    Hoſtili virgis & potiere ſolo.
Quos Tu de ferri valido moderare flagello,
    Et frangas, veluti teſtea maſſa perit.
Sic mihi Cunctipotens. Vos ergo audite Monarchæ,
    Ad noſtros oro flectite corda ſonos.
Aſtrorum Fabro, vero ſervite timore,
    Et pavidè lætos vos iuvet eſſe Viros.
Undique Vos Virtus exercita tangat: amanter,
    Ad Domini tabulas veſter anhelet amor.
Ne necibus gravidas Numen vertatur ad iras,
    Et ſtygiis miſerè mox pereatis aquis.
Cum furor in modico candeſcet tempore: fœlix
    Qui velit ad Dominum fidere ritè Deum.

PSALMUS XIII.

Qui incipit. *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus.*
Invehitur Propheta contrà Atheiſtas, in omni flagitiorum ſeriè immerſos, & negantes divinam ſubſiſtentiam, Ipſe verò cum Electis fideliter in Deo ſpem collocat: Adventum inſuper Chriſti, Mundum redempturi, enixè expectat.

CARMEN.

INſipiens in corde ſuo, tacitàque loquela
    Non Deus eſt inquit. Nullibi Numen adeſt.
Perfide pone ſonos: Deus eſt, qui conditor Orbis,
    Quod fecit nutu temperat omne ſuo.

Quiſquis

Quiſquis es, inſanos mentis dediſce furores,
Odibilem ſtudiis non pudet eſſe tuis?
De Cœlo ſpectans Dominus, non invenit unum
Ex hac progenie, qui ſua jura colat.
Omnes obliquo petierunt tramite calles,
Per quos ad ſtygias eſt via recta plagas.
Illorum guttur patefactum rere ſepulchrum,
Undè cadaverici corporis afflet odor.
Fœta dolis eſt lingua procax, vomitantque venenum
Aſpidis, ad fatuos mota labella ſonos.
Os quoque ſacrilego petulans blaſphæmat hiatu,
Jugiter in Cœlos fellea tela jacit.
Hinc properè currunt, ad amandum ſanguinis hauſtum,
Ut currit properè Cervus ad amnis aquam.
Quò greſſus tendunt, ſua quò veſtigia flectunt,
Attingunt nullum proſperitatis iter.
Non hinc, non illinc noverunt gaudia pacis
Illorum ex animis exulat alma quies.
Nec timor eſt ſanctus divinæ legis, & iræ
Fulmen poſtergant, cum tonat axe Deus.
Ergò continuis gens hæc nocteſcet in umbris?
Talpa velut cæcè mandere nata ſolum?
Inſtar & Harpiæ, nunquam ſatiabilis eſcâ
Plebis ſudores uſque vorare volent?
Non equidem: Obſtabit Dominus, trepidare reoſque
Efficiet, quandò non timor ullus erat.
Hoc quia, non precibus Numen, votiſque vocarunt;
Sed ſe ſe vitiis implicuere ſuis.
Diſce genus rationis hebes: Generatio juſta
Hærebit Domino, ſalvaque ſemper erit.
Et Vos, queis inopum laus eſt illudere menti
Cernetis falſas ſollicitaſſe vias.
Pauperibus Mundi Rector ſua munera fundet,
Hæc ſpes illorum præmia digna petit.

Tu

Tu fac Cœlipotens, quod lecta propago Siònis
Te colat æternùm, Te vereatur Herum.
Tuque redempturus populos ne Christe moreris,
Solvere captivum sit tua cura gregem.
Tunc tollet plausus Juda, exultabit Jacob
Isràel Pœan, & resonabit Jo.

PSALMUS XVIII.

Qui incipit. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus.*
Demonstrat Regalis Vates, in Cœlorum opificio, resplendere Creatoris potentiam, & esse ipsos encomiastes, omnipotentis dexteræ; plus tamen Deum effici laudabilem, per ejus legem, à qua ipse aliquandò est prævaricatus, idcircò deflens precatur veniam, speratque indulgentiam ab immensa divinæ bonitatis munere.

CARMEN.

ARces æthereæ, Dominique palatia Fabri,
Numinis enarrant, glorificantque decus.
Firmamen stellis gravidum, monstratque supernis
Constructum manibus nobile quam sit opus.
Ore suo fantur, præsens, ventura diesque
Nox nocti mutos abnuit esse sonos.
Abdita longinquis non est regionibus ora,
Quò vox arcanos non meet usque sinus.
Finibus è lybicæ Meroes, Garamantas ad Indos
Armonicum sphæræ personat ire melos.
Plausibus æternis laudat quem stellifer Orbis
Ille suum posuit Solis in æde thronum.
Exit ab Eois victatus luce fenestris,
Non secus è thalami stramine, sponsus abit
Quam validus cursu! rapidæ par evolat auræ!
Utque Gygas, teteres it, remigratque vias..

Non

Non plus è summo fulgur descendit ad imum;
Præceps ut Domini pes sibi sternit iter.
Illius ignifero retrahit se lumine nemo,
Usuram vitæ prodigit ille calor.
Quid tamen hæc memoro? tibi laudes altius affert
Lex tua, quovis plus sidere, dulce canit.
Candida lex Domini, nivibus candentior ipsis
Attrahit ad superas cor, animumque plagas:
Ipsa est interpres divinæ mentis & ipsa
Erudit infantes, dum sua sensa docet.
Lex quæ Justitiæ, gemino cum pondere lancem
Fert rectam, meritis præmia digna librat.
Gaudia spiritui, lucem partitur ocellis,
Largitur menti, lucidiusque jubar.
Hæc est siderei clamosa magistra timoris
Est quantùm sanctus, nobilis ille timor!
Excidat humano non umquam corde: paventes
Astreæ leges, quam benè Numen amat.
Vera quidem Domini sunt jura, nec audeat ullus
Dicere non æquo ponere signa pede.
Sunt optanda super Pactoli, atque Ophiris aurum;
Quasque super gemmas Oceanitis alit.
Sunt jucunda super dulcissima pabula lactis;
Ambrosiique super mellea dona favi.
Numinis ad tabulas, nostrum cor semper anhelet
Illarum custos, pectoris ardor erit.
Sed quid Ego tumeam? quoties in crimina lapsus;
Ausus sum legis fas violare sacræ?
Et quot erunt imis occulta piacula fibris?
Nostra minus: facient plus aliena reum.
At si radices minimè fundaverit error,
Me peraget mundum, labilis axe Charis.
Sit quodcumque nefas: flenti, veniamque precanti
Illa aderit, sordes eluet, addet ebur.

Tunc festivus erit divinis auribus, omnis
Qui lepidè nostro defluet ore canor.
Et quæ detrudet ructans suspiria pectus
Omnipotens, vultus diriget antè suos.
Hic satis eloquio. Mihi verbum juverit illud,
Quod Pater, & Fautor tu mihi Numen ades.

PSALMUS XXII.

Qui incipit. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.*
Agnoscit Propheta in se ipso multipliciter effectus divini patrocinii, per quod finaliter ad beatitudinis regnum pervenire confidit.

CARMEN.

ME regit Omnipotens dextrâ, cui paret Olympus,
Paret humus, parent infera regna stygis.
Nil mihi, nil deerit. Domino non fidere: stultum,
Cuncta sub illius si ditione manent.
In loca me duxit, rident ubi pascua rura
Est ubi florigero germine lætus ager.
Me super undantum torrentes pavit aquarum,
Deque poli riguo vivere rore dedit.
Errantem quoties sibi me convertit; & æquo
Tramite, Justitiæ currere fecit iter!
Non mea me virtus, protexit ab ore ferarum:
Nominis hoc Dii gloria sola fuit.
Et licet alpestres saltus, quos mortis inumbrat
Horror, transiliam: sit trepidare nefas.
Te mecum veniente, Tigres, rabidosque leones
Despiciam: semper Te duce tutus ero.
In virgæ, baculique tui gaudebo flagellis,
Tunc magis Ipse juvas, parcis ut Ipse minus.
Quid quod ad æthereas epulas me sæpè vocasti,
Illos adversus, qui mea damna petunt.

Cre-

Creverunt Charites, cum cervix hausit odores
Balsamini laticis Te liniente caput.
Quos tuus ille calix, uber dulcedine, potus
Non tribuit? Cœli par fuit ambrosiæ.
Et donec stadium percurram labilis ævi.
Me tua non pietas deseret, atque favor:
Quid superest nisi regna frui cœlestia Tecum?
Æternum mi Rex, hac quoque sorte beer.

PSALMUS XXVIII.

Qui incipit. *Afferte Domino Filii Dei, afferte Domino filios arietum.*

Invitat Israeliticam gentem, ut Deo sacrificia offerat, laudesque enunciet. Dei vocem magnificat, ejus potentiam demonstrat, & suadet populo, ut voci Dominicæ, & ipsi Domino charismatum largitori, corda immolet.

CARMEN.

PRogenies Superum, Superum fer munera Regi,
Illi lanìgero de grege, dona vove.
Adde sonos, Dominique poli fastigia tolle.
Hæreat Auctori gloria tota tuo.
Hùc propera, laudum cumulos meditare perennes,
Exalta nomen nunc super astra suum.
Est opus ut gemino flecteris poplite curvus,
Ante fores templi sic venereris Herum.
Provocat ad laudes, Domini Vox alta supernas,
Vox quæ Cœlorum perstrepit inter aquas.
Clamitat illa, Dei sit quanta potentia dextræ!
Qualis Majestas! imperiale decus!
Quæ virtus oculis! quæ magnificentia vultu!
Scilicet hos audit cærula lympha sonos.
Aspice procèram Libanitide culmine cedrum,
Quantum sublimis sidera cernat apex!

Ad Vocis tonitrum vertigine proruit imâ,
 Frangitur, ut famio condita testa luto!
Quid Cedrum refero? Libanus quassabitur ipse,
 Exiliet, vitulus saltat ut inter agros.
Hujus ad imperium Vocis, succenditur ignis
 Fulmineus, nubes dissecat, urit humum.
Deserti nemorosa Cades, penetralia terror
 Occupat, unde maris prospicit æquor Arabs.
Cerva tremens, cupiet feros emittere fœtus
 Ad partus priusquam venerit hora suos.
Sint loca frondosis, homini non pervia dumis,
 Vix ipsis sylvæ cognita lustra feris:
Illuc Vox Domini penetrat, latebrasque, sinusque
 Permeat, ut Solis lux, maris intrat aquas.
Tu Voci Domini, Domino vocemque moventi
 Progenies Adæ, corda, melosque dica.
Hic Rex exeruit catarachtas Ætheris: heù, heù
 Mole fluentisonâ naufragus Orbis iit.
Et tunc in solio stellarum tegmine texto
 Fluminibus jussus, Oceanòque dabat.
Cùm voluit, pluvius cessavit Juppiter. Irym
 Demisit, pacis fœdera certa tulit.
Sic tecum faciet, Solimorum cara propago,
 Virtutum primò munera lecta dabit:
Postmodò Palladias pacis donabit olivas,
 Et tibi largiri prospera cuncta volet.

PSALMUS XLI.

Qui incipit. *Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum.*

Vritur Citharista regalis, desiderio immortalis patriæ, vitæ miserias deplorat, & fiducialiter memoriam beneficiorum alit, spem confortat, dat pabulum amori.

CAR-

CARMEN.

Qualiter ad fontes Cervus feſtinat aquarum,
Tradat ut arenti pabula grata gulæ:
Sic deſiderii pernicibus evolat alis
Ad Te cor noſtrum, Dius & omnis amor.
Ad vivas inhiat ſitibundus ſpiritus undas,
Non eſt ſedatrix altera lympha ſitis.
Ah quando veniam, Domini faciemque tuebor?
Accelera Titan, exoriare dies.
Fletibus æternis, luces, noctesque peregi
Dum Numen dicunt eſt ubi dulce tuum?
Spes non deſtituit, memoremque faceſſit adeſſe,
Quod tandem Divûm juverit ire lares.
Ad Domini ſedes, cœleſtis Regis ad aulam,
Ad ſuperas arces pes tuus ibit, ait.
Compedibus fractis Animus miſerabilis ævi,
Nectaris æterni cimbia plena bibet.
Illic Vox hilaris; ſonus exultantis ad aures
Perveniet, qualis vox epulantis ovat.
Cur igitur triſtes, mea vita perennat in horas?
Pauliſper mœſtas deſere vita notas.
Non me vana fides mihi fidere lactat inani,
Sum nihil: in nihilo credere ſtultus amor.
Me meminiſſe tui deceat, ſic tollar in altum
Hermonius pluſquam collis ad aſtra ſalit.
Et licet imbriferæ quatiant quandòque procellæ,
In me crudeles vertat & æquor equos.
Non ſecus ad Nautæ conjurat abyſſus, abyſſum,
Ut ſit cærulei naufraga præda Dei;
Non tamen exanimis mea ſpes tumulabitur undis,
Ad Te cum noſtras dirigo Dive preces.
Nevè ſinas nimiùm pharetris hoſtilibus angi
Me ſatius telis gens inimica petit.

Ex-

Exprobat his dictis (mea tunc franguntur & ossa)
Est ubi Dius Amor, cœlifer ille tuus?
Tunc morior curis ; sed mens mox illicò surgit,
Et renovo tales axe favente modos.
Est mecum meus ille Deus, cui fidere lętor,
Ille, salus vultus, illeque cordis Eros.

PSALMUS XLIV.

Qui incipit. *Eructavit cor meum verbum bonum, dico Ego. Prophetico intuitu, David ad Christum Dei unigenitum pervenit. Ejus celebrat laudes, nec non Ecclesiæ suæ sponsæ dignitatem magnificat, ejusque fœlicis sobolis.*

CARMEN.

Ructavit bona verba meum cor; dico ego Regi,
Omne quod interius sum meditatus opus.
Dirigit ad numeros celerem mea lingua volatum,
Ut Scribæ calamus qui properanter arat.
Ordior : ò Promisse tuæ, Ventureque genti,
Quam pulcher ! formâ par tibi nullus erit.
Quo labiis effusa tuis Charis aurea cornu!
Idcircò Omnipotens Te benedixit Herus.
Ejà age flos Juvenum, femori fac hæreat ensis
Stringatur validâ missilis hasta manu.
Nam specie, cilioque tuo, virtuteque dextræ
Incedens faustè subdita regna reges.
Illa manus manus, illa tenens dupla pondera Libræ,
Et mens quæ miseris parcere semper avet:
Te super astra ferent, volitabis in ora virorum,
Adque tuas laudes postera Fama fluet.
Ecquis erit populus, qui non tua tela pavebit?
Ibit in hostiles, cum fremet ira neces.
Stabit at æternùm sedes tua: scilicet æquo
Ordine, consilium, jura Theminque dabis.

Quid

Quid mirum? In Te perpetuos Aſtræa penates
Fixit: cumque malis nullus adhæſit amor.
Unxit propter eà tua tempora chriſmate Numen,
Ut ſic feſtivæ ſæcula pacis eant.
Quid referam, guttas, caſias, & Orontis odores?
Vel thus? vel mirrham, queis tua veſtis olet?
Poſt thymiàma pepli, per eburnea tecta, puellæ
Regibus exortæ, ſigna, graduſque cient.
Te tamen haud taceam, Domino Regina jugata,
Omne tuum ſuperat connubiale decus.
Ergò domum linquas Conjux electa Parentum
Immemorem patrii Te decet eſſe laris.
Crede mihi, profugam Te quantum Sponſus amabit!
Vultu facta tuo vulnera mille geret.
Quantumvis Dominus ſit totius Orbis, & antè
Illum curvetur poples, & omne genu.
Hinc cum muneribus, Medæ, Tyriæque Miniſtræ,
Proment purpureas quas alit æquor opes.
Et licet interior majùs tua gloria ſurgat,
Arcana & virtus ſit pretioſa magis;
Attamen eſt aliquid gemmis, auroque coruſcam
Moliri pallam, quæ tua membra tegat.
Qualis erit plauſus, tua poſt veſtigia quandò
Virgineus Regi cętus adeſſe volet?
Quam lętâ facie, ſublimia tecta ſubibit!
Supplicibus pedibus regia templa colet!
Poſt hæc addentur fœcundæ Matris honores,
Parturies ſiquidem pignora cara polo.
Pro Patribus priſcis, Ataviſque potentibus, ex Te
Celſius exurget nobilitate genus.
Quod ſceptro, & virgâ totis dominabitur oris,
Dum ſtabit tellus, dum maris unda fluet.
O' fauſtæ luces! fœlicia ſæcula! tùm cùm
Nazareum nomen cuncta creata ſonent.

PSAL-

PSALMUS L.

Qui incipit. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam.*

Implorat suarum culparum commiserationem, supplicat pro venia, petitque Populi salutem.

CARMEN.

DIe Pater miserere mei: miserere secundùm
Emanat pietas, ubere fonte tua:
Terge precor toto patrata piacula corde,
At quâ mensura? Qua pius esse soles.
Amplius immundas sordes, scelus ablue nostrum,
Candidiora micent pectora lota nive.
Me miserum, quantùm mea sordida crimina novi!
Illa quidem contrà me, fera bella cient.
Parce tamen: Veniæ siquidem promissa dedisti.
Sic fas ut vincas judiciale probrum.
Non Ego sum culpas inter conceptus ab alvo?
Me non flagitiis, progenuitque Parens?
At quia Tu verax es, nec sinis abdita mentis,
Cordisque arcanum, Me latuisse tuum:
Deprecor, hyssopi me tingas rore lavantis,
Scilicet albescam plùs nive, plusque cycno
Auribus extemplò nectentur gaudia nostris
Ex imo surgent ossa sepulta solo.
Exclamare juvat rursus! Ne Dive reatus
Davidis aspicias; aufer at omne nefas.
Redde salutares transacta tripudia fastus,
Hoc & erit quando Spiritus axe fluet.
Munera dà mundi cordis, formose Creator
Flaminis ætherei da bone dona tui.
Sic Ego torquentes à recto tramite gentes
Admoneam, fiant & tua turba precor.

Tu

Es mihi ſanguineâ polluto labe miſertus
  Deleſti lacrimis Tu mala cuncta meis.
Os aperi virtute tuâ, mea labra ſonabunt,
  Ut citus excurras ad pietatis opus.
Nam ſi ſacrifico placuiſſet victima templo,
  Jam caderet noſtrâ cæſa capella manu.
Sed cor contritum tua ſunt holocauſta: Voluptas
  Eſt tua, quando mens procidit icta ſolo.
Ejà agè fac ſurgant Solymeja mœnia; Cœlos
  Turribus aſpiciat Teque favente Sion.
Tunc libamen erit, libamine gratius illo,
  Aris, quod cæſi, bos, arieſque darent.

PSALMUS LIII.

Qui incipit. *Deus in nomine tuo ſalvum me fac, & in virtute. Sub tegmine divinæ protectionis, accurrens Propheta, palmas victrices de inimicis ſperat, & votivas grates in templo exolvere ſpondet.*

CARMEN.

SErver Ego Pater alme, tui ſub nominis umbrâ;
  Judex, & Virtus ſis mihi Dius Amor.
Quam precor ut faciles noſtris des vocibus aures!
  Ah non votivas diſſipet aura notas.
Aſpicis ut contrà me, gens aliena fureſcat,
  Nitatur vitæ fata parare meæ!
Impia gens nuſquàm leges venerata Tonantis
  Nil oculos curat cuncta videntis Heri.
Aſt Herus Omnipotens, rebus tutamen in arctis
  Eſt animæ famuli, qui ſua jura colit.
Hoſtibus ergò meis eſto metuendus, & arma
  In reprobos torque, fulmina verte tua.
Ipſe tibi quàm ſpontè pias proſtratus ad aras
  Sacrificum peragam more litantis opus.

Et nomen, quod terra pavet, quod ſidus adorat,
Æterna nitar magnificare tuba.
Sanctius eſt illo nihil : eſt bonitate replenum
Eſt mel ore: favus pectore: corde ſalus.
Incolumem multis fecit me ſæpè periclis
Deſpexi hoſtiles, terque, quaterque minas.
Sic precor eveniat venturo tempore: Noſcant,
Cociti pugiles, quæ mihi dextra favet.

PSALMUS LXIV.

Qui incipit. *Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum.*

Spes Prophetæ precantis, ut redimatur à calumniis improborum, & futura concipitur exauditio, propter divinam bonitatem, potentem, ut omnia faveant amicis ſuis.

CARMEN.

TE decet in Sion dulciſſimus hymnus, & indè
Perſolvam Solimis debita vota Deus.
Utrobique meos audi gemituſque, preceſque
Cùm ſemper mitis ſis, & ubique Pater.
Ad Te carnali præcinctus veſte Viator
Spem cordis totam debet habere ſui.
Quid faciam mi dulcis Amor? jam perfida verba
Peccantum, contrà me valuere nimis.
Ad Te confugio. Tu propitiabere noſtris
Criminibus: tandem fac mala dicta cadant.
O' decies fœlix, à Te qui lectus in ævum
Cœleſtes illum vis habitare domos.
Nos quoque ſperamus, larium bonitate repleri,
In quibus, Aligeros das celebrare moras.
Illic Juſtitiæ templum mirabile ſurgit,
Quod ſtruxit digitis dextera Dia ſuis.

In

In quo flecte tuas noſtris ploratibus aures;
Si ſpes es terræ, ſpes procul eſque maris.
An non Te montes præeunt virtute potentem,
Non aliter quam ſi prodoma caſtra forent?
Tu pelagi turbas fluctus, ſonituſque profundum
Ebibit, Oceani cærula mota tremunt.
Gens mala, prodigiis tantis, tremefacta dehiſcet;
Sed benè lętari plebs tibi vota volet,
Viſiſti terram: mora nulla virentibus herbis,
Gemmiferoque peplo ſe redimivit ager.
Feciſti pomis ditem, gremioque feraci,
Auri flaventis munera, ſenſit humus.
Repletum eſt flumen, nivibus de monte ſolutis,
Proſiliet, creto vectet ut amne cibos.
Sic Cœlum nobis, Te præcipiente favebit.
Quippè ſolum fructus, & feret unda dapes.
Auge Die Pater, ſemper ſata germina prole
Uberibus rivis ebria currat aqua.
De ſtillicidio ſementis geſtiet undæ
Acceptas triplici fœnore reddet opes.
Tunc tua ſpiciferas benedicet palma coronas,
Tunc erit Agricolæ, proſperiorque labor.
Viſio quanta foret dulcedine plena, tueri
Campos fęcundâ luxuriare coma!
Luſtraque ſylveſtres deſerti ponere vultus.
Et de purpureis ſe tunicare roſis!
Colles lætitiâ non exultare nequibunt
Tantus ab aſpecto lumine ſurget amor.
Dux Aries ovium caulâ gaudebit adauctâ
Vallibus extremis gliſcet opima Ceres.
Omnia more ſuo rerum laudare Satorem
Nitentur. Dicent Te decet hymnus ìo.

PSALMUS LXVII.

Qui incipit. *Exurgat Deus, & dissipentur omnes inimici ejus.*

Personantur magnalia divinæ potentiæ in liberatione populi Judaici à Pharaonis servitute, & in exultatione Sion figuratæ pro Ecclesiâ, in qua principaliora misteria, sunt Christi Ascensio, & Spiritus Sancti descensus, demum fertur ad triumphum fidei, ad quem vocat omnes Gentes, ut tantum Dominum laudent.

CARMEN.

EXurgat Numen, sceleris vindexque malorum,
Iratâ rapiat tela trisulca manu.
Protinus hostiles videas procumbere turbas
Confusas animo præcipitare solo.
Una salus pavidis, nullam sperare salutem,
Nec turpi poterunt credere terga fugæ.
Qualiter Australes fumus vanescit ad auras,
Aut propter flammas cerea teda liquet.
Sic fas ut pereat gens impia Numinis antè
Vultum, sic stygiis ut cadat esca focis.
At Justi celebrent Superûm convivia mensis
Potet nectareos gens operosa cados.
Undique cantantum cataclysmus inundet amorum,
Et reboans Echo nomina Dia sonat.
Ite citi, vestro reserate vialia Regi,
Hinc violis oleat callis, & indè rosis.
Ille triumphales est ascensurus ad axes,
Nutibus en ejus servit uterque polus!
Vos minimè latitat nomen Dominantis Olympo,
Rex Regis, Princeps Principis, ille salit.
Exultate Deo coràm, indulgete choreis
In plausus fluvio, pectora mersa natent.

Plus

Plus aliis lætare viro ſpoliata puella,
Et genitore carens Orphane, læta cane.
Ille pius Judex viduarum, dulcior ille
Ipſorum degunt, qui ſine patre Pater.
Cœlipotens dum ſede ſedet, de ſidere ſtructâ
Extorri patrios dat remeare lares.
Educit vinctos, ſupero quo robore pollet.
E' tumulis Manes eſt revocare potis.
An non deſerto, populi cum Ductor adeſſet,
Aerii Sinæ ter tremuere juga?
Ipſi divinâ quaſi Majeſtate ſubacti
In ſtillas ſolidi ſe ſoluere poli.
Cum peteret tempus, pluvios ex axe Tonantes
Impulit, arentes undè bibère greges.
Aſt inopi miſit dulciſſima fercula plebi;
Nam mox mellifluo manna ſapore pluit.
Carminis indè fuit motor, dedit æſtra puellis,
Stratorum canerent rapta trophæa Ducum.
Exuvias habuere lares, ſed dramatis artem
Æterno ſonuit plumea Fama tono.
O' qui plorantes lugubria tegmina fertis,
Mutate in niveas ſyrmata fuſca togas.
Non ſecus Idaliæ ſint candida colla columbæ;
Attamen ex auro poſteriora micent.
Veſtibus his famoſa Sion, vos cernere gaudet,
Illa Sion, cujus de nive candet apex!
Illa Sion, ebori, lactis ſimiliſque coaglo,
In qua Cœlorum Rex, habitare volet.
Eſt ibi currus ovans, feſtinanteſque jugales,
Sunt ex Eolio flamina lapſa ſpecu.
Millia tot circum plaudunt, quot culmine Sinæ
Agmina Spirituum perſonuere melos.
Aſpice: ſidereæ ſcandit capitolia ſedis
Inter ſiſtra, tubas, organa, plectra, lyras!

En

En Captans alios, trahitur captiva catenis
Antè triumphales it modò serva rotas!
Munera quæ largo veniunt profusa tributo,
Accipit, ut proli tradat amanter Adæ.
His etiam queis corda rigent, velut aspera cautes,
Nec credunt, fidei dat documenta suæ.
Talem igitur Superûm Regem, benedicite Gentes
Prosperitate ferax quam citò sternet iter!
Ille salutares titulos, plus omnibus ardet:
Exultat, mortis cum fera tela terit.
Est opus hostiles ut vertant tergora vires
Cum Dominus, fautor, fultor & esse velit.
Pone superbificos cervix tumidissima rictus,
Ingeme sub Dio cornua fracta pede.
Cum dixit Dominus: Basan, maris inter abyssos
Projiciam, linget corpora lingua canis.
Eventu monstrata fides: pes sanguine tinctus
Iras ostendit plenipotentis Heri.
Quis non ingressus Domini mirabitur? ipsæ
Ætheris haud poterunt non stupuisse faces.
Cernere quale fuit, Proceres præcedere mixtos
Armonicis inter cimbala tacta choris!
Queis aderant comites festanti voce puellæ
Pulsantes tenerâ tympana recta manu.
Dicebant illæ: Cœli laudate Dynastam,
Aræ qui colitis sacra verenda, Viri.
Ille viden Juvenis, Jacobque novissima proles
Mentis ad excessus enthea verba ciet!
Inclyta post sequitur soboles bellantis Judæ,
Postremò Nablon, Nephtaliique Duces.
Omnes ad Dios sunt prodroma turba triumphos,
Explicat hic labaros, ille trophæa vehit.
Præcipe Rex Regum, bibat hæc spectacula rursus
Urbs Solimæ, in templo talia mira noves.

Scilicet ut properent Sapientes munera dantes
Subque tuo ponant gemmea ſceptra pede.
Pelle procul bone Dive feras, quas armat acutos
Artus, pungenti de legione ſeges.
Ite foras tauri, præſepia quærite vaccæ
Quid commune ſuis, quas amat ille tribus?
Gens dilecta Deo, gens eſt candoris onuſta,
Splendet ut argenti cote probata ſtrues.
Ejice quos nimium ferri malus excitat ardor,
Sanguineoque juvat pellere fonte ſitim.
Fac ex Ægypto veniant quærentia fœdus
Agmina, fac pacem Nilus ut Afer amet.
Æthyopes urge dent vectigalia proni!
Portentur nigrâ candida dona manu.
O' populi, ò gentes, o terræ pſallite Regna,
Fundite continuis cantica grata notis.
Cœlituum Domino, pſalmòdia veſtra dicetur,
Qui ſuper Empyreum, lumen Eois habet.
Ecce dabit Voci, vocem virtutis, & ecce
Quod velit omne, bonum protinus illud erit.
Quid quod, participes faciet ſua caſtra ſequentes
Virtutis propriæ, pignora certa dabit.
Non ergò taceatur honos, præconia ſurgant,
Laudetur Rerum, ſed ſine fine Sator.

PSALMUS LXIX.

Qui incipit. *Deus in adjutorium meum intende.*

Deprecatur David, ut ſibi, & innocentibus Deus afferat cum feſtinatione adjutorium, reprobis vero, & viris ſanguinum ſupplicia, & meritas ultiones.

CARMEN.

REx Superûm faveas, noſtris & vocibus adſis
Tu Mundi Rector, Terrigenumque ſalus.

Apta

Apta humeris pennas, pernici labere curſu;
Mancipioque precor propitiare tuo.
Adventu confunde genus delebile terris,
Cui eſt fundendi ſanguinis unus amor.
Aſpicis: Ad noſtræ facinus modò mortis anhelant!
En gladiis vitâ me ſpoliare petunt!
Te veniente abeant retrorſum, præpete caſu
Ad barathrum vergant qui mea damna volunt.
I plebs nata Erebo ſtygias Acherontis ad oras,
Quid juvat ad pravos ora ciere ſonos?
Erubeas iterare tuis clangoribus, Euge,
Illa eſt Tartareo plena loquela dolo.
Sed Gens exultet, gens, quæ laudare Tonantem
Semper avet, vivum magnificatque Deum.
Nunc ego, qui pauper, qui ſum virtutis egenus
Nè peream, ſupplex ad tua caſtra feror.
Sis meus adjutor, rebus tutamen in arctis
Siſque procelloſis aura ſecunda malis.
Si vitam indulges famulo, properare memento.
Non fas ſit Cœli deſidioſa Charis.

PSALMUS LXXVIII.

Qui incipit. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam.*

Enthei queſtus infortuniorum præviſorum à Citharedo regali, ob internicionem, & deſtructionem Hieroſolymitanæ Civitatis, & ejus templi pollutionem, ad quarum prænotionem calamitarum, orat ſuppliciter Deum, ut populo parcat, & ut tot mala avertat.

CARMEN.

Aſpice: Venerunt Gentes, ò Rector Olympi,
Ore truces, rabidæ pectore, mente feræ!
Vaſtavère tuos patrimonia cara penates!
Extendère ſuas, ad ſacra templa manus!

Hei

Hei mihi, pollutas quis non lacrimabitur aras?
Tabeſcit ſanctum ſanguinis imbre ſolum!
Gens pia ſidereis obnoxia legibus, heù, heù
Crudelis ferri victima vota jacet.
Et paſcunt volucres inhumata cadavera Cœli,
Et caſtos artus beſtia dira vorat.
Sanguinis unda fluens, Solimeja męnia circum
Purpurat; at tumulis cæſa corona caret.
Ludimur opprobrium populis, hinc, indè propinquis,
Finitimæ genti fabula facta ſumus.
Fulmineas ſemper Deus extendèris in iras?
Ardeſcet Zelus trabs velut uſta tuas?
Non equidem; ſed verte tuos in regna furores,
Quæ Domini nomen dedidicère poli.
Quæ comedunt cenſus, & aviti predia Jacob,
Iſacios Patrum dilapidantque lares.
Ne priſci memor eſſe velis, bone Dive reatus,
Sit citior Pietas huc remeare gradus.
Nam nimium nos dura premit penuria rerum,
In ſolis dites noſcimur eſſe malis.
Auxiliare: tui per honorem Nominis oro,
Exime nos vinclis, omneque terge nefas.
Eructent ne fortè tetris hæc verba loquelis;
Hebrigenum Numen, quid valet? aſtat ubi?
Alme Parens, patuiſſe juvat cur mortis acervos?
Lethi vindictas quod tot amaſſe bonum?
Te penès introeat potiùs lacrimoſa querentum
Murmura, conſpectus apta movere pios.
Sit ſatis uſque Pater; genus aſpice, protrahe ſtirpem,
Tutamen rurſus ſentiat illa tuum.
Sique referre licet, tempeſtas torqueat illos,
Queis amor eſt probris increpuiſſe polos.
Illorum gremio, ſepteno fœnore redde
Damna quot haurimus, quæ bibimuſque flagra.

Nos tua turba ſumus, pecudeſque fidelis ovilis
Te Duce de necibus convenit ire procul.
Sic erit æternùm noſtro tua gloria cantu,
Et plaudent fidis ſæcula cuncta ſonis.

PSALMUS LXXXIII.

Qui incipit. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum. Inter turbidas vitæ undas, Sanctus Propheta ſuſpirat ad æterna tabernacula, veluti ad portum: Intereà requiem invenit aliqualem in ſacris altaribus dantibus homini pignora immortalis hæreditatis beatificæ.*

CARMEN.

QUàm dilecta mihi, tua ſunt palatia, Rector
Orbis, Virtutum Rex, ſpecioſè Deus!
Evolat ad Domini ſedes, & ad atria fertur
Spiritus, aerios ut petit ales agros.
Cor deſiderio quaſi deficit, illa videndi
Quæ ſunt ſidereis condita tecta tholis.
Macte animo: Mens vade ſuper, Te noſtra ſequetur
Ponderis haud compos lætificata caro.
Paſſer io, nidum ſibi repperit, & loca Turtur
Ponat ubi pullos, enutriatque ſuos.
Sunt tua mellifluis altaria fęta ſcatebris,
Rex meus, & Cœli nectare ſola madent.
O' ter fœlices, queis vivere contigit æde,
In qua Plumigeris Te juvat eſſe choris.
Te ſemper laudare volent, ſeù ſæcula perſtent,
Tempore præſenti, ſivè futura fluent.
Et fortunatos illos, totidemque beatos,
Quorum dum vivunt Auxiliator ades.
Hac in valle petunt lacrimarum ſternere callem,
Undè queant Cœli ſollicitare fores.

I. Di-

I. Dilecte Deo grex: mox tibi Legifer Æthræ
Virtutum cumulos congeminare dabit.
Donec Divorum Numen ſpectare licebit,
Fatalem quando clauſerit hora diem.
O' Here cunctipotens, cui Sol famulantur, & aſtra
Audi pacatâ ceù decet aure preces.
Inque tui faciem, tua lumina dirige Chriſti,
Ad Te dum curvo ſic ait ille genu.
Eſt melior lux una tuis conſumpta ſub Aulis,
Millia quam Mundi luſtra peracta ſinu.
Elègi abjectum Domini ſub ovile latère
Quam Peccatorum figere ſigna domo.
Te quoniam Pietas, Bonitas, Clementia, Virtus
Circumeunt, Dios antè manentque pedes.
Indè beatificâ ditabis luce; Videbo
Te Numen, potero Teque perennè frui.
Sic erit. Innocuis non cœlica dona negabis.
In Te qui ſperat quam benè natus homo!

PSALMUS LXXXVIII.

Qui incipit. *Miſericordias Domini in æternum cantabo.*
Rememorat David, divinas miſerationes, & pactum Domini cum ſuâ progenie, quod ſcilicet in æternum ſit manſura; indè miratur cur tempore ſuæ anguſtiæ elongetur, quaſi pacti immemor? ſemper tamen in divinæ voluntatis beneplacito reſignatur.

CARMEN.

ÆTernùm recinam ſuperæ Pietatis amores,
Ad cantum, citharæ plectra venite meæ.
Audiat hos numeros, qui nunc bibit Ætheris auras,
Et qui venturus vivet in orbe Nepos.
Quam verax Dominus! quam ſint ſua fida profata
Veridicis modulis noſtra Camena canet.

Sum memor: & rurſus bibulas quaſi perculit aures,
Qui tuus effudit talia verba ſonus.
Ædibus æternis fixit Miſeratio ſedem,
Sunt ubi ſidereæ gemmea tecta domus.
His etiam laribus, queis dant fundamina ſtellæ,
Regnabit ſolio cœlite Dia fides.
Hæc Ego dilectæ ſtatui diplomata plebi,
Irrita nec quovis tempore dicta ruent.
Per mea juravi immortalia pectora: David
Progeniem, ſemper ſæcla futura gerent.
Ipſe quidem, manibus regalia ſceptra fovebo
Reſtituam faſces ædificabo thronum.
O' Domini bonitas! O' Diæ munera dextræ!
Quis poterit charites nunc tibi ferre pares?
Vos precor ò Cœli magnalia dicite Regis,
Conſcia Tu laudum fare ſuperna Sion.
Par erit anne Deo quiſquam, qui remige pennæ
Aſcendit nubes, & ſuper aſtra ſalit?
Num chorus Aligerum? num hominis pſalmata propago?
Æqualis Domino credite nullus erit.
Vnicus ille polo regnat, dominator Olympi
Judice Seràpho, milite teſte Cherub.
Ut tremit ante ſuos, Volucrum gens aulica vultus!
Mens pavitat, facies corruit, ala cadit!
Tu Deus omnipotens orbem moderaris aquarum,
Seù pacare velis, ſivè movere Thetin.
Agnovit Pharao: criſtallina mœnia vidit
In tempeſtatum rurſus abire domum.
Eſt tua, Zodiaci moles, tua machina tellus,
Per Te non moto cardine perſtat humus.
Eolias animas Neptunia regna creaſti,
Eſque opifex, omnis quod micat orbe boni.
Auſpice Te Thabor, mons exultabit & Hermon,
Mirantes digiti robora tanta tui.

Antè

Antè tuos current Astrea, Themisque triumphos
Cum Pietate comes prævius ibit Amor.
Israèl populus fit, terque, quaterque beatus
Arte suâ doctus te celebrare chely.
Antè tuæ lumen frontis gradietur, & æquis
Gressibus, Empyrei non nisi quæret iter.
Gloria sed lectæ gentis tua sola corona est
A' Domini famulum robore, robur abit.
Ut Clypeus servas, ut Laurus tempora comis,
Utque Basis, lapsum, perniciemque vetas.
Hæc tua fatidicis reserasti sensa Prophetis
Effluxit quandò talis ab ore sonus.
Invèni David, sacro quem chrismate tinxi
Ipsius è Cœlis Auxiliator ero.
Nullus eum contrà victor luctabitur hostis,
Omnis de nocuâ prole peribit homo.
Illius à facie pessundabo colla gygantum,
Et resides faciam vertere terga fugæ.
Sic illi desponsa fides, miserebor amati
Regis, qui nostro nomine bella ciet.
Sub ditione suâ curvabitur æquor Atlantis
Ophiris Æthyopes aurea dona ferent.
Ipse Patrem dulcem, me nectaris ore vocabit,
Atque Ego Regnantum stemmata prima dabo.
Donec ero: grates fundam clementis eròtos
Expers muneribus non erit ista manus.
Postera Davidicum trascendet sæcula semen,
Et cum Luciferi par suus igne thronus.
At si progenies, me Numen amabile linquet,
Audebitque nothis thus adolere Diis.
Arripiam vindex iteranda flagella, sceleftos
Plectere verberibus tunc mea cura foret.
Non tamen in juges Nemesis grassabitur iras
Pacatum cernet gens mea sæpè Deum.

Quod

Quod ſemel os illi juratâ mente ſpopondit
    Pollicitis ſtabit nullibi caſſa fides.
Antè meos ſolium David ſic ſtabit ocellos,
    Ut Sol, ut Solis candida Luna ſoror.
Si ſic juraſti, cur nunc tua dicta retractas
    Omnipotens? cur nunc fœdera pacta cadunt?
En genus infidum tua templa profanat, & Uncti
    Sternere deſpecto vult diadema ſolo.
Jam pavor, & terror, ſceptrum, trabeaſque fatigat,
    Finitimæ ludus Tu cave gentis eat.
Quid nimis hoſtilis me contrà ſuperbia turget?
    Illorum lętus qui ſonus ore fluit?
Cur mea me Virtus ad prælia liquit ineptum,
    Quò vires noſtræ proſiliere manus?
Hinc ſterni, rumpique timet mea regia ſedes
    Hinc & Myſtarum pone perire decus.
Addis feſtinæ, quod jam fera brachia Parcæ
    Nitantur vitæ fila ſecare meæ.
Ut ſic infernas ſubeam intempeſtus abyſſos;
    Et penetrem ſtygias dedecoratus aquas.
Ah Dilecte Pater, ſobolis miſerere gementis
    Non ut flamma tui ferveat ira vorax.
Sis memor, humanæ quam ſint tenuiſſima maſſæ
    Vaſula, ſunt vitreis debiliora ſcyphis.
Quiſnam natus homo; fugiet venabula mortis?
    Aſt immaturam Dive repelle necem.
Care Parens ubi nunc Pietas tibi nata coęva,
    Et famulo ſemper juſſa manere tuo?
Proh! miſerere mei, flectat tua pectora noſtrum
    Dedecus, uſque & adhuc ſit rubuiſſe ſatis.
Oris perde notas, aliena ad caſtra volentis
    Nos rapere, elongas increpitantque moras.
Hæc precor: At dictis tua ſtat ſi læva voluntas
    Quod lubet efficias; Sit tibi jugis honor.

PSAL-

PSALMUS XC.

Qui incipit. *Qui habitat in adjutorio Altissimi. in protectione.*

Indigitat David securitatem illis, qui sub umbra divini tegminis immanent, Angelorum custodiam tangit, usque dum ad æternam perveniat hæreditatem.

CARMEN.

Quisquis tecta colit, recubans sub Numinis umbrâ,
 Ætherei nunquam tegminis orbus erit.
Hæc Domino dicet. Meus es susceptor, opisque
 Largitor, semper fultor erisque meus.
Cum jaceret casses in me venatica turma,
 Pes expers laquei Te vade, liber iit.
Remigio alarum, totos Tu protegis artus
 En eo securus! terror, & omnis abest.
Me desponsa fides scuti circumdabit instar,
 Non erit ad vulnus jacta sagitta potis.
Nocturnos Erebi lemures, ridebo pavores.
 Currentes mediam Sole secante diem.
Mille cadent dextris, & millia dena sinistris
 Fulmina, non lateri proximus ignis eris.
Quandoquidem scelerata cohors, Cœloque rebellis
 Unica Justitiæ truditur esca tuæ.
Me penetrare juvat celsum pietatis asilum,
 Fulget ubi veniæ per latus omne favor.
Audebunt mala nulla meis hærere cothurnis
 Haud tangent nostram dura flagella domum.
Plumea penè manu legio tutatur euntem
 Ne moto noceant obvia saxa pedi.
Quò vadam, rabidos lybiæ calcabo leones,
 Noxius haud aspis, vel basiliscus erit.

Spes

Spes mea ; me redimet , quoniam tua nomina novi ;
Illa quidem cunctis sunt panacea malis .
Ad Te clamabo , surdis non auribus esse
Te decet ; astriferâ sed ruat axe Charis .
Dum tribulor Tu Numen ades Cynosura fidelis
Vanescunt imbres , glauca fugatur hyems .
Eripis adversis Fortunæ casibus illos ,
Quos etiam palmis mox redimire voles .
His quoque longævas adiges percurrere luces ,
Et super hæc demum Te dabis indè frui .

PSALMUS CII.

Qui incipit . *Benedic anima mea Domino , & omnia , quæ intrà .*

Lacessit Propheta suum Spiritum , ut cum omnibus potentiis , ad Dei laudes feratur . Rememorat beneficia , & cohortes Angelicas ad laudationis ministerium enixè invitat .

CARMEN.

EJà agè dic bona verba sacro mi Spiritus æstro :
Da laudum Domino plena tributa tuo .
Viscera quotquot alit pectus , cor flamina nutrit
Plaudentis linguæ munera sola patrent .
Da Charitum cumulos , nomen super Æthera tolle ;
Tot Charites , lethes ne terat unda cave .
Ipse est qui mentis tentoria mundat , & ipse
Corporis infirmi mitigat ulcus atrox .
Cum tibi proximior mors , ostia pandit averni :
Ille colos implet , ne tua vita cadat .
Indè super Cœlos decus immortale triumphi
Ordinat , ut meritis præmia digna paret .

Quid-

Quidquid amas, optas: pete, poſce, videbis ut illud
    Propitium votis Numen amoris adeſt.
Ad Solis radios Aquilæ renovantur ut alæ
    Sic tuus ætatis flos redivivus erit,
Lance pari, ſolio ſidit moderatur & ultor
    Deprimit hinc ſontes, elevat indè probos.
Ipſe vias docuit Moyſen, monumentaque legum
    Ad carum Jacob ſunt reſerata genus.
Admiror meditans, quam ſit pietatis abundans!
    Aut favet, aut mulctat, promicat uſque pius.
Non, non æternos irarum nutriet ignes
    Non erit irriguus, vel ſine fine furor.
Sique velut Judex rapiet ſua dextra flagellum,
    Flagitio veniet pœna ſtatuta minor.
Nam quanto terras ſpatio ſupereminet Axis,
    Eſt ſua ſic Pietas crimina noſtra ſuper.
Longiùs à nobis lethalia fata removit,
    A Mauris quantùm tractibus, Indus abeſt:
Qui tener eſt Genitor, cui ſit amabile pignus
    Ut Deus eſt homini, plenus amore pater?
Novit enim quod terra ſumus, quod noſtra propago
    Deficit, ut fœni tranſilit ortus honos.
Vel cum flos agri, qui luce vireſcit Eoâ
    Veſpere cæſarie, poſtmodo nudus obit.
Dicet qui formam vidit, qui Fata Viator
    Eſt ubi flos natus? ſic ſua vita ruit?
Aſt ita non Domini pietas; ſine limite deget
    Floreſcet bonitas tempus in omne ſua.
Tu ſua dicta time, reverere oracula legis
    Aſpicies, venæ ſit ne perennis aqua?
Paſſibus advenient æquis, Aſtrèa, Themiſque
    Venturum ornantes divite torque virum.
Ipſe thronum ſtatuit ſtellantibus orbibus Æthræ.
    Noverunt Dominum, terra, poluſque ſuum.

O   Ejà

Ejà igitur, virtute potens, pennata corona
Quælibet Angelici plumea turba chori.
Illius eloquio si sic pendetis, & ore,
Os quoque ter celebrans vos aperire decet.
Sin minus ex æquo, saltem qua mole potestis
Dicite ter Sanctus ter benedictus Herus.
Te quoque Spirituum faciam mi Spiritus Echo,
Et dic æternâ laude canatur Herus.

PSALMUS CXIII.

Qui incipit. *In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo.*

Ex admirabili egressu populi Israelitici, infert David tutelam quam Deus accipit sui populi, non adorantis vana simulacra, sed verum Numen, largiens benignè bonorum cumulum, suis amicis.

CARMEN.

ISacio terras populo linquente Canopi
Ægypti madido danteque terga solo:
Protinus Isràel validissimus ivit in hostes,
Protinus est Jacob divificata domus.
Ut vidit pelagus, Thetidis fugère jugales
Jordanes versis est retrogressus aquis.
Montani saltus exultavère jocantes,
Ut teneras Aries exilit inter oves.
Contigui colles etiam duxère choreas,
Non secus ac ludit parvulus agnus agro.
Dic Cur littoreas, æquor non lambis arenas?
Cur aliò cursum marmora salsa movent?
Dic. Tu Jordanes retrò moderatus habenas
Undè timor, prisco non remeare gradu?
Jam scio. Nam Domini facies præceptat Olympi
Ut sic unda fluat, motaque terra tremat.

Ad

Ad Domini juſſum lapides in ſtagna liqueſcunt
    Vertitur in fontes officioſa ſilex.
Sit tibi Cœlipotens, non nobis omen honoris
    Laude ferax, Nomen pervolet aſtra tuum.
Te petat omne decus, ne gens infida cachinnis
    Illudet fando; Qua manet æde Deus?
Turba procax ſileas; noſter Deus, Æthere tectum
    Fixit, & omne ſibi quod placet orbe patrat.
Ethnice te pudeat, qui ſculptile marmor adoras,
    Qui colis infeſtos aurea ſigna Deos.
Sunt ſimulacra viri, manibus conſtructa fabrilis,
    Sivè ſit argenti, ſivè ſit æris opus.
Os illis oculique manent; ſed lumina nullum
    Aſpiciunt lumen, nec fluit ore ſonus.
Sunt illis aures, ſunt nares, ſed nec inani
    Aure ſtrepit ſonitus, nare nec aſtat odor.
Quid prodeſt geminas habuiſſe manuſque, pedeſque?
    Non graditur talus, tangere dextra nequit.
Illos hæc etiam tangant & fata, locantes
    Auxilium ſtatuis, ære ſalutis opem.
Nam nos progenies Jacob, ſpem ponimus uno
    Numine, ſub clypeo cùm juvat eſſe ſuo.
Sic Aaron genimen, non deſinet eſſe fidele,
    Empyrei Domino dum ſuus aſtat amor.
Speranti in Domino, Dominique profata timenti
    Eſt illi Dominus tegmen, & alma ſalus.
Is memor eſt noſtri, nobis benedicit, & unà
    Ditat, ſed cornu fertiliore domum.
Adiiciet natæ ſoboli, prolique futuræ
    Munificis terræ non caruiſſe bonis.
Ille Sator rerum, campos plaſmavit, & Axes
    Ille regit ſtellas, ille gubernat humum.
Pro ſe ſiderei ſedes ſervavit Olympi
    Terræ Terriginis infima regna dedit.

Non qui ſemianimis malè mergitur æquore culpæ
Te canit, aut laudum congrua dona dicat.
Ille minus, ſtygiâ qui jam tumulatus abyſſo
Luget, Cerberei ludicra præda canis.
Nos, Nos, vitali qui verè vivimus ævo
Laudum Præcones., nos tua turba ſumus.
Nos erimus tales, dum Cœlis aſtra micabunt
Donec erit tellus, æquora donec erunt.

PSALMUS CXVII.

Qui incipit.. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam. Epinicium Pœanque triumphalis, ob aſſecutam divinam pietatem à Propheta regali, quapropter lætanter intimat propitiatoria ſolemnia, celebranda Hieroſolymis, & in Dei templo.*

CARMEN.

EJa Deo modulare ſonos; fer plectra Choraulis,
Eſt ſuper omnigenâ nam bonitate bonus.
Traxit ab æterno Pietas natalia ſecùm,
Hæc aderit totâ poſteritate comes.
Isràel referas Diæ probitatis honores,
Concine divitias Tu miſerantis Heri.
Te proles Aaron Domini Clementia tangat.
Illius ad laudes fila canora move.
Vos pavidi ſolio qui Majeſtatis adeſtis
Armonicis numeris accumulate melos.
Ipſe quidem (clades cum me peſſundaret omnis
Immenſi moles opprimeretque mali)
Ad Dominum mea vota tuli, citus ille precantem
Audiit, & votis ſtella benigna fuit.
Si mihi præſidium Deus eſt, quid pulvere natus.
Lurida quid mortis præda, nocebit homo?

Ho-

Hoſtilis temnam minitantes agminis auſus
    Deſpiciam gladios, deſpiciamque dolos.
Quàm melius ſperare polo, quam fidere terræ!
    Ah me non teſtis certior, alter erit.
Quot gentes, quæ bella truces vomuere Gygantes?
    Sylvarum dentes non acuere feræ?
Ante meos cecidere pedes, nemorumque Leones,
    Armaque bellantum nil valuere Ducum.
Innumeræ quamvis acies, eſſentque phalanges
    Non ſecus innumerum proſilit agmen apum.
Crediderant fatui pugiles, me perdere, qualis
    Urit dumeti torrida flamma vepres.
Futilis illorum labor excidit, Ipſe triumphos
    Sum nactus, Domini ſi mihi nomen erat:
Ut ruerem quantas meditatus es improbe fraudes?
    Sed me ſidereæ ſuſtinuere manus.
Eſt Dominus virtus mea, inexpugnabile robur
    Aere lux, terris gratia, portus aquis.
Clanget io, Pœan, Juſtorum buccina: cantet
    Plaudentum modulos ædis amata Deo.
Inquiet. Omnipotens Domini dat dextera palmas;
    Illaque Davidicum vexit ad aſtra decus.
Siſte tuos Vox alma ſonos, jam vivimus: In me
    Alas expandet non libitina ſuas.
Quin melicis pangam chordis operoſa Dynaſtæ
    Geſta mei, quantum laudis opima micent.
Ah. Pater eſt dulcis, Rapuit ſi quandò flagellum
    Arguit, Infernis haud ſepelivit aquis.
Ejà Sacerdotes, templi reſerate penates
    Me juvet in veſtra figere ſede pedes.
Et juvat iſta loqui: Juſtis ſi panditur ara
    Cernuus antè tuos hæc memorabo lares.
Cœlipotens Numen, precibus non ora negaſti,
    Adfuit at votis uſque benigna Charis.

Ille

Ille lapis, lapis ille, prius neglectus, ut arcem
Sustinet! utque caput fulcit utrumque latus!
Undè mihi tam grandis honor? dedit ista Toparca
Cœlicus, hæc oculis suntque stupenda nimis.
Hanc Dominus lucem vexit super Alitis alas
Non tulit igniferis Cinthius ortus equis.
Gaudia magna sonent, festiva tripudia surgant
Lætantes plausus exigit ista dies.
His adsis qui corda vides, regis astra, Sacerdos
Dulcisonum terris & benedicat ebur.
Omnis ad hæc igitur properet solemnia pubes,
Præcipuè sacris officiosa veni.
Funde rosas hilaris, manibus da lilia plenis,
Ad cornu altaris germina floris eant.
Atque Ego sic grato complebo festa canore,
Congeminans sacris & mea plectra sonis.
Isacidum Domino, laudum cataclysmus inundet
Quandoquidem bonus est, & miserator Herus.

PSALMUS CXIX.

Qui incipit. *Ad Dominum cum tribularer clamavi, & exaudivit me.*

Regalis Propheta sui exilii deplorat ærumnas, & invebitur adversus maledicos.

CARMEN.

CLamavi ad Dominum, fatis cum raptus acerbis,
Me super angòrum præcipitarat hyems.
Omnipotens nostros exaudiit axe rogatus,
Non passus vacuas Supplicis ire preces.
Rex meus ajebam, labio, linguaque nocentum
Me redimas oro semper avente dolos.
Dente quid est pejus, quid sævius ore maligno?
Non mage tabificum vipera virus alit.

Lin-

Lingua procax, ullis haud eſt obſtricta catenis
Dediſcit frænos, & ſine lege furit.
Eſt ea roboreis ulnis vibrata ſagitta
Eſt adigens ſubitas infera pruna neces.
Hei mihi cum populis rebar me vivere Cedar
Dum ſeros duxi, morte morante, dies.
Inter frendentum genus exitiale luporum
Vixi Ego, lanigero de grege qualis ovis.
Cum non pacificis, pacem fœduſque colebam
Haud odiis aditum, pectora noſtra dabant.
Ingratis gratis heù me impugnare jubebat
Tuncque humilis fando plus Ego mitis eram.

PSALMUS UCX.

Qui incipit. *Levavi oculos meos in mõtes, undè veniet auxiliũ.*
Elevat Propheta oculos ad montes Jeroſolymæ, undè auxilium ſperat, & exaudita eſt ejus deprecatio propter obtentam à Domino cuſtodiam.

CARMEN.

AD Solimam triſti direxi lumine vultus
Aſſiduè noſtras, imbre rigante, genas.
Aſpexi, ſi fortè Spei ſe proderet Eos.
Quæ mœſto poſſet ſpargere corde jubar.
Non fruſtra aſpexi; ſiquidem cœleſte levamen
Aſtitit, auxilio ſe tulit ipſe Deus.
Quid timeam, ſi Numen opem dat? Sceptriger ille
Qui traxit Cœlos è nihiloque ſolum?
Abiiciam trepidos animos, curaſque, metuſque,
Si mihi ſubſidium Conditor orbis erit?
Ille pedem titubare vetat per inhoſpita ſaxa,
Et facit ut ſurgat firma columna poples.
I formido procul, ſum cuſtoditus ab illo,
Quem nunquam ſomnus, nec ſopor ullus agit.
Dor-

Dormitare nequit vigilans ad ovilia; fidus;
Paftor, & Isràel hoc Duce tutus ovat.
Ille mihi tegmen, dextram facietque potentem;
Ut victrix femper laurea ferta metat.
Ignefcat Cœli mediâ Sol arduus æde,
Non artus uret fervida teda meos.
Frigeat humenti nox prætextata tenebrâ
Decidet ad noftrùm nulla pruina malum.
Sit dixiffe fatis, tutamen habere Tonantis,
Corporis eft virtus, eft Animæque falus.
Ergo ubi confiftam, vel quas convertar ad oras
Sis famuli cuftos ò Deus alme tui.
Ex nunc; quod moritur præfentis temporis œvo
Ufque ad fupremum, quod fine fine fluet.

PSALMUS CXXI.

Qui incipit. *Lætatus fum in his, quæ dicta funt mihi.*
Defiderium palantis Regis Davidis, & fpes redeundi Jerofolymam, quæ figurans cœleftem Patriam in ea omnis beatitudo, fas eft ut contineatur.

CARMEN.

O' Quæ feftivo concepi gaudia vultu;
Cum caperem tales aure bibente notas!
Ibimus ad Dominum, Solimæ revidebimus Urbem;
Eft quæ facra Deo tempus in omne domus.
Quantum fœlices noftri vixere Parentes
Immotos Solimâ cum ftatuere pedes!
Et memores nos effe juvat: ftant mente repoftæ
Patrum lætitiæ, gloria magna Ducum.
Illùc Abramii generis faliere cohortes
Fixerunt greffus, Ifacidumque chori.
Omnes ad Dominum præconia fumma ferentes
Pfalterii numeris, armoniæque fonis.

Illìc

Illìc æternùm ſubſellia prima merebunt,
Qui modò Davidicâ jus ſuper æde tenent:
O' quos ad Patriam vos impetit ardor eundi,
Pro Patriâ crebras fundite corde preces.
Scilicet ut Dominus manſura ſedilia pacis
Fundet ibi, pacis nomina ſicut habet.
Turribus inque ſuis ubertas plena redundet,
Incolaque in cunctis affluet indè bonis.
Evenient: Agnatus amor, concordia Fratrum;
Nobilitaſque domus, omina tanta petunt.

PSALMUS CLXII.

Qui incipit. *Ad Te levavi oculos meos, qui habitas in Cœlis.*

Dirigit ad Numen deprecationes ſuas, ut ſui miſereatur, & confundat ſuperbos ipſi detrahentes.

CARMEN.

AD Te oculos, ad Te præcordia tota levavi,
O' qui Cœlorum Rex ſuper alta ſedes.
Qualiter Ancillæ Dominam proſpectat ocellus
Si det recluſâ munus herile manu,
Taliter ad noſtrum vertuntur lumina Numen;
Munificæ fundat ſi pietatis opes.
Ah noſtri miſerere Pater dulciſſime: cerne
Opprobriis quantùm turba ſepulta ſumus!
Sterne precor tumidos animo, tere perfida probra,
Et qui deſpiciunt, deſpiciantur agas.

PSALMUS CXXIII.

Qui incipit, *Niſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Isràel.*

Rependit Propheta David grates Altiſſimo, ex eo quod omnipotenti ſuo brachio redemptionem noverit.

CARMEN.

SI Deus omnipotens, non nobis Numine dextro
    (Bis canat Isràel) Auxiliator erat:
Forſitan eſſemus ſub humo, jam pulvis, & oſſa,
    In Nos cum fureret pernicioſa cohors.
Quid, quod, degentes forſan nos ore voraſſet
    Ut fera, quæ vivæ pabula carnis amat.
Cùm furor illorum ſæviret more procellæ
    Credibile eſt mediis ut moreremur aquis.
Attamen inſanos furioſis fluctibus æſtus
    Currimus incolumes, luce favente poli.
Laus tibi tota Deus, qui nos è dentibus hoſtis
    Feciſti exemptos, nec necis eſſe reos.
Sic liber libitinam evaſit Spiritus, uti
    Venantis paſſer rete ſolutus abit.
Eſt laqueus contritus io, ſunt vincula fracta,
    Contigit hinc lethi nos procul ire manu.
Ad Dominum Sabahot clamavimus, adfuit ille
    Fultor amans, Cœlum, quique creavit humum.

PSALMUS CXXVI.

Qui incipit. *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum.*
Adſtruit David humanæ fiduciæ vanitatem, reponit ſpem in divina, quæ ſuos electos ſelicitat.

CARMEN.

NI Faber æthereus, manſuras extruat ædes,
    Futilis Adamides conditor omnis erit.
Et niſi ſit Dominus, qui civica mœnia ſervet,
    Excubias fruſtrà bellica turma teret.
Quid juvat è ſtratis languentia ſolvere membra
    Cum non exorti ſint Phaetontis equi?

Va-

Vanus amor lucis, quæ non dum ſidera vicit,
Illis qui panem fortè doloris edunt.
Surgite, ſollicitis poſt didita fœdera curis
Non importunè quandò ſedere datum.
Cœlicolis carus, quamvis mergatur in umbris
Veſperis, & ſomno lumina feſſa dicet.
Divitias tamen, & Gazas opulentus habebit,
Prolis ponè ſequens, advenietque decus,
Exiet excuſſis hinc Patribus, illa propago
Fortis, ut eſt forti jacta ſagitta manu.
Fœlix Vir, pharetram jaculis qui repleat iſtis
Objurgans hoſtem, proteret antè fores.

PSALMUS CXXIX.

Qui incipit. *De profundis clamavi ad Te Domine, Domine exaudi.*

Queritur Citharedus Propheta exilii miſerias. In divina ſpe, anchoram firmat, nec de ſua redemptione dubitare poteſt.

CARMEN.

E' Terræ barathro fudi mea vota, preceſque,
Ad Te Cœlorum, qui ſuper aſtra ſedes.
Dixi Vociferans: Orbis Dominator, origo
Lucis, ad humanos carbaſa flecte ſonos.
Auritum non eſſe nega, ſi ſupplice vultu
Si lacrimis madidus, Te rogitare velim.
Obſecro: Diſtricto nolis examine noxas
Pendere Terrigenûm, nevè librare nefas.
Si ſecus annueris, Diis armaria telis
Ob ſcelus Adamidum mox vacuanda forent.
Hei mihi, quot cauſæ ſurgunt, ut vindice dextrâ
In ſtrages hominum fulmina cuncta vibres?

Iras pone precor Themidis, placabilis esto;
Exere perpetuas ah pietatis opes.
Dura quidem Te propter Ego præcepta subivi,
Nec semel ad vires aspera jussa meas.
Ast onus excepi, pondus non terga negarunt
Sidereos nutus laus tolerare fuit.
In Domino sperare Sion, sperare memento,
Seù nox præcipitet, seù referetur Eos.
Servat inhexaustas miseratio Numinis arcas
Proh quantum cornu divite, gaza fluit!
Ulteriùs tortis sic non religabere loris
A' lethi vinclis sic redimère Sion.

PSALMUS CXXX.

Qui incipit. *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt.*

Propheta regalis superbiam detestatur, sensus humiles amplectitur, & hujusmodi documenta dat Israelitico populo.

CARMEN.

HEù procul ut fatuo tumeant præcordia fastu,
Ut mea mens vano surgat ad alta gradu.
Non oculos sursum tollam Deus alme superbos,
Ast illos imâ figere conar humo.
Me super ecquandò vestigia grandia rexi?
Longiùs à miris juvit abire viis.
Si sensus humiles odi, si vilia fugi,
Turgentes animo si placuere soni:
Tu Numen puni temeraria pectora, plecte
Cervices, laudum quas tumefecit amor.
Fundere cœlestes noli dulcedinis imbres,
Torrentis superi roscida dona nega.
Ceù ablactato nuper de Matre puello,
Non datur à dulci sumere fonte cibum.

Isa-

Isacides ergò, vero gens vota Tonanti
    Accipite exemplis hæc documenta meis.
Esse humiles genio, hæc est excellentia major,
    Secura est modicas, quæ ratis intrat aquas.
Vos scitis quantum sonitus nocuere Gygantum,
    Quæ mox linguarum parturiere chaos.
Fidite ne gladiis, manibus ne fidite vestris
    Summa Spei, solum sit coluisse Deum.
Ille etenim dextram de Cœlo porrigit illis,
    Qui ne præcipitent infima scamna petunt.

PSALMUS CXXXI.

Qui incipit. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.*

Rememoratio voti David de templi, & domus Domini ædificatione, pro quo precatur Dominum, ut sua promissa adimpleat.

CARMEN.

DAvidis esto memor Numen: reminiscere quantùm
    Extiterint Famuli mitia corda tui.
Te precor. Haud Dio labatur pectore votum,
    Quod feriit, tali fictus amore sono.
Omnipotens si quandò lares habitare juvabit
    Marmoribus structos, auriferisque tholis.
Si sopor adveniet, si vincet lumina somnus
    Inter gemmiferos inter & ostra toros:
Non umquàm sedis meminisse pigebit, & ædis,
    Quam tibi moliri mens, animusque cupit.
Illa manent imo fundamina condita corde,
    Et quæ conspiciet sidera celsa domus.
Dispeream, si me capient oblivia templi,
    In quo Mysta tibi thura cremare volet.

Ap-

Appetit hos Genius ſacros fabricare penates,
Et dum non perago, vita dolore perit.
Audivère locum Patres, quod in Ephrate ſylvâ
Arca locanda foret Numinis ætherei
Ibimus ad lucum venerantes, ſurget ibique
Templaris moles, machina vota Deo.
Omnis adorabit populus ſacraria: quandò
Oſcula mille dabit, quo requieſcet agro.
Mi Deus intereà, Gabaòna, Silònaque linque,
Ad noſtras propera vertere ſigna plagas.
Quippè Sacerdotum, Levitarumque canentum
Occurret Solymâ de regione chorus.
Juſtitiæ tegumenta geret, meliora vel oſtro
Aut auro, lætis pſallat ut ille notis.
Cœlipotens mea vota nega ſint ludicra ventis;
Sed rata ſit ſervo ſponſio facta tuo.
Tùm cùm juraſti, de ſemine Davidis uſque.
Purpureas chlamydes, Imperiumque fore.
Natorum Natos, & qui naſcentur ab illis
Seſſuros Regum tempus in omne throno.
Illo dixiſti requieſcere velle ſedili,
Illicque electas concelebrare moras.
Ore tuo Viduas benedices, pane replebis
Confectos durâ, nocte, dièque fame.
Pontifices, pluſquam gemmis ornabis amictu
Virtutis, Charitum ter polieſque ſtolâ.
Ejà age Davidicum cornu, ſuper Æthera tolle,
Rex exercituum, ſceptra parata leva.
Non niſi ſplendorum comitentur munia Chriſtum,
Tempora reſperſum roris oliviferi.
Et velut ipſius confundes acriter hoſtes,
Ne famulo noceant Martia caſtra tuo:
Sic ſuper illum Sanctificatio Dia redundet.
Floreat, ut verna flos adoleſcit humo.

PSAL-

PSALMUS CXXXVI.

Qui incipit. *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & flevimus.*

David in persona Jeremiæ, captivi, figuraliter exprimit fletus, & questus populi Judaici.

C A R M E N.

SEdimus heù flentes, tumidæ Babylònis in amne
Esse tui memores juvit ut alma Sion.
Conticuit citharæ dulcor, siluere canores
Torpuit ad melicum dextera læta sonum.
Fluminis in medio suspendimus organa nostra
Ad ripas vidit pendula plectra salix.
Agmina, captivos quæ nos fecere, rogabant,
Cantate Hebraicis dramata vestra notis.
Cur non mellifluis geminatis vocibus hymnos?
Promantur dulci carmina mixta chely.
Ah Domini cantus, alienâ quomodò terrâ
Quibimus arguto sollicitare tono?
Non peregrinus ager lætantia barbita poscit,
Respuit alliciens hospitus axis ebur.
Immemores Solimæ forsan Nos esse decebit?
Immemores manuum fas erit esse prius.
Faucibus hærebit, nec reddet lingua loquelam,
Si poterit Patriæ non meminisse suæ,
Cara Sion, Tu sola lyræ dabis orsa cânoræ,
Unica Tu numeros pectoris arce trahes.
O' Pater Omnipotens, reminiscere seminis Edom,
Audentis, populos exanimare tuos.
Tu cape vindictas; Babilonys filia multum
Sævire in nostrum gaudet ubique genus.
Audimur. Fœlix Mater, quæ fûnera proli
Ne ferat, ad petras pignora nata terat.

Nos

Nos tunc Isaciis modulabimur organa cannis;
Illaque tunc noster Nœnia, cantus erit.

PSALMUS CXXXVII.

Qui incipit. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam.*

Urget se ipsum Propheta, ut in divinas laudes prosiliat. Gratias agit de muneribus acceptis, & sperat majora, in futurum, cum sit Dominus, exauditor humilium, & despector superborum.

CARMEN.

Quot mihi sunt vires, quot fervent pectore fibræ
Roboris ò quantùm Spiritus intus alit.
Omne tibi sacrabo Deus mea gloria: laudum
Scilicet, ac Charitum dupla tributa feram.
Quandoquidem nostris flexisti vocibus aures
Migrarunt vacuum nec per inane preces.
Ipse Ego vobiscum pennatæ gentis Ephebi
Intexam cantus, ingeminabo sonos.
Cernuus ad Domini per templi limina vultum
Ipsius toto Numen honore colam.
Et Nomen, quod terra simul veneratur, & Æther
Laudibus immensis bis super astra feram.
Quam pius es dicam! quam verus! ad omnia promptus,
Isacidum soboli quandò favere juvat!
Quis stupor? Anne suprà non eminet omne creatum,
Virtus divinâ quæ bonitate fluit?
Quandocumque igitur Te Rex æterne vocabo,
Exaudi famulas Tu miserate preces.
Evenient. Animo, virtutum germina crescent,
Intus prosiliet multiplicata Charis.
Ejà polo terræ veniant ab utroque Dynastæ,
Et Regum Regem Te fateantur Herum.

Auscul-

Auſcultent poſitis ſceptris, jactiſque coronis,
Quæ manant labiis omnia verba tuis.
Mox adeant ſacros calles, tua grandia cantent;
Solius eſt etenim gloria vera Dei.
Quid majus, ſuperi quam culmina tangere Cœli?
Quid ſimul, hæc imi cernere Regna ſoli?
Cumque vides mortale genus, turgeſcere faſtu
Avertis vultus, & tua dona negas.
Heù procul ut buccis inſter crepitantibus Ipſe,
Semper apud Dios me decet eſſe pedes.
Sic ferar incolumis, licet ærumnoſa procella
Me feriat, quævis vel vomat ira minas.
Me tua ſervabit mediis in ſyrtibus, illa
Quæ me protexit tempus in omne manus:
Tu Tibi retribuas pro me: ſum vilis, ineptus
Ut reddam grates, efficioſus Ego.
Sat mihi, ſi dicam, Pietatis curvus ad Aram
Ne quod plaſmaſti deſpice Numen opus.

PSALMUS CXLVII.

Qui incipit. *Lauda Jeruſalem Dominum, lauda Deum tuum.*

Invitat David, Jeruſalem, ut laudet Deum ſuum ob cuſtodiam, quam ergà eam exbibet, & propter munificas benevolentias, tam temporalis boni, quam gratiæ ſpiritualis.

CARMEN.

DA Solimè, Domino laudum cumulata fluenta;
Tuque tuum Regem magnificato Sion.
Aſpicis, ut ſudibus portas munivit! ut Arci
Junxit ferratis oſtia dupla feris!
Et modò de Cœlis, Charitum non fundere ceſſat
Nimbum, quo proles ſit tua plena bonis.

Ille tulit pacem, qua nunc pinguefcit olivis
Campus, & è culmis area fœta tumet.
Non tibi dura fames: prælo fervefcit Jacchus,
Exiliunt pariter Liber, & alma Ceres
Ille citis gradibus Verbum demittit Olympo,
Eloquioque favet, fuppetiifque juvat.
Si borealis hyems floccorum fyrmate prodit:
Dat lanas etiam, frigora ne noceant.
Menfurâ nebulæ Jovis arva nigrore tegentis,
Dat cineres, calidus luceat undè focus.
Cùm fluet æthereis glacies criftallina tectis
Buccellæ totidem congrua dona parat.
Quis poffet brumas aliter fufferre, geluque
Ni tua præftaret munia Dia manus?
Te mandante ruit liquefacta cacumine montis
Nix, ut in irriguas præcipitetur aquas.
Cætera quid referam, cùm mittis nuncia Jacob?
Infinuas populo cum documenta tuo?
Hæc melius taceam; Nam quo pietatis amore
Sis nobis fautor, dicere lingua nequit.
Hoc addam. Nulli Tu munia talia genti
Es dare dignatus, cor referare tuum.
Sit Tibi fummus honos igitur. Solimèque, Sionque
Divinas laudes femper in orbe canant.

PSALMUS CI.

Qui incipit. *Beatus Vir, qui timet Dominum.*
Recenfet David bona, quæ contingunt timenti Dominum.

CARMEN.

VIr Dominum metuens ò terque, quaterque beatus!
Numinis ad legem mens fua tota volat.
Illius afcendet femen faftigia terræ,
Florefcet, verno ceù rofa ridet agro.

Omni-

Omnipotens, Cœlo charites effundet aperto,
Prospera Rectorum semita semper erit.
Non sua deficiet Pietas abeuntibus annis,
Nam decus, & nomen Fama futura canet.
Cum ruet in tenebras piceus caliginis horror,
Et rapiet niveum densior umbra jubar:
Illi lucis iter Dominus reserabit, & ortum
Auroræ ostendet, ne sua crura cadant.
Qui Pietas eadem est, Bonitas, Prudentia, Virtus
Desinet esse bonus? desinet esse pius?
Absit. Gaude qui miseros solaris, & ægros,
Fœnore qui nullo porrigis æris opem.
Adveniet tempus, quo Judicis ora Tonantis
Pro te profari verba benigna volet.
Intereà casus, nullasque timebis abyssos,
Ut scopulus stabis firmior inter aquas.
Nulla super Justo venient oblivia lethes,
Et frustrà probris, improba lingua fremet.
Illius ad Dominum mens versa, nec alma fatiscet
Spes, semper fructu nata virere novo.
Motibus haud ullis agitabitur, hostica donec
Aspiciet talis arma jacere suis.
Hæc meret Astreæ Tutor, servator, & æqui
Qui bona dispersit, pauperibusque dedit.
Divitiæ crescent, & crescet gloria, quale
Gliscit ab injunctis flexile flumen aquis.
Impius hæc cernet, stimulis perfossus iniquis,
Invidus irato dente venena bibet.
Sed desiderium, & scelus execrabilis ævi
Cum Peccatorum, quàm citò fine ruet!

PSALMUS CXII.

Qui incipit. *Laudate Pueri Dominum.*

Invitat innocentes pueros, ad concinendas Deo laudes; exaltanti humiles, & fœcundanti steriles.

C A R M E N.

NUminis in laudes, Pueri reserate labella,
  Et celebrate poli, gutture lactis Herum.
Illud Heri Nomen super æthera tollat Ephebus
  Cujus ad imperium cuncta creata tremunt.
O' iterum, Domini Nomen sit laudibus uber,
  Dum terræ moles, donec Olympus erit.
Sol ubi Memnonio cunas nanciscitur orbe,
  Atque ubi Iberiacas occidit inter aquas.
Sit Nomen Domini, teneris resonabile linguis,
  Innocui cordis sitque jugatus amor.
An non trascendit populorum sceptra potentum?
  Nonne super Cœlos gloria Dia salit?
Quis sicut Dominus, qui quamvis incolat astra
  Non minus inferius respicit inde solum?
Erigit ille humiles, non dedignatur egenos
  Quos levat è cœno, suscitat èque luto.
Ut cum Principibus, mox det consortia regna,
  Qui Populo præsunt, jure reguntque suo.
Ipse etiam sterilem, prolis facit esse parentem
  Gaudeat ut læto conjuge castus hymen.
Omne decus tibi sit Deus alme, potensque, canoras
  Infantum vocem qui facis esse tubas.

P S A L M U S C L.,
& u l t i m u s.

Qui incipit. *Laudate Dominum in Sanctis ejus.*

Invitat Æthereæ Aulæ canoros Spiritus, ut cum musicalibus instrumentis ad eorum Creatorem laudandum ferantur, & hoc æstro, psalmodiam terminat.

CAR-

CARMEN.

Quisquis adeſt, rerum Domino præconia cantet
Numinis Indigetum Nomen, ad aſtra ferat.
Quin ſuper Empyreas ſedes, ſuper omnia Mundi
Ardua, Cœlicolum laus voveatur Hero.
Materiam laudis ſua det fortiſſima Virtus:
Sidera cui parent, cui famulatur humus.
Inſuper inflet ebur, Majeſtas illa Toparcæ,
Qui teres immenſo continet omne ſinu,
Non igitur pigeat ſonitus urgere tubarum,
Non dulcis citharæ ſollicitare fides.
Tympana tangantur, ſe tollant organa, quantum
Flaminibus poſſunt plena regeſta ſuis.
Cimbala vos etiam Domino ſacrate canores,
Regis ut in laudem Spiritus omnis eat.
Sic divinus Olor, clauſit ſua carmina: Cantus
Vix Vati ſimiles, Cœlica ſphæra dedit.

SALOMONIS PROVERBIA

Hæc oracula, quantum aliis proficua, tantum ab Authore ſapientiſſimo infœliciter non adimpleta. Lib. 4. Eccleſiaſt. cap. 1.

CARMEN.

Nunc agè paciferi mihi fer proverbia Regis;
Et cane fatidicos Calliopea ſonos.
Sic inquit Salomon. Sapiendi porrigit orſum
Numinis ætherei tempus in omne Timor.
Nate, tuas noſtris apta ſermonibus aures
Æternùm Matris jura tuere tuæ.
Gratia ſic capiti dabitur, colloque monile:
Splendeſces, auro ceù religatus onix.

Nul-

Nullus amor, comitem nocuis te jungat Ephebis
    Heù fuge præcipites Ditis ad ima vias.
Si Te noſtrarum tanget cuſtodia legum
    O' quæ vivendi tempora longa manent!
Fide Deo, ne crede tibi, da prima Tonanti
    Munera, ſeù frugum, ſeù parientis ovis.
Nam ſic ridebit pingui vindemia Baccho,
    Et veniet plenâ ſpicea meſſe Ceres.
Nate, meretricis te ſubtrahe longius ore
    Quid faciet pellex, ni laniare lupa?
Illius ambroſio ſunt illita labra veneno,
    Et ſunt fucato fallere docta dolo,
Pes Herebi calles amat, ac vertigine pronâ
    Occiput infernos gaudet adire ſpecus.
Ne voveas annos crudeli; ſed nec honorem
    Des Alienigenæ: ſtent tua cuncta tibi.
Sic Sapiens ſolimos Populos inſtruxit, & orbem;
    Sed voluit ſoli deſipiiſſe ſibi.

EJUSDEM

Proſequuntur alia documenta, tangentia Sapientiæ præconia. Incipientia. Numquid non Sapientia clamitat. Lib. Eccleſiaſt. cap. 2.

CARMEN.

NUmquid in altiſonam vocem Sapientia clamat
    Per juga, per valles, per fora, perque vias?
Hùc aures, hùc corda Viri. Divina profabor
    Auritos noſtris vos decet eſſe ſonis.
Non auri maleſuada fames, captivet amores
    Pectoris, haud animos fulva catenet humus.
Pallidus ille color, taciti dans ſigna doloris
    Æs, monet innumeri criminis eſſe reum.

Eſt

Eſt decus humani generis ,] Prudentia tantùm
Eſt Virtus meriti, gloria ſola viri,
Qui Sapiens, hic dives erit, licet arcula nullos
Contineat nummos, ſint ſine luce foci.
Ipſa Ego conſiliis habito Sapientia: doctis
Interſum mentis ſollicitudinibus.
Perſequor audaces faſtus, exoſa tumentum
Corda, nec errantum compita prava ſequor.
Eloquium mendax proh noſtris exulat oris
Odi fallacem, quæ fluit ore notam.
Ad me judicium recti, dictamen & æqui
Pertinet, utque comes, nat propè nata Themis.
Mecum ſtat legum tabulis patefacta voluntas,
Et robur cunctis exitiale malis.
Per me regali Proceres diademate cincti
Sub ſolio regnant, ſceptra manuque regunt.
Imperiis ortus Ego do, metaſque recludo,
Et per me prudens Arbitrer, æqua librat.
Ipſa licet tenues, hominum complector amores
Cernitis ut pariles do redamando vices!
Fœlix, qui me mane vocat: Veniamque vocata
Scilicet ætatis flos tener ille placet.
Qui piger, & ferus, veſtigia noſtra requiret
Areſcet Ditis ſub penetrale citus.

PROSEQUUNTUR

Salomonis Parabolæ, adſtruentes omnium rerum ſublunarium culmina, eſſe puram vanitatem, & Spiritus afflictionem. Lib. Eccleſiaſt. cap. ſeq.

CARMEN.

OMnia vana quidem ſunt, quæ ſub Sole tuemur.
Nos & futilium maſſa caduca ſumus.

Quid

Quid lucratur homo, requies cum nulla labori?
It, redit humanum (terra ſtat una) genus.
Sol oritur, mediique vias ſecat arduus axis.
Protinùs occiduas æquoris intrat aquas.
Aſpicis, ut vaſtus voret omnia flumina pontus!
Mox terræ revomit, rurſus ut illa fluant!
Dixi Ego: delicias inter, mea vita meabit
Quot ſunt blanditiis omnibus, Ipſe fruar.
Ah numquam cupido venit completa voluptas,
Heù non illecebris cor ſatur eſſe poteſt.
Poſsèdi ſervos Aulâ, famulaſque puellas
Dulciſonum doctas ingeminare melos.
Quam dives pecoris! ſtabuli quam dives equorum!
Non fuit in toto ditior Orbe domus.
Argenti pondus quaſi viluit: Ophiris aurum
Eſt viſum noſtro dignius eſſe penu.
Non tamen in gemmis ſum gaudia nactus, & arcis.
Agnovi terræ ceù nihil eſſe bona.
Omnia tempus habent, norunt ſua tempora ſtellæ
Cum plantare decet, vellere ſivè juvat.
Naſcendi tempus, pereundi tempus, & ævi,
Et mortis, tangit ſtamina, Parca triplex.
Eſt, & ridendi tempus, tempuſque gemendi
Nunc fas profari, nuncque ſilere bonum eſt.
Quid quod bellandi tempus, pugnaſque ciendi
Eſt & pacificos tempus habere dies.
Nil ſub Sole novum, parili moderamine, quæ ſunt
Quæ fuerint. Varias ſæcla dedere vices.
Cum ſic cuncta fluant, nec ſit durabile quidquam
Ritè canit Sapiens, omnia vana quidem.

ECCLESIASTES

Oracula Sapientiam, & veros Sapientes celebrantia. Lib. Eccleſiaſt. cap.d.

CAR-

CARMEN.

DIlige Juſtitiam legum Moderator in Orbe
Quære bonâ cordis ſimplicitate Deum.
Replevit Domini terrenum Spiritus Orbem,
Illa ſcientificæ munera vocis habet.
Ingreditur reprobas nunquam Sapientia mentes;
Sed nec fœdatum crimine corpus amat.
Numinis in dextrâ, Juſtorum Spiritus aſtat,
Tormento mortis non Libitina nocet.
Eſt oculis viſus fatuis, occumbere letho
Aſt immortalis ſemina pacis alit,
In paucis ſi quandò malis obnoxius hæſit
Extulit in majus, gloria deindè decus.
Non ſecùs ac aurum, Dominus fornace probavit
Cœlorum Regi, victima grata fuit.
Innocuus fulgeſcet homo, velut advolat inter
Lampas arundineum flamine mota rubum.
Hic Populis mandata dabit, ſceptroque potitus
Ortus, & Occaſus ſub ſua jura fluent.
Impius at fructus expers ſine parte lucelli
Aſpiciet vacuos ire, redire dies.
Viribus eſt melior Sapientia, laudeque dignus
Plus prudens, quam qui corpore fortis, ovat.
Vos, qui Terrigenis Aſtreæ, lance præeſtis
Judicium Domini plus trepidate poli.
Scilicet exiguo pietas datur; inque potentes
Flagitii vindex pœna potenter aget.
Ad Vos ò Reges ergo, mea diſcite verba
Quiſquis erit ſapiens ille beatus erit.

ALIA ECCLESIASTES

Effata de divinæ Palladis nobilitate. Lib. Eccleſiaſt. eodem capite.

CARMEN.

OMnibus ad vitam introitus patet unus, & unus
Exitus ad mortis limina, ſorte pari.
Sum Mortalis Ego, quamvis diademate compos,
Imperii quamvis culmina, lege regam.
De me Maternus tumuit non ſemine venter?
Non verſa in carnis maſſa liquata ſtruem?
Menſibus Ipſe decem, genitricis carcere clauſus
Obſcuri paſſus ſum penetrale ſinus.
Editus in lucem, communes luminis oras
Potavi, durum Me tetigitque ſolum.
Æqualem cunctis emiſi gutture vocem,
Lacteolæ lacrimis nec caruere genæ.
Faſcia contractas obſtrinxit fortiter ulnas,
Et ſi de gemmis, vincula plura tuli.
Cum ſic ex aliis puer indiſcretus abirem,
Ut ſaperem tantùm, mens mea tota fuit.
Optavi, ratioque mihi, ſenſuſque vocanti
Adfuit, ut ſcirem, quæ bona cuncta manent.
Agnovi ſolas doctis decuiſſe coronas,
Et quibus eſt animus quærere mente Deum.
Hoc ſine, quis poterit Cœli penetrare meatus?
Ut peragant curſus ſidera quæque ſuos?
Ardua ſi terræ res eſt agnoſcere cauſas
Quam magis æthereæ noſcere molis erit?
Aggravat hoc animam corpus, limoſaque ſedes
Impedit ut genius ſe per inane ferat.
Solus Adam quia primus erat Pater, omnia ſcivit
Poſteritate ſuâ defuit iſta Charis.
Hinc genus inſipiens, ignem, vel credidit aſtra
Terræ rectores, Axis & eſſe Deos.
Gens ſine mente quidem; nam Numinis unius extat
Hoc quod vel tellus, fert vel Olympus opus.

Quàm

Quàm melius, si per prospecta creata, Creantem
  Quæsissent, forsan se reserasset eis.
Tu nostros verax formasti Juppiter artus
  Figulus argillæ ceù simulacra facit.
Insufflasti animam, vitæ munusque dedisti
  Ore levis quandò prodiit aura tuo.
Heù sileant quid de Vates cecinere Prometheo
  Cunctorum est Opifex dextera sola Dei.

JESU FILII SIRAC

Documenta de Sapientiæ origine, & ejus effectibus. Lib. 1. Ecclesiastici.

CARMEN.

A Te cuncta fluit Sapientia, Dive Creator
  Te penès antè ævum, ceù fuit, est, & erit.
Quis vastæ Thetidis, sabulum percensuit omne?
  Quis pluviæ guttas dinumeravit aquæ?
Est ne aliquis, teretis mensus fastigia Cœli?
  An scivit quisquam, lata, vel ima soli?
Hoc penetrare tuum est solùm Sapientia munus.
  Te sine caligat, vir quasi lucis inops.
Tu Pallas, cerebro non fabula, fluxa Tonantis,
  Nec commentato progenerata Jove.
Per Te vir sapiens, Domini timet ilicet iras
  Verticis ille sui fit diadema pavor.
Qui benè sic pavitat, culpæ scelus omne fugabit
  Illius albescet cor, quasi canus olor.
Non aliter, Patiens modicos feret æquoris æstus
  Advenient pacis lustra serena brevi.
Nullus Spem Domino ponens, confusus abibit.
  Cum procul esse putas, cominus ecce manet.
Te ne quæsieris magis alta cacumina Fili.
  Fortia scrutari Te mage facta cave.

Quæ ſunt arcanis myſteria clauſa ſub umbris
    Non opus eſt oculis implicuiſſe tuis.
Heù fuge Te dubiis circumvallare periclis
    Qui diſcrimen amat, mox Lybitina teret.
Sis inopi largus, ſis & ſolamen egeno
    Sunt donatricis cuncta creata manus.
Talia commiſſas extinguunt munera noxas,
    Ut necat accenſas Najas uda faces.
Subjice Presbitero collum, Magnatis habenis
    Flecte animos: humilem gloria magna decet.
Robore pollenti, Valido ditione, reniti
    Ne velis, in fortem quid juvat ire Ducem?
Stultitia eſt contrà conari fluminis undas
    Tum cum præcipiti tramite vaſtat agros.
Ne ſis in famulos proprio lare, durus, & aſper
    Ut leo perpetuis, quem ciet ira flagris.
Ne Chiragræ morbo donando dextra laboret,
    Aut ad captandum munus aperta nimis.
Omne malum demum vites: Sapientia vires
    Talia quà peragas cum petis, illa dabit.

EJUSDEM ECCLESIASTICI

Proſequitur eadem materia, & inſtruitur univerſus Orbis ad amplectendum bonum. Cap. eod.

CARMEN.

ADde notas alias, aliamque profare Minervam.
    O' qui Terrigenûm Vir, genus omne doces.
Sic Ego: Cum properè divino Spiritus æſtro,
    Doctorem perflans hos parit iſte ſonos.
Nate tuis noli confidere viribus. Odit
    Luciferi domitor corda ſuperba Deus.
Ne dicas, patrata nihil mihi probra nocebunt,
    Tunc magè, fulminei flamma Tonantis adeſt.

Quiſ-

Quisquis erit, paveat quæcumque piacla remissa.
Ah sceleri fugias, agglomerare scelus,
Sis citus ad Dominum verti, perniciter alas
Indue, cùm veniam portat ab axe Charis.
Fili ne sulcis injuria semina tradas
Ne mala septeno fœnore falce metas.
Ne Te rere probum conspectum Numinis antè.
Omnipotens, cordis, mentis & ima videt.
Ne sis Justitiæ Præses, si forte potentum
Os timeas, astus nec superare queas.
Mendaces hominum linguas, perjuraque verba
Sic fuge, Venantum ceù fugit arma lepus.
Harpocratis Te tangat amor, farique recuses
Est ubi Mystarum lecta corona Ducum.
Jura dabit genti, sapiens æquissima Judex,
Talis erit populus, Rector ut Urbis erit.
Nummorum cupido, haud est infœlicior alter
Ætheris æternum perdit avarus opes.
Non super est iram Mulieris sævior ira
Evincit colubros, exuperatque Tygres.
Quid cinis, & pulvis, quid fumus & umbra superbis?
Non tibi prima Parens, ò homo terra fuit?
Est sublunaris contracta potentia quævis
Sic ut vita volat, quæ modò cępta cadit.
Aggravat ah Medicum prolixus languor, onusque
Fit minus, ut modicam sentit habere moram.
Dilige sidereum dum vivit vita Dynastam
Utque salutiferam fac prece præstet opem.
Omne animal, similis comitatum concupit. Æquè
Proximiore suo degere debet homo.
Si bona Fortunæ teneas, partire sodali
Dum non ad tumulum sarcina carnis iit.
Post obitum reperire dapes, apud Infera regna
Non est: auxilio nec tibi Pluto venit.

Omnia

Omnia sed super hæc. Cœli benedicito Numen
Ebrius æthereo sic eris usque mero.

A C H A Z

Modestè respuit signa, & portenta oblata à Deo, & versus ad populum Davidicum portendit signum redemptionis Israeliticæ, quando Jessæa Virgo, pariet suum Authorem, Christum Mundi Servatorem. Lib. Isaiæ cap.7.

C A R M E N.

AD famulum Cœli Rector, sic fatur Achàzum
Cur fugis à Domino poscere signa tuo?
O' pete portentum quodvis, pete signa Tonante,
Seù super astra velis, sivè sub ima stygis.
Non poscam respondit Achaz: Tentare Dynastam
Quid juvat æthereum? curvè molestus ero?
Tum domui David versus Rex, talia dixit.
Empyrei Domino, nè domus esto gravis.
Ipse dabit vestræ certissima signa salutis
Cum pariet sobolem nescia Virgo viri.
Pignoris Emmanuel nomen, dulcedine nomen
Confertum, ambrosiâ dulcius, atque favo.
Is mortale genus super astra locabit Olympi
Calcabitque suo tartara sceptra pede.
Tu Virgo fœlix, quæ primum mentis in arce
Concipies Numen, posteà ventre feres.

I S A I A S

Unus ex majoribus Prophetis, prophetat de adventu Christi. Cap.7. ejusdem libri.

C A R M E N.

O' Quæ lux oritur, populis habitantibus umbras,
Et mortis tenebras, sub regione stygis!

Ite

Ite Paleſtinæ gentes , haurite favores
    Cœli; captivet lumina, tale jubar.
Scilicet ille Dei robur, de Virgine Matre
    Parvulus eſt natus, Filius eſtque datus.
Gaudia veſtra cano: poſthàc opobalſama trunci
    Sudabunt, paſſim flumina melle fluent.
Jamque Canes, leporeſque ſimul commercia jungent
    Magnanimus comedet, bos quaſi fœna leo.
Illius Emmanuel nomen, ſæclique futuri
    Progenitor, pacis Legifer unus erit.
Tunc mala rubigo , Cereris non lædet acervos :
    Exurget mediis non paliurus agris.
Sponte ſua plenâ flaveſcent horrea meſſe
    Ultrò pomiferum veſtiet arbor onus.
Hæc ubi contigerint dabit aurea tempora Mundus
    Et cum ſideribus fœdera nectet humus.

I D E M

Prophetat de Adventu Regum Magorum ad præſepe. Lib. Iſaiæ cap.60.

C A R M E N.

AD fontes properate viri , potate ſcatèbras
    Quos angit ſicco gutture dura ſitis.
Non opus argento: vobis en copia lactis
    Non opus eſt auro, nectaris ecce favus!
Surge precor Solimè , cape deflua lumina Cœlo;
    In Te nam Domini gloria nata micat.
Quippè tegent alibi tenebroſa volumina terras
    Te ſuper aſtriferi lux orietur Heri.
Ad lumen current gentes , Regeſque meabunt
    Mirantes Ortus ſplendida monſtra ſui.
Tolle oculos & cerne: ſimul cojere Dynaſtæ
    Ut dent Memnoniæ munera trina plagæ.

Qui

Qui tibi plausus erit, Thetidis cum fluxerit agmen?
Ad Te gentilis cùm properarit Eos?
Turma Camelorum veniet, Dromedarius Epha
Et Madian, merces, & sua dona feret.
Succedent omnes, & fundent thura Sabèæ
Et commixta auro myrrhina grana gerent:
Hæc patuisse volet cum linguâ sideris Æther
Sicque triplos radiis erudiisse Magos.

H E L C I A S

Magnus Sacerdos instante Josia Rege Solimarum, sollicitat complementum templi Dei. Lib.4. Reg. cap. 22.

C A R M E N.

HElcias undanti venerandus veste Sacerdos
Compleat ut templi limina, fatur ità.
Conflate argentum Mystæ, reserate crumenas
Serviat Auctori, nummus & arca suo.
Tu repara tectum, Tu cœptum sculpe sacellum
Erige de plano Tu nova fulchra solo.
Omnis juncturæ lapidum deserviat ulna
Nevè ministeriis torpeat ulla manus.
Quæratur nostro peregrinus ab axe lapillus
Hùc scythicæ veniat gemmula dives humi:
Non gazæ quisquam dispendia curet, & auri
Numinis auriferum sic decet esse sacrum.
Vosque laborantes moli, mea cura Magistri
Quàm precor ut Dium sollicitetis opus:
Ad fani finem, nemo non Dædalus extet
Possideant alas brachia vestra duplas.

HOLDA PROPHETIS

Uxor Sellum, vaticinatur mala ingruentia super Jerusalem, & divinam miserationem erga Josiam Regem, quia vaticinio credidit. Lib. 4. Reg. cap. 22.

CARMEN.

Me mea mens agitat, Me ſpiritus entheus urget
Sic Sellum conjux Holda, Prophetis ait.
Mox ſequitur: Regi Solymarum hæc dicite veſtro
(Nam mihi Cœlipotens talia ferre jubet.)
Hic locus, hæ ſedes, hæc Arx ſpecioſa Sionis
Ultoris Domini mœſta theatra forent.
Deſcendet præceps ſtimulati Numinis ira
Qualiter imbriferis irruit Hædus aquis.
Haud Populo parcet, qui cœlica fœdera liquit
Infernis auſo ſacrificare Diis.
Arripiet mora parva, manus divina flagellum
Sacrilegos tanget debita pœna reos.
Nix, glacies, ignis, gladius, mors, Tartarus ipſe
Funeribus miſerûm grex famulator erit.
Sed quia Rex timuit conſcripta volumina, veſtes
Conſcidit, triſtis texit & ora cinis.
Haud aberit pietas: Sua roſcida lumina fletu
Ad veniæ fontes, pectora Dia trahent.
Nam cadet Ille prior, quàm funera tanta patebunt,
Et ſua Majorum colliget oſſa lapis.
Cætera turba, malis ceù quaſſa carina feretur
Cui maris & Cœli fata minatur hyems.

JEREMIAS

Querulis vaticiniis, Hieroſolymæ ruinam prædicit: Lib. Jerem. cap. 2.

CARMEN.

URbs Populi dives, foribus decorata ſuperbis
Judeæ vertex, quomodò ſola ſedes?
Cur laniata genas, vidualia tegmina veſtis,
Quando Te Dominam cuncta canebat humus?
Hei mihi, regalis Princeps ditionis, heriles
Perpetitur ſcuticas? tanta tributa luit?
Nil plorare juvat, quamvis, noctùque diùque
Sint madidæ lacrimis ora, ſinuſque tuis.
Non eſt Solator, non eſt qui lumina tergat
Fidus amator abeſt, perfidus hoſtis adeſt.
Compita flentque Sion; ſua nam ſolemnia nullus
Adproperat, ſacris ignibus Ara-caret.
Oſtia Vaſtator deſtruxit, Templa Sacerdos
Non habitat, ſquallet Virgo, gemitque puer.
Barbarus eſt gazas populatus, gemmea vaſa
Jam ſunt furacis bellica præda manus.
Ob ſcelerum cumulos hæc Cœli fulmina perfers
Curaſti nunquam vindicis ora Dei.
Parvulus en coram te, nexus compede luget,
Et net ſervili fila puella colo.
O' Solima, ò Solima, ad patrium convertere Numen
Ne Te non Solimam Numinis ira patret.

IDEM PROPHETA

Plorat Occaſum celeberrimæ Urbis Hieroſolymæ.
Lib. Jerem. cap. 2.

CARMEN.

APpoſuit Dominus, muros vaſtare Sionis
Extremo turres & ſepelire ſolo.
Ipſius heù portæ cecidere! ſudeſque feræque
Non ſecus ac teſtæ deperiere luti!

Nul-

Nullibi lex resîdet, non invenit amplius Augur
Responsum, Domini sacra siletque tripus.
Conticuere senes cubiti tellure, puellæ
Fœdarunt flavas pulveris imbre comas.
Parvulus & lactens, petiere parentibus escam
Non lac, non vinum, non Ceres ulla fuit.
Hinc super uberibus matris periere gementes
Inque sinu tumulum repperiere Patris.
Virgo Sion, quam magna tui contritio! non plus
Conteritur pluvio Tethyos unda Noto.
Gens fera cervicem tollit, funditque cachinnos
Hæc & in opprobium dicta superba vomit.
Hæccine perfecti decoris, telluris amorque
Est Urbs? præteriit: sola ruina manet.
O' Solima, ò Solima ad priscum Te verte Tonantem
Ut formæ priscus restituetur honos.

BARUCH PROPHETA

Deplorat ærumnas Israelis fatidico spiritu, sed & Christi adventum prænunciat. Lib. Baruch cap. 3.

CARMEN.

SIc querulum Baruch incępit carmen Aruspex,
Fatidicâ spectans lustra futura face.
Hostica cur habitas Isràel regna: catenis
Implicitus, rabidis & data præda lupis?
Sors tua par illis, qui tartara claustra frequentant
Est ubi ferrato cardine, nulla salus.
Hæc mala perpeteris, quià Te Sapientia liquit
Nec magè Palladio fonte, bibisse dedit.
Tu modo disce plagas, ea quas colit: Ætheris arce
Immanet, astriferi sunt ubi tecta Dei.
Hic locus immensos spatio complectitur orbes
Serta planetarum sunt asarota domus.

Hanc Aulam anguipedes olim tenuere Gygantes
    Aligeris quantum noxia turba choris!
At Pater omnipotens, quia non elegerat illos
    Depulit, ad ſtygias ire coegit aquas.
His igitur laribus, talos Prudentia figit
    Hic Superûm Rector, geſtit habere moras.
Illius ad nutus, quotquot ſunt ſidera currunt,
    Acclinant famulum ſub ſua juſſa jubar.
Poſt hæc ad terras veniet, quas junget Olympo
    Exiliens alvo Virgine, Numen Homo.

EZECHIELIS

Viſio, de curru à myſticis quatuor animalibus ducto, ejuſque deſcriptio, & explanatio. Quatuor ſcilicet eſſe figuratos Evangeliſtas & Currum eſſe Chriſti triumphalem ſedem, nec non caliginem, & ſplendorem, ſignare veterem, & novam legem. Lib. Ezech. cap. 1.

CARMEN.

EZechiel, rapidas Chobar propè fluminis undas
    Hæc oculis hauſit myſtica viſa ſuis.
Ex Aquilone furens peragrabat turbinis aura,
    Involvens circum, ſplendor, & ignis erat.
Electri ſpeciem, totis ardeſcere flammis
    Aſpiceres, medias indè volare rotas.
Concordes ibant ad lucida fręna jugales
    Non Aurigantis munere currus eget.
Se ſolis properant animalia, fulguris inſtar,
    Illorum numerus bis geminatus erat.
Scilicet ora ferunt Aquilæ, fulvique Leonis,
    Et Bovis, & veri prodit imago Viri.
Alituum Regina citis ad ſidera pennis
    Ire videbatur, Solis adorta jubar.

Hæc

Hæc etenim Phœbo figit ſua lumina', quandò
Non acies hominis lumen adire valet.
Additur, & volucri, formâ ſpecioſus Ephœbus
Os Mortalis habet , vox hominemque ſonat.
Quem penes eſt validus cornutâ fronte Juvencus.
Mugitu replens, quos meat axis agros.
Tum Leo lucorum terror, princepsque ferarum,
Robore quo pollet fulgida plauſtra trahit.
Ibant unanimes curſu, requiemque negabant
Greſſibus, ulteriùs pergere ſuadet amor.
Migrabant illùc quò Spiritus ire monebat
Nulla reverſuri tramitis orſa manent.
Hæc ſtupidus vidit Nabathæo flumine Vates
Quid tamen hæc ſignent eſſeda viſa, petis?
Semideos quatuor monſtrant, queis ſcribere faſtos.
Divinæ Sobolis poſtera cura foret.
Carmentum eſt ſedes, qua Chriſtus ovabit, & umbra
Et ſplendor, legis ſunt monimenta duplæ.

EZECHIELIS

Extaticus raptus, proſpiciens ſpiritu, futuram Jeroſolymæ cum Domino reconciliationem, ejuſque priorem fortunam, quam Deus Prophetæ in campo aridorum oſtium revictorum, præfiguravit. Lib. Ezechiel. cap. 37.

CARMEN.

ME tulit extaticum Dominus campeſtre per arvum
Eſt ubi de ſparſis oſſibus albus ager.
Aſpicis hæc inquit nullis cava carnibus oſſa
Hæc iterum vitæ reddere poſſe putas?
Vaticinare tamen ſuper his, & talia fare
(Præcipit Omnipotens) arida ſurge ſtrues.
In Vos vivificum deſcendet flamen, & ævum
Mox animâ faciet rurſus habere novâ.

Ne-

Nectimini nervis, nervi, cum pelle jugetur
    Pellis, fitque fimul, carne revincta caro.
Pareo: ceù juffit Numen, fum vocibus ufus.
    Ecce fonus fequitur, mota tremifcit humus:
Proh mirum! nervo nervus, fic os, additur offi,
    Serpit vena, meat fibra, fluitque cutis!
Attamen hæc animâ videas fata bufta carere,
    Et nec adhuc vitæ fœnore, poffe frui.
Vaticinor rurfus. Dominus jubet: intret in artus
    Spiritus exanimes, lux redeatque prior.
E' quatuor ventis properet vitalis origo
    Denuò cœforum ftamina Parca neat.
Protinùs effatu, præcordia Spiritus haufto
    Ingreditur, totum degere corpus agit.
Quifque fua ftetit erectus cervice, ftetitque
    Calce fuper, fortis crure, potenfque manu.
Evafit rediviva cohors, exercitus ingens
    Armiferum Martis ducere vifus opus.
Addidit indè Tonans: Solimæ fic fata manebunt;
    Quæ fine Me cecidit, Me duce vivet ovans.

D A N I E L

Projicitur in lacum Leonum, fed ope Angelicâ fervatur incolumis. Lib. Dan. cap. 3.

C A R M E N

IN caveam jacitur Daniel, ubi turba Leonum
    Jejuno nullas ederat ore dapes.
Irruit in Juvenem, fibi quem devoverat efcam
    Non plus carnivoram bellua paffa famem.
Aft ubi proximior teneros fera comperit artus
    Immeritos avidis dentibus effe cibos:
Sternitur antè pedes, humili cervice, cothurnos
    Lambit, ut ipfa foret parvula ludit ovis.

O' ubi

O' ubi dira fames ! ventrisque profunda vorago !
Alitis obstruitur faucis abyssus ope.
Qua vos magnanimi dignabor laude leones?
Quadrupedum Reges vos benè Fama canat.
Splenduit in vobis, pietas cum robore Regum,
Scivistisque Feras esse, nec esse feros.

ABACHUCH PROPHETA

Ab Angelo per crines arreptus fert edulium Danieli, significatque suos accusatores mox à leonibus laniandos. Lib. Abachuch. cap. 3.

CARMEN.

CRinibus est Abachuch summis, arreptus in altum
Alitis officio, mensus & axis iter.
Ad Danielis opem se sistit, ubi ille Leonum
Morsibus intactus, fert sua vota Deo.
Impasto defert epularum munus Amico,
Et vitream puri porrigit amnis aquam.
Ah ne Te lædat dixit crudelis orexis.
Sume comes Cererem, Najada fontis habe.
Illa sat ora tibi conclusa fuere ferarum
Te modò ne pereas os aperire juvet.
Mande dapes : Etiam rugientia guttura cernes
Mox, nimis in placitis se relevare cibis.
Pabula scire cupis? Satrapæ sunt membra, minati
Dentibus innocuum Te laniare suis.
Par catuli rugientis honor, seù claudere fauces
Conveniat, fauces pandere seù sit opus.

TRES PUERI

Anania, Azaria, Misael, projiciuntur in fornacem Babylonicam ignium ardentium, quia adorare spreverunt sta-

statuam auream à Nabuchodonosor Rege erectam. Lib. Daniel. cap. 3.

CARMEN.

JUsserat ex auro statuam Rex Persidis oræ
Conflatam, Divûm more repentè coli.
Tùm cum sambucæ sonitu, citharæque canore
Hausissent populi per Jòvis arva melos.
Tres Pueri, Azarias, Misael, Anania, superbi
Regis, sacrilegos posthabuere sonos.
Vultibus erectis, & nullo poplite flexo
Falsi riserunt aurea signa Dei.
Hoc ubi rescivit Nabuc, furialibus ausis
Præcepit flammis corpora trina dari.
In promptu fornax, solitis magis ignibus aucta
Ardebat: quantùm congrua visa neci!
Hei mihi tres pueros Vulcania devorat urna,
Evinctosque manus, implicitosque pedes.
Quid facient inopes, tanto data præda camino?
E' Cœlo Pueris non fluet ulla salus?
Fallimur. Haud illos incendia tanta fatigant
Mulciber haud lædit, nec pyra structa nocet.
Non ussit vestem, tetigit non flamma capillos
Ire per accensos, & potuere rogos.
Non aliter quam si viridaria verna subirent,
Perflat ubi Zephyrus, dulcis & halat odor.
Hinc pueri vegetes veluti Salamandra favillis
Talia gaudentes concinuere Deo.

CANTICUM

Trium Puerorum laudantium Dominum in camino ignis Babylonici.

CAR-

CARMEN.

ÆTerno rerum benedicite Cuncta Satori
Illius in laudes omne loquatur opus.
Aligeri speciosa phalanx, vos semina prima
Orbis, vos primi nunc celebrate Deum:
Tum Cœli, Cœlosque super cristallina tecta
Immensum Domini magnificate decus.
Sol Pater astrorum, ductrix & Dælia noctis
Artifices vestrum noscite laude manus.
Nec non auriferis argentea crinibus astra
Sphærarum Fabro, dulce vovete melos:
Ros Æthræ, pluviæque domus, venerare Tonantem,
Et qua voce potes murmura defer aquæ.
Quæ mora flagrantes ignes? benedicite lucis
Auctorem, rebus nascitur undè color.
Nix, glacies, frigus, Superûm clamate Dynastam;
Et resonet nomen candida bruma suum.
Lux, tenebræ, cum nocte, dies, magnalia Divi
Pandite, dum Lunæ, dum rota Solis erit.
At Nos tres Pueros super omnes esse disertos
Numinis in laudes fervidus urat amor.
Poscimus Omnipotens, linguas tot habere canoras
Hæc quotquot mites flamma rogalis habet,

SUSANNA

Uxor Joachim, pudicissima, & pulcherrima puella, ab obscœnis senibus accusatur adulterii; judicio tamen Danielis liberatur, & ejusdem sententia, luxuriosi senes mediâ in Babylone lapidantur. Lib. Daniel. cap. 13.

CARMEN.

MEmbra lavat, mediam Phæbus dum dissecat Æthram
Nec se visibilem nuda Susanna putat.

T Fal-

Fallitur. Aſpiciunt expertes tegminis artus
Bini frondifero ſub penetrale Senes.
Ah miſeri è nivibus viſis, interque maJòres
Concipiunt paphiam, ſed ſine ſine facem.
Se prodnnt inopina manus, tacitoſque repoſcunt
Amplexus, ſtructis ſollicitantque dolis.
Helciades clamat, procul ò procul eſſe petulci
Malo mori, tantum quam celebrare nefas,
Hic Ego ſanguineum de venis currere fontem
Prius patiar, Joachim quam temerare torum.
Hiſce precor fulmen potiùs ſuccendat in undis
Quam me tam fœdâ polluat arte Venus.
Si peream, vivam immortaliter altera Phœnix
Utque aurum fas eſt igne probetur honos.
Inſanire tamen non ceſſat dupla ſenectus
Quin mæcham clamant, concubituſque ream.
Ad fora proh pietas ut adultera ducitur uxor!
Cautibus expectans caſta puella necem.
Sed Daniel Afflante Deo, non crimen in illâ
Novit, luxuriam novit & eſſe Senum.
Ut Judex vocitat, ne lædant ſaxa pudicam,
Sed modò longævos ſaxea grando necet.
Aſtat opus. Geminos lapidoſa procella peremit.
Subque petris, Erebi fax tumulata fuit.
Neſcio cur Babylon, gremio non fuderit Ætnam?
Mons erat, Infernus ſubtus eratque rogus.

O S E E

Propheta, divino inſtinctu ſtatum futurum infelicium Judæorum, venturis poſteris relevat. Lib. Oſeæ cap. 5.

C A R M E N.

HÆc mandata dedit Dominus, dic horrida verba
Osèe, voces Terra tremetque tuas.

Quàm

Quàm ſcelus invaluit! ſunt aucta piacula quantum!
Omni viſuntur frœna ſoluta malo!
Num Venus ad patulos non exardeſcit amores?
Diſplicet alterius quærere nocte toros.
Perdius Ogigiis ſe fundit Bacchus habenis
Ah vetitas odit territa menſa dapes!
Indignos ſonitus, & ad orgia perdita currit
Facta immortali gens aliena Deo.
A Templo refugit mutatus veſte Sacerdos,
Diaque thuricremis ignibus, Ara vacat.
Propterea dicit Dominus ſua fulmina ſtringet.
O' quæ vindictis area lata patet!
Ibis ad externos ingrata propago Tyrannos
Serva; nec ærumnis terminus ullus erit.
Nullibi certa domus, Regum fruſtraberis Aulâ
Palantes ludet terra globoſa choros.
Optabis priſcis cervicem nectere ſertis
Ut prius Auguſtâ ſceptra levare manu.
Sed deſiderium, vacuæque cupidinis orſa
Trans mare velivolum, pontus & aura feret.
Vix veteres ritus redimes, & mortua jura,
Fœnore quo vitæ fœnus inane trahes.
Quæ Vates dixit, jam tempora noſtra revelant
Iſacidum ſoboles dedecus orbis ades.
Qua genus infœlix expectas lampade Solem?
Sol venit Chriſtus noctua vivis adhuc?

JOHEL PROPHETA

Pacatum Dominum, populo Hebraico nunciat, & punitiones Paganorũ prænoſcit futuras, in valle Joſaphat. lib. Johel. c. 3.

CARMEN.

SIc Vati Dominus, qui condidit aſtra Joheli.
Auribus hæc bibulis percipe verba Johel.

 Jam

Jam Judæ Me tangit amor, poſitoque rigore
Aſtat pacificis Iris amica cyclis.
Irruet in gentes venerantes marmor, & æra
Hactenus in populos ira profuſa meos.
Sat captiva domus Jacob, percuſſa flagellis:
Verbere Paganos tundere tempus adeſt.
Intonſos illi pueros, teneraſque puellas
Proh facinus! domibus proſtituere ſuis.
Vaſaque divinis tantum conflata ſacellis
Ad calidi potus implicuere meri.
En Ego menſurâ Tyrios metibor eadem
Quot mala Sidonides intulit, ille feret:
Gens ejà Iſacidum (ſic mando) bella ciete
Ardeat in veſtro pectore, Martis amor.
Agglomerate manus ferro, deſcendet acinas
Per femur, ad pharetras millia tela volent:
In gladios abeant, raſtrum, ſparus, uncus, aratrum
Vulnificus ſurgat deque ligone chalybs.
Æger vociferet ſum fortior ipſe Gygante,
Et ſum pugnator perſtrepet ore Puer.
Quis vos ſculptilium famulos de Numinis irâ
Liberet? ah miſeros, morſque, cruorque manent.
Joſaphati vallem, fortiſque, neciſque theatrum
Eſſe volo: Judex hic Ego bis & ero.

A M O S

Propheta de paſtoribus Thecue, ſimplicitate paſtorali, annunciat Hieroſolymæ, & ejus Urbibus per circuitum, fatalem Domini indignationem. Lib. Amos cap. 1 1.

C A R M E N.

Audi gens Thecue minitantia carmina, quæ nunc
Ad Te paſtor Amos, Numine flante, cano.

Ku-

Rugiet aërio Dominus de colle Sionis,
Et voces Solimus ter resonabit ager:
Luxerunt speciosa gregum, præsepia flerunt
Armenti, & pecoris transiit omne decus:
Carmeli vertex diadematis aruit expers,
Et non florentes nutrit ut antè comas:
Ad Domini nutum, de Cœlo proruet ignis
Flammigero Benadad, polluet imbre domos:
Cum triplicatus erit congesti criminis ausus
Non parcet; vindex at cadet axe furor.
Azòtum feriet, populabitur indè Damascum
Nulla Palestinæ plebs erit absque flagro.
Serviet externis legio religata Sabeis
Compede, flagitii præmia digna luet.
Præcipuè Tu Gaza tuis nudabere gazis:
Quas arcis servas, flamma vorabit opes.
O' Utinam vacuâ modularer Pastor avenâ
Luderer aut Phœbi futilis Augur Amos:
Sed non falletur fatalis arundo Canentis.
Si quod Pastor ait, voce Tonantis ait.

A B D I A S

Propheta ominatur excitium Idumeorum, & reconciliationem Jacob cum Deo suo. Lib. Abdias cap. 1.

C A R M E N.

VIderat Abdias ruituræ funus Idumes,
Hæc & fatidico carmine, verba refert.
Cur inflaris Edom? tumidos cur tollis, ad astra
Vultus? ah nimium te modò fastus agit.
Te memorare juvat, Solii qui sede superbis
Inter saxa humiles vix habuisse casas.
Ausus, & hæc fatuâ perjuria fundere linguâ
Quis me sublimem præcipitabit humi?

Ah

Ah miser ! in Cœlos, Aquilæ si more volabis
Nidum si statues, inter & astra tuum:
Nonne Sator rerum, terras te mittet in imas
Cum volet? aut stygiis, te tumulabit aquis?
Mons Esau, nescis quantum sit robur Olympi?
Es quoties tactus fulmine cellus apex?
Falleris ò culmen, Domini de nomine turgens,
Lance pari sortes experiere suas.
Esto prior genitus: tamen is servivit Jacob,
Qui minor ex ortu, lucis adivit iter.
Sic populus Jacob, populum calcabit Idumes
Uberior palmis tuncque virescet ager.

J O N A S

Propheta, fugiens à facie Dei, navem ascendit, sed tempestate exortâ in mare projicitur, quasi author procellæ. Excipitur in os balenæ, triduoque, piscis in alvo immoratur, redditur tandem incolumis ad littus, ut taliter edoctus à Deo mandata adimpleat. Lib. Jonas cap. 1. & 2.

C A R M E N.

PEr medios ibat nimbos, pontique tumultus
Navis, qua Jonas Tethyos arva secat.
Gliscit ventorum luctâ, mortale periclum
Penè ratem & nautas horrida sorbet hyems.
At dormit Vates, thalamo quasi stratus eburno,
Et longâ gaudent lumina clausa morâ.
Increpat immeritos trepidâ gens voce sopores,
Atque hominem, noxæ credidit esse reum.
Intus projicitur pelagi sinuosa Prophetes;
Ex alto jactum piscis at ore capit.
Insolitum pondus mitis fert bellua ventre
Visceribus tutam dans habitare domum.

Ho-

Hoſpitio Vates lætatur, & Hoſpite Piſtrix.
Congaudet fato victor uterque ſuo.
Poſt triplices Phœbi reditus, ſua pignora reddit
Littoribus Cete, rurſus & æquor arat.
Noverat indignam propriis fore faucibus eſcam
Nempè erat intactum reddere juſſa virum.
Ad Niniven tendit Jonas benè doctus, an ullus
A' facie Domini vertere terga queat?
Sis maris ira mihi, mihi ſis Balæna Magiſtra
Numinis an juſſum ludere poſſit homo?

M I C H E A S

Propheta, revelat, Hieroſolimæ, & Samariæ interitum, ob infamem cultum Idolorum, & præmori deſiderat, ne divinam aſpiciat ultionem. Lib. Mich. cap. 1. & 3.

C A R M E N.

AUdite ò Populi (Micheas inſonat) omnes:
Ad Vatis ſonitum contremet omne ſolum.
Egredietur ait ſuperis ex arcibus Æthræ
Omnipotens, noſtram, qui pede calcet humum.
Cum veniet; Montes ſcindi, valleſque liquere
Cernetur, ſylvas, arvaque penè mori.
Non ſecus à facie vaneſcit cera favillæ,
Aut velut in præceps labitur amnis aqua.
Sublimes Solimæ turres, Samarique penates
Congeries lapidis, ſaxeus agger erunt.
Fundamen ſuper impoſitâ ſine mole patebit
Replebit vallem præcipitata ſilex.
Sic æs in nihilum, ſic ſculptile marmor abibit,
Quæ ſua proh facinus gens ſimulacra facit.
Æris Relliquias, Idòlaque fracta, vorabit.
Ignis, ne priſci ſint monumenta mali.

Qua-

Qualiter infami fabricata fuere lucello
Taliter in fędum fas ſit abire fimum:
His ſuper ærumnis Michæas ipſe, movebo
In lacrimas oculos, hoſtia triſtitiæ.
Urbis percurram nudatus tegmine vicos,
Et tepidas fundam more Draconis aquas.
Lugebo, raptos ceù leget ſtruthio natos
Quando ſuis reboat luctibus omnis ager.
Da clemens Numen, lacrimarum ne mare mergar
Funeris ut noſtri ſit modò Terra locus.

N A H U M

Propheta increpat Niniven, cui divinam indignationem eſſe vicinam prænunciat, & Dei miſerationem ergà domum Jacob aperit, eo quod in Deo ſuo ſperaverit confidenter. Lib. Nahum cap. 1.

C A R M E N.

AD Niniven volitent noſtri ſuſpiria cordis
Urbs precor auſcultes enthea dicta Nahum:
Ille Deus patiens, quo non mitiſſimus alter;
Ob furiale ſcelus mox Deus ultor erit.
Te ſuper incumbet, Superûm furor hoſticus: Ira
Te premet accenſi per mala tanta Poli.
Nimbus, hyems, turbo, nubes, caligo, procella
Omnis non Cœli turba ſatelles Heri?
Increpet heù pelagum Dominus, ſiccabitur æquor
Præpete deſertum flumina calce petent.
Ah quoties Libanus, Baſan, Carmelus, & Hermon
Se norunt ægros, & ſine flore caput!
Illius à facie tellus tremefacta recumbit,
Et qui terreno Vir trahit Orbe moras.
Cum juvat iraſci, non indignatio flammæ
Eſt major, per quam ſaxa ſoluta liquent.

Sic

Sic Niniven plectet ; domui sed parcet Jàcob
Quam bona non umquam destituere Spei.
Spes aperit Cœli postes, Spes fulmine nudat
Numinis ultricem cum rapit arma manum.
Spes animos rigidos, pectus mulcetque Tonantis,
Et nostri Spes est unica summa boni.
Vive tuo confisa Deo gens Juda, peri Tu
Gens Nini, ad Numen Spes quia nulla fuit.

HABACHUC

Propheta conqueritur de tardâ ultione, ergà malos, prosperatos in viis iniquitatum, & responsum accipit à Domino, quam primùm, illos puniendos à Chaldeis irrumpentibus, gente indomitâ, & bellis exercita. Lib. Habacuch cap. 1.

CARMEN.

SEmper Ego clamator ero? numquamve tuebor
Tempestiva mei vindicis arma Dei?
Tantùm vociferans Habacuch? En impius æquum
Opprimit: Astreæ sub pede jura terit.
Et nec adhuc dignas petiit Ramnusia pœnas;
Illius at potius semita fausta viget.
Quæ mora Divorum Rector? cape fulmina dextrâ
Puni quos Themidis spernere sancta juvat.
Hæc Domino Vates, cui sic Dominator Olympi
Est indulgendi, (sed breve tempus) adhuc.
Adveniet Chaldèa choors, gens ocior Euro
Incolet heù forti non sua tecta gradu.
Hæc, hæc vindictas peraget, plagisque rebelles
Afficiet: Domini proxima flagra manent.
O' quàm terribilis legio Chaldèa! superba
Elevat ad Cœlos ora! nec astra timet.
Ad cladem vesana fames, in Marte voluptas
Sanguineo gaudet fonte levare sitim.

 Illius

Illius eſt levior pardis equitatus, equeſque
  Noſturno citior, cùm meat arva lupo.
De longè venient, Aquilarum more volabunt
  Optatam quandò repperiere dapem.
Omnes ad prædam current, facieſque feroces
  Bellantum, igniti flaminis inſtar erunt.
Captivos facient, qui nunc dominantur egènis
  Æra manuſque ferent, æra ferentque pedes.
Tuncque triumphatos lux matutina Tyrannos
  Aſpiciet, cæſos nox tenebroſa gemet.
Tranſadigent muros, & propugnacula ſternent
  Ridebunt turres, vallaque ſtrata ſolo.
Hæc ubi Numen ait, tetigit miſeratio Vatem,
  Sed precibus clauſit, lacrima jugis iter.

SOPHONIAS

Propheta, refert iram Domini ſibi revelatam propter gentium peccata, inſuper divinam ſignificat ultionem, erga populum Judaicum ob nefas Idololatriæ. Lib. Sophon. cap. 1.

CARMEN.

CUm mea mens æſtro raperetur, talia faſſus
  Eſt ad me Dominus, quo ſolet ore loqui,
Sophonias, terras, æquor, Cœlumque ciebo
  Viventum veniet cunſta propago ſimul.
Cogam homines, volucres, colubres, pecuaria, piſces.
  Ex his exitium ſons patietur homo.
Diſperdam mortale genus, de finibus Orbis
  Qualis triticeos falx populatur agros.
Adamidæ! Adamidæ! Veſtris erroribus ullus
  Non veniet limes, non modus ullus erit?
Cogimur invitis ulnis traſtare flagellum
  Utque forem juſtus, contrahor eſſe pius.

Inſuper

Insuper in Judam, Solimeaque tecta potenter
 Ultrices tendam læsus honore manus.
Pergite nunc adolere nothis libamina Divis
 Fumiget immeritis thuribus ara Baal.
Mox Ego, cum Mystis sternam delubra Deorum
 Amborum fortes una ruina premet.
Sylvæ lugebunt, ululabunt culmina, virgam
 Horrebunt valles, & nemus omne gemet.
Aufugient montes, & abibit territus amnis
 Inque sinu plagas flebit amara Thetis.
Juxtà est nostra dies, iræ composque furoris
 Aspera proh quantùm toxica cruda geret!
Non erit ulla dies, tenebris & ditior umbris
 Illuvies Nemesis tunc ubicumque meæ.
Nunc sileo, tantos sequitur nec pœna reatus
 Tunc tonitrus linguâ, Vociferator ero.

A G G E A S

Prophetæ Aggeæ, patefacit Deus suam indignationem, quia populus Judaicus, moras innectat ad fabricandam sibi domum. Lib. Aggeæ cap. 1.

C A R M E N.

TEmpus erat quo Persa potens Darius, habenas
 Cœperat Imperii, Sol ubi jungit equos.
Bis per Signiferum se circumvolverat annus
 Cum mihi Rex Superûm talia dicta dedit.
Clamat adhuc populus, non dum maturuit ætas
 Ut rerum Domino sit fabricanda domus?
O' quæ desidiæ! Nocuus qui torpor! & undè
 Displicitas Cœlos juvit amare moras?
Qui pudor est vestrum, laqueatis vivere tectis,
 Et mihi votivos nolle parare lares?

Hinc, multùm curvis fidiſtis ſemina ſulcis;
Attulit at fructus area ſicca parùm.
Ediſtis, nec dura fames fuit exul ab alvo:
Potaſtis; ſed non tranſiit ore ſitis.
Veſtibus induti, nullus calor attigit artus
In loculos fractos, miſit avarus opes.
Nunc agè ſit finis: Vilem jugulate veternum,
Molirique meos vertite corda focos.
Ite, jugum ſuperate, trabes, & robora ferte
Sollicitâ lapides alliget arte faber
Cum mihi celſa domus ſacrabitur, Araque thuris
Munere diteſcet, boſque litandus erit:
Tunc dabo de Cœlis Soles, pluviaſque ſalubres
Parturiet germen gemmea terra ſuum.
Si noſtros Deſerta olim meruere favores,
Cur non has Charites, Numinis aula feret?
Sic Deus Aggeæ: Solimus, nec ſegnior ultra
Ætheris Artifici, ſurgere templa facit.

ZACHARIAS

Propheta mandatum capit à Domino exercituum, ut moneat populum Judaicum, ne ulterius, in ſceleribus ſordeſcat, veluti fecerunt Anteceſſores, & Zacharias præceptum exequitur, hortando eum ad pœnitentiam, quià miſericors eſt Dominus. Lib. Zachar. cap. 1.

CARMEN.

AD me Zachariam (qua tempeſtate Darius
Perſide regnabat) talia Numen ait.
Proh quales iræ fluctus, ſub pectore volvo!
Ah quantùm cordis flagrat in arce dolor!
Mi Patres veſtri, proleſque parentibus orta
Semper ut indigner dant alimenta facum.

Tu

Tu dic ò Vates Populo, sua crimina linquat,
Ut sim Numen amans, simque benignus Herus.
Hæc mihi Cœlipotens: Dominum veneratus at ipse
Ad Judæ vulgus, talia dicta tuli.
Stirps mea, quid nostrum juvat irritare Tonantem?
Quod lucrum, patrio vertere terga Deo?
Ponite baccantes animos, noxâque sequestrâ
Ocius ad dulcem flectite corda Patrem
Quis furor innumeris est insordescere culpis?
Aut sceleri canas inseruisse moras?
Ne faciatis idem, quod Avi fecere protervi
Fatidicos osi tempus in omne sonos.
Clamabant Mystæ, clangebant ore Prophetæ
Ad Regum Regem, gens mea Juda veni.
Tramitibus revocate malis vestigia, sat, sat,
Ad styga perducens continuastis iter.
Orgia tempserunt illi, monitusque salubres,
Ah nunquam, superas pertimuere minas.
Id circo Vastatoris sunt ignea tela
Alitis experti, fulmineasque manus.
Ah modò ne vobis eadem sint fata: redite
Ad Dominum, siquidem Vos, prior ipse vocat.
Experiere Sion, quo plenum nectaris imbre
Sit Numen, cum vos pœnituisse juvet.
Post pluvias lacrimas, pacis se præferet Iris
Cum famulis, Dius fœdus inibit Amor.

ZACHARIAS

Joadæ soboles admonens populum, ut per divinæ legis rectos tramites dirigat passus, ab ingrata plebe lapidatur, & obiit inter Templum, & Altare. Lib.2. Paralip. cap.24.

CARMEN.

Zacharias Joadæ soboles, documenta salutis
Dum loquitur, lapidum turbine quassus obit.

Ebi-

Ebibit innocuum cautes jaculata cruorem
    Ah rubuit sancto sanguine, mater humus!
Isacidum genus ingratum! laniare medentes
    Assuetum semper vulnera cruda Patres.
Reddere pro vita mortem! feraliùs omni,
    Quæ remigrat lybiæ sicca per arva ferâ!
Ex quo sanguis Abel fusus, non desiit umquam
    Cæsorum Vatum, vena rigare solum.
En hic percussus moritur, Templum inter & Aram
    Insons sacrilegæ victima facta manus!
Spontè tamen, lætusque subit sacra fata Sacerdos
    Hostia pacificæ si cadit instar ovis.

MALACHIAS

Huic Prophetæ revelat Deus diem extremi Judicii; admonet tamen, se prius missurum Eliam, qui convertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres, & tunc futurum unum ovile, & unus Pastor. Lib. Malàch. cap. 4.

CARMEN.

His pandit Dominus morituri funera sæcli.
    Ad Vatem, nomen cui Malachias erat:
Ille dies veniet, qui fellis compos, & iræ
    Bajulus extremæ mortis acerbus erit.
Ardebit tellus emisso cœlitùs igne,
    In cinerem, glebæ machina versa ruet.
Tunc tuba terribili sonitu, de quatuor orbis
    Partibus, ut surgant acciet Adamidas.
Ereptos tumulis, Naturaque, Morsque stupebit
    Viderit ut flexos Judicis antè thronum!
Quis non supremum, formidandumque Tribunal
    Horreat? antè meos, & tremet Æthra sonos.
Extremo claudenda foro, lis omnis agetur,
    Et tantùm Themidi, jusque, locumque dabo.

Nil

Nil erit occultum, nil & remanebit inultum
Ad meriti pondus, pendula Libra cadet.
O' miseros queis casus erit! quos Fata sequentur
Mortis inocciduæ! semper & Orcus edet!
Atque ò fœlices, quos sors addixerit astris
Est ubi casuro lumine nulla domus!
Non tamen evenient hæc, ni prius ipse Prophetam
Elysiis mittam, qui modò vivit agris.
Tuque eris Elias, patribus, qui pignora junges
Adjunges itidem, pignoribusque Patres.
Tunc erit unius solum Pastoris ovile
Solus, & unius Pastor ovilis erit.

SALATHIEL

Ultimus Dux de captivitate Hebræorum, meret sua pietate, & lacrimis, ut tres Tyranni pereant, & suus populus ad avitas sedes redeat. Matth. cap. 1.

CARMEN

ES Tu magnanimus Salathiel, captus, & obses
Esque tui, Domino cum famularis, Herus.
Non homines frangit fortes, Fortuna rebellis,
Neve bono stabiles Sors onerosa premit.
Mancipium Princeps, lacrimas fundendo, Tyrannos
Tres perimis, stratos ut tria monstra solo.
Unius in fletu, Chaldea superbia mersa est.
Assyriæ Imperium, naufragiumque tulit.
Irrupit per Cirus aquas Euphratis, & alveus
Fortè Hebræorum luctibus auctus erat.

ZOROBABEL

Dux Judeorum rediens Hierosolymam de captivitate Babylonica, restituit in ea templum, & pietatem, jam gentium pravitate devastatam. Lib. 2. Esdræ.

CAR-

CARMEN.

INgreſſus Solimam, Solimâ non invenit Urbe
Zorobabel, Solimæ ſola ruina patet.
Non equidem templi ſunt fundamenta reperta
Ambigeres, templi num fuit ille locus?
Aſt ubi ſepteni menſis poſt exiit Eos
Surgit de tumulo, Zorobabelis ope.
Aſcendens aram Jeſus, libanſque Sacerdos
Sacrifico rurſus, vivat ut igne facit.
Emicuit nuſquàm Vulcanus lætior: O' queis
Linguis, delubri tollit ad aſtra decus!
Natales luces, elementum detulit ipſum
Quod prius attulerat funera tetra rogis.
Scilicet illuſtris cum ſcandit ad æthera flamma
Extinxit flammam Numinis ira ſuam.
Non ſenſit lapides graviores Tartarus, illis
Quos videt in veri ſurgere tecta Dei.

A B J U D

Filius Zorobabel, primò natus poſt Jeroſolymam, pietati, & libertati natam, eſt talis, Patris voto. Lib. Matth. cap. 1.

CARMEN.

NAſcere, qui primus Babylonem naſceris extrà
Fortunate Abjud, Zorobabele ſatus.
Exoreris, templo exorto, Genitore vovente,
Prodire in lucem dat tibi Dia Charis.
Naſcere; nam tecum naſcetur Patria, dudum
Mortua, flagitiis penè ſepulta ſuis.
Advenient veri Cives, Solimæquæ renoſcent
Pignora, pagano non temerata patre.
Sacravit Genitor lapides, hoc omine: Natos
Accepit, generi ſic dedit orſa ſuo.

Deu-

Deucalion fuit ille recens, veraxque: parentem
Si multæ ſobolis fecerit eſſe lapis.

J E S U S

Filius Joſedec omine ſui nominis, Servator prædicatur populi, & comparatur alteri Jeſu, celebri cæde Gabaonitica, ſin minus prodigiorum magnitudine; in victoriarum tamen cumulo, non diſſimilis. Eccleſiaſtici cap.49.

C A R M E N.

Est hic Dux populi, populi Servator Jeſus
Hoſtis deſtructor, depopulator Edom.
Audiat Iſacius venerabile Nomen, & unà
Procumbat gemino turba voluta pede.
Idolis ſemper Nomen fatale domandis
Natum Tartareæ ſternere robur hydræ.
Temporibus lapſis, Heros fuit alter Jeſus
Funeribus Gabaon clarus utroque polo;
Nam Soli juſſit rapidos frœnare jugales
Tardius Occiduo mergere ſeque mari.
Quà reſides poſſet gladio mactare cohortes.
Paruit & Phœbus, nex habuitque locum.
Iſte recens, quamvis nullis præceperit aſtris
Perderet ut forti caſtra inimica manu;
Attamen ancillam, famulantem penè triumphis
Fortunam novit, laureoliſque ſuis.
Nam Dea non ſtabilis, Jeſu pugnante, & ovante
Geſtiit immotam ſemper habere rotam.

A C H I O R

Viſo trunco vertice Holofernis per manum Judithæ, ad tale ſpectaculum, decernit non amplius Ethnicæ ſuperſtitioni adhærere, ſed verum Hebræorum Numen unicum, vivum, & immortale adorare. Lib. Judith. cap.13.

CARMEN.

HEi mihi quid video? caput eſt Holofernidis illud?
Eſt certè: madidum ſanguine, ſegmen iners.
Bethulides tantum valuit tua dextra puella?
Ah non fœmineo robore fluxit opus.
Extitit ætherei potius manus alta Tonantis,
Sæpius emiſſo quæ ferit igne juga.
Ite procul, vobis ſi non prodeſtis iiſdem,
Qui colitis vitulos aurea damna Duces.
Non hunc turba Deûm, Martis nec tota poteſtas
A' turpi valuit longius ire nece.
Diſcam Ego morte ſuâ, ſuperam mihi quærere vitam
Iſacidum ſolum Numen, adeſſe rear.
Illi corda dico, venerabor amore recenti
Ponam Tartareæ ſub pede monſtra ſtygis.
Me ſani capitis faciat benè perdita cervix
Edoceat veram, mutaque lingua fidem.

BALAAM

Prophetа percutiens aſinum, à belluâ increpatur, immeritò ter verberibus cædi; nam Angelus Domini, nudo enſe iter obſtruit, ne ulterius progrediatur, ex quo prodigio Vates in ſe reverſus divinum implet præceptum. Lib. Numer. cap. 22.

CARMEN.

QUid me cædis ait Balaàmo verſus aſellus
Cur ter nodoſo verbere, terga feris?
Num potero Angelicis obſiſtere nutibus? ecce
Obvius ad noſtrum ſiſtitur Ales iter.
Progreſſum prohibet, vaginaque exuit enſem,
Et vetat ulterius ſollicitare pedes.
Parce flagro ſeſſor, ſcuticis non utere duris
Non erit Aligeris obſequioſa fera?

Si

Si tundes iterum ratione videberis expers,
Atque Ego qui quadrupes ſum, tibi Doctor ero
Audi: ne ſtupeas aſinum modò verba loquentem
Quin ſtupeas verbis te procul ire Dei.
Diſce meis dictis, rebus condiſce tuiſque
Bellua nùm Vates, an ſit aſellus homo?

S E M E J A S

Propheta, diſcerpitur à Leone quia contrà mandatum Dei comedit, & bibit in domo Alienigenæ. Lib. Regum cap. 13.

C A R M E N.

HEù moreris Semeja? Dei Semeja prophetes?
Numinis ò Vates, præda leonis obis?
Daps Cereris modicæ, lymphæ potuſque puſillæ
Lethiferi caſus, cauſa fuere tui.
Te Leo diſcerpit, ſaturum, ſcerptumque cadaver
Eſca leoninæ nec fuit indè famis.
O' Homini ſemper fatuo gula noxia: ſemper
Mira fides, brutis apta nocere minus!
Pro vetiti paſtu pomi, ſibi perdidit Adam
Elyſios hortos, Progenitiſque ſuis.
Pro vetiti paſtu panis fert ſpicula mortis.
Iſte: Leo huic, illi vipera fata tulit.

PROPHETA ANONIMUS

Mentiens ſe ab Angelo fuiſſe edoctum, ut Semejas in ſuis laribus, qui erant alienigenæ gentis comederet, eſt cauſa illius mortis. Verumtamen necem Prophetæ à Leone diſcerpti grandibus lacrimis deflet, & mortui cadaver in ſuo ſepulchro, pro ſe extructo, plenus mæſtitiâ condit. Lib. 3. Reg. cap. 13.

CARMEN.

ERgò jaces bone Vir, nostro deceptus ab ore?
Nempè Leonis, humi præda cruenta jaces?
O' nunquam falsas fudissem pectore voces!
O' nullos esset mens meditata dolos!
Non tua terribilis laniasset pectora, motus
A' collis latebrâ proximiore, Leo.
De Te vindictam minimè sumpsisset Olympus
Extares Patriæ pars quotacumque tuæ.
Nunc mediis inhumatus agris, ultricia monstrat
Signa Dei, rugiens te secus ore fera.
Eja age tollamus stratum, mea turba cadaver,
Cui leo jam parcit ne voret Ales edax.
Artus sanguinei, nostrâ requiescite tumbâ,
Cumque cadam, casum, vos prope corpus eat.
Intereà lacrimas fundam, majore sed amne,
Quam quo de Vatis vulnere, sanguis iit.

AHIAS

Propheta Silonites, senectute caligans, prænunciat uxorì Jeroboam mortem sui pueri in introitu Urbis Thersæ, insuper revèlat excidium totius domus Jeroboam propter scelus Idololatriæ, quod patraverat. Lib. Reg. cap. 14.

CARMEN.

JEroboam Conjux, quid gressus fingis inanes?
Cur simulas, alio ponere signa gradu?
Ingredere ad nostras (te novi) fœmina sedes
Præ senio quamvis palpebra luce vacet.
Nuncius en durus tibi sum: Puer occidet æger
Urbis in introitu fata suprema feret.
Omnis eum flebit populus, solusque puellus
Funeris, & tumuli munere dignus erit;

Jero-

Jeroboam ſed tota domus, ceù fulmine tacta
Occidet hoſtilis, ſaucia præda manus.
Nulla parentalis lambet munuſcula tumbæ
Ad ſtygias ibit, ſic inhonora plagas.
Regia, quæ ſoboles, patriâ morietur in æde
Carnivori veniet paſtus, & eſca canis.
Altera quæ proles, villanis occidet arvis
Vulturis, & corvi morſus, & eſus erit.
Vir tuus hinc diſcat vitulis adolendo, futuras
Criminis ultrices non procul eſſe feras.

S I M O N

Filius Oniæ Sacerdotis magni, commendatur à Jeſu Siracide, multiſque comparationibus extollitur. Lib. Eccleſiaſt. cap. 49.

C A R M E N.

MAtutina velut ſe prodit ab Æthere ſtella,
Et nebulam penetrans, lucida tela vibrat.
Emicat ut pleno latonia Cinthia cornu
Argenti ſpargens per Jovis arva jubar.
Ut Sol exoriens, aurato crine coruſcat
Terrenas ditans, Æquoreaſque plagas.
Sic fulſit Simon, conſtructâ Numinis Arâ
In qua virtutum prætulit arce facem.
Qualiter apparet mediis in nubibus Arcus
Et pingit circo multicolore polum.
Ut Roſa purpureo Hiericunthina ſyrmate flagrat
Cum retulit lætos ver geniale dies.
Quomodò de viridi lacteſcunt lilia trunco
Inſita per ſpondam tranſilientis aquæ.
Sic templo micuit Simon, cui Gloria cinxit
Laureti meritas virgine fronde comas.
Ut Nabathæa cadis redolet ſata thure ſupellex
Sol ubi flammivomi nat penetrale Canis.

Ceù

Ceù vas conflatum de nobiliore metallo
Splendida gemmiferæ tegmina vestis habet,
Ut super aerias Cyparissus tollitur oras
Germinis arborei visus adesse Gygas.
Taliter altaris medii, Simonis in altum
Erigitur lampas scandit & astra super:
Hæc ait amplificans Simonis nomen. Jesus.
Tantaque vix tanto laus fuit æqua Viro.

NEHEMIAS

Summus Sacerdos cum duceretur captivus Populus Judaicus in Persidem: jussit ignem sacrificio ministratum, abscondi in puteo alto, & sicco: Postmodum libertate donatus, absconsam flammam non invenit, sed aquam crassam, quam jussit, adduci, & effundi super struem lignorum, pro sacrificio extructorum, quo facto ad matutinos Solis radios ligna à seipsis sunt accensa, & ita consumptum est sacrificium. Lib. Esdræ cap. 1.

CARMEN.

CUm Solimæ populus, passo ter Marte sinixtro
Captivo peteret Persica regna pede
Inclytus Antistes Nehemias, jussit ab Ara
Ignem deduci, subque latere solo.
Vallis ubi puteum gremio complectitur altum,
Esset & in sicco tuta favilla fimo;
Gentibus at rursum patrias remeantibus oras
Absconsam minimè repperiere facem;
Nam qua parte fuit contectus Mulciber, illic
Stagnanti cœno crassa manebat aqua.
Numinis urgebat jussum, sibi velle litandum
Mysta quid hinc faciat? cum focus ille deest?
Flante Deo, mandat lutulenta trahatur ut unda,
Arboream suprà sitque refusa struem.

O'res

O' res mira! diem cum Sol adduxit ab Ortu
Expellens radiis nubila cuncta novis:
Arsit sponte sua, lignorum structus acervus
Sacrificum accensâ mole cremavit opus.
Memnonis ò taceat simulacrum, munere linguæ
Usum, nascentes ad Phaetontis equos.
Ignitas linguas, hic arripit humor, ut urat
Libamen, primum Sole ferente jubar.

EPHRAIM

Adolescens immorigeratus, quasi juvenculus indomitus ad Mundi illecebras irruit; conversus tandem ad Deum suum, percussit femur, egit pœnitentiam, & est reconciliatus cum suo Numine. Lib. Jeremiæ cap. 31.

CARMEN.

HEù lubricas Ephraim, Babylonis navigat undas
Et trahitur quò vis præpetis urget aquæ
Infœlix Juvenis, cui dat malesvada voluptas
Illecebris sæcli velle perennè frui.
Fallitur ah nimiùm: Quid fert nisi toxica Mundus?
Ambrosiam spondet, præbet aceta scypho.
Hinc abit edoctus melioris frugis ad ævum
Lugens se placitis inseruisse malis.
Erigit ad Cœli plorantia lumina stellas
Demonstrans sceleris pœnituisse sui.
Ut repetit fontem torrens, ut ad æthera magnes
Vertitur, utque gravis tendit ad ima lapis.
Sic Adolescentis mens, est conversa Tonanti,
In quo summa quies, unica paxque sedet.
Et qui mane procul dilecto fugerat astro
Dilectum tardo Vespere sidus adit.
Talis in ore gerens oleam fulciminis expers
Ad sedes Arcæ, laxa columba redit.

RA-

RAZIAS

Hebræorum clarissimus, ætate senex, nuncupatus Pater patriæ: pro amore avitæ religionis, proprio se ferit ense; cumque mori illicò non posset, de muro se ejicit, cumque adhuc viveret, hortatur populum ad sanctarum legum observantiam, in quarum atteſtatione sua projicit viſcera. Lib. 2. Machab. cap. 14.

CARMEN.

PRo legum tabulis, pro libertate tuendâ
 Razìas, proprio non fugit enſe mori.
Ne ſua Lictorum religentur membra catenis
 Se ferit, & certæ ſe vovet antè neci.
Sed non optatam dant fortia vulnera mortem
 Eſt opus à muri culmine, præpes eat.
Volvitur in præceps, in quo moriturus agone
 Fractus; at infractâ talia voce refert.
Ne Cives trepidate mei: quocumque ferantur
 Sortes, impavidos vos decet eſſe Viros.
Quid nex, quid gladius, rictu, vel funere patret
 Quod non magnanimus perpetiatur homo?
Pro patriis laribus, pro relligionis amore
 Optima non ſemper vita, perire fuit?
Dixit & ad populum pendens ex vulnere, viſcus
 Diſſipat, elaniat, fundit utràque manu.
Vincere quid gentem ſperas maleſvade Nicànor?
 Mittet cum verbis ilia rapta prius.

SUPER EADEM MATERIA

CARMEN.

FAllitur Anthiochus ſi debellare phalanges
 Cogitat Hebrigenas, alluvione necum.

Ra-

Razias ætate ſenex, exempla reliquit
 Virtuti, vires mortis, obeſſe nihil.
Ejà quid objicies terroris, Græce Tyranne;
 Ut gens, vota ſuo deſinat eſſe Deo?
An ferale jugum? truculentas anne catenas?
 An flagra, vel flagris aſperiora mala?
Inſanis. Qui ſpontè ſuo de pectore vellunt
 Viſcera, pœnarum, non genus omne ferent?
Infauſtum certamen erit, vinceris ab illis.
 Auſpicium infœlix, exta reſecta gerunt.
Sufficient nervos pugnacibus arcubus Ipſi,
 Ut te confodiant, quos jaculare vides.

SUPER EADEM MATERIA

CARMEN.

CLare ſenex, Patriæ quem Patris nomen adornat
 Quam melius Matris, nomina cara meres.
Viſceribus fuſis, Cives amplecteris omnes,
 Et Natos, titulo liberiore paris.
Haud minus exemplo nutris, dum corde revulſo
 Prodigus è fluidi fonte cruoris alis.
Fertur Avis roſtro, præcordia ſcindere, pullis
 Ut det prognatis pabula prompta ſuis.
Tu Pelicanus amans, tua pectora dividis ære,
 Æternæ tradas ut monimenta dapis.
Hæc ſciat Antiochus, Titius fremat alter ab irâ;
 Tu ſine corde, tuæ ſis Patriæque Parens.

MATHATIAS

Zelo legis Moſaicæ, Judeum desertorem, & Idolis ſacrificantem in Ara obtruncat, indè Prætorem à Rege Antiocho miſſum trucidat, & Altare ſubvertit. Lib. 1. Machab. cap. 2.

CARMEN.

JUdeum patriis errantem legibus, & jam
Sculptilibus dantem thura nefanda Diis.
Matthatias ferro petit, obtruncatque ſub Ara
Tanta ſuo zeli pectore flamma ruit!
Sed nec Prætori, laudabilis ira pepercit.
Huic adimens vitam, vovit aquiſque ſtygis.
Tum ſacra ſubvertens, altare à culmine perdens
Æquat poſtremo fœda ſacella ſolo.
Aſpiceres geminæ lætatum mortis Olympum
Aſpiceres hilares ad ruta ſaxa polos.
Æqua Deo cecidit, ſed Dæmone victima rapta
Tartareis manſit jure cremanda focis.
Vera fides! Illo de vulnere: deſiit eſſe
Relligio exanguis; vi ſed adaucta novâ.
Ipſo Prætoris flatu expirantis, Juda
Reſpirans, vitæ lumina prima bibit,

JOANNES

Primogenitus Mathatiæ, cum ſuis Fratribus, bellum incboat contrà Græcos Idolatras. Multoties ſignum, & auxilium babuit è Cœlo, proximæ triumphalis palmæ, de Idumeis. Lib. 1. Macbab. cap. 2.

CARMEN.

MAtthatiæ Natus princeps, pia bella Joannes
Inchoat, auſpicio Numinis, arma capit.
Nam neque pro genitis, aut libertate capeſſit
Martis opus, ſed pro Relligione patrat.
Annuit Omnipotens. Niveis Victoria pennis
Quà graditur voti filia, ponè venit.
Sæpius ex alto dederunt prænuncia Palmæ
Signa, manus Superûm, Cœlituumque chori.

Sæ-

Sæpius Isaciis sese junxere sodales,
Ferroque, hostiles enecuere globos.
Ejà agè, Idumæum Joannes exue palmis,
Indue, Judæum Daphnide fronde caput.

SIMON.

Secundus filius Mathathiæ, hæres Zeli paterni, armatur adversus gentes Idolàtras, conficit fœliciter plures expeditiones militares, præcipuè templa, & eorum Aras incendit, irridetque Antiochum cognomento illustrem. Lib. 1. Machab. cap. 2.

CARMEN.

Zelotypi Patris hæres, en ad prælia Simon
Fertur, & in gentes, armaque, corque ciet.
Castra locat faciem contrà Ptolemaidis: Urbes
Vastat finitimas, igne perurit agros.
Vidit Jordanes spumantes sanguine fluctus
Non semel, ad tanti bella peracta Ducis.
Arces flevit Arabs, devictas Marte, crematas
Obstupuit turres, & Galilea suas.
Urit præcipuè delubra profana Deorum,
Dumque urit, ridens hos canit ore sonos.
Antioche, his facibus fruere, atque hac luce potire
Illustris nomen, Te mode ritè decet.

JUDAS MACHABEUS

Tertius Filius Mathathiæ, specimen fortitudinis, est expertus administros suorum triumphorum, nè dum Naturam, sed Deum ipsum, tuncque in nostro intelligendi modulo, patuit esse hominem, quando in extremo certamine victor; armis hostilibus gloriosissimè occubuit. Lib. 1. Machab. cap. 3.

CARMEN.

TE Machabee canit centeno Fama ſonore,
 Et plus mortali prædicat eſſe Duce.
Dignum animo corpus, monſtrat lorica Gygantis
 Corpore dignum animum, prælia geſta docent.
Pro labaris Natura tuis confligere niſa eſt
 Quà liquet Æthra, fluunt cærula, perſtat humus.
Ominibus ſomnus, ſpectris polus, Aliger armis
 Omnes auxilio proſiliere tuo.
Ipſe Deus, Deus ipſe, ſua ter fulmina dextrâ
 Molitus, Judæ geſtiit eſſe comes.
Plura feram. Sibi trux, Machabeo ſerviit hoſtis
 Cum dementatus concidit enſe ſuo.
O' viſu res digna. jocos hos viſere mortis
 Partirique ſuas agmina cæſa neces!
Tres pia contrivit Virtus fortiſſima Reges
 Viciſti innumeros Axe favente viros.
Plus tua quam luces numerarunt tempora palmas
 Tecum Orbis voluit fœdus inire Caput.
Si tamen extremo cadis in certamine Victor
 Ex illo ſolum funere, viſus homo es.

ELEAZAR

Quartus filius Mathathiæ, pugnans adverſus Antiochi exercitum vallatum bellacibus elephantis, irruit in turritam unam belluam, viſam cæterarum maximam, quam gladio occidit: ipſe tamen ſub mole preſſus, in ipſo triumpho perit, Lib. Machab. cap. 6.

CARMEN.

TRux ille Antiochus ſuperans feritate Leones.
 In Judæ fatum concitat ire feras.

Tur-

Turritos armans elephantes, prodroma mortis
　　Monſtra, acies pugilum, rumpere mole docet.
Bellua quantumvis, fictos ſtimulata cruore
　　Ad veri potum ſanguinis acta, ſitit.
Una erat editior reliquarum, Eleazar at illam
　　Virtuti prædam deſtinat eſſe ſuæ.
Ferratas capitum ſegetes, hinc meſſuit, indè;
　　Et jam quadrupedis ſe tulit antè pedes.
Mox alvum bruti cataphracti perforat enſe
　　Saucia procumbit machina tanta ſolo.
Juraſſes ictum pugionis, fulminis eſſe
　　Illicò ſi turrim præcipitarit humi.
Sed ſuper incumbens Victorem cædua moles
　　Icta ruit, pondus ſubtus, & ipſe perit.
Tunc Machabeorum libertas, gloria, Cœlos
　　Plus petiit: pennas hæcque ruina dedit.

J O N A T H A S

*Cognomento Apphus, quintus filius Mathathiæ, ulciſcitur proditionem filiorum Jambri, qui interfecerant Fratrem Joannem, & hoc quando filia Principis Chanaam deſponſata ſuo viro ambulabat; in via enim à Jonatha, depopulata eſt, & interempta omnis multitudo, aſſocians tam virum, quam uxorem. Lib.*1. *Machab. cap.*9.

C A R M E N.

Ulturus Jambri facinus, Fratriſque cruorem
　　Montis ſub latebrâ ſtrenuus Apphus erat.
Ecce ſuo nuptura proco, venit obvia Virgo
　　Ex Madabâ, Chanaam Principe, nata patre.
Inclyta circumſtat pubes, luxuque ſuperbo,
　　Et præit, & ſequitur fuſa caterva Ducum.
Sponſus ad occurſum properat, par divite gazâ
　　Par Comitum numero, par locuplete penu.

Pul-

Pulſabat Vulgus; pſalteria mixta ſyringis,
Et teſtudineis tympana juncta lyris.
Omnes ad melicas modulato carmine voces
Clamabant, fauſtum dà bonus omen Hymen.
Exit ab inſidiiis Apphus, viſoque tumultu
Irruit, in pavidas, ceù leo Pœnus oves:
Hos gladio perimit, telis interficit illos
Cuncta ſub infernas agmina mittit aquas;
Eripit exuvias, ſpoliis, auroque potitur
Purpurat à fuſo ſanguine mollis humus.
Arma rotans Apphus dixit, Proſerpina Sponſæ
Pronuba, ſitque Viri Pluto jugalis hymen.

JOSEPHUS

Zacbariæ Filius ad famam victricium certaminum Fratrum Machabeorum, erigitur, ſuadetque ſibi ut & ipſe contrà gentes bellum capeſſat: Verum quia non erat de illo ſemine, deſtinato ad Hieroſolymæ ſalutem, ab exercitu Gorgiæ vincitur. Lib. 1. Machab. cap. 1.

CARMEN.

AUdierat Joſeph, fortunatiſſima prolis
Prælia Matthatiæ, cuncta per ora Ducum.
Nos etiam dixit pugnemus, in arma ruamus
Quis prohibet lauro nos redimire comas?
Conveniunt dictis Proceres, atque Urbe relictâ
Expirans Martem lecta juventa fluit.
Agmina Gorgiadis propugnatura laceſſit
Pugna fit: in rivos manat utrinque cruor.
Victor at egreditur Gorgias, & victus Joſeph
Mille bis Iſacidum nam periere viri.
Contigit hoc illi, quia non de ſemine natus
Per quod erat Solimis advenienda ſalus.

Haud

Haud Aquilâ genitus pullus, ſimilis licet alis
Solares radios lumine ferre nequit.

A Z A R I A S

Comes Joſephi, volens grande nomen nanciſci, quomodò Germanis Machabæis contigerat, cum hoſte init pugnam; verum ab illo eſt ſuperatus. Lib. Machab. cap. 1.

C A R M E N.

MArtia ſuſtulerat Machabæos Gloria Fratres
Mirantis geminos Axis ad uſque polos.
Æmulus Azarias virtutis, aduritur eſſe,
Ut patriis ſaltem fulgeat ipſe plagis.
Arma rapit, cuneos animat, tentoria ſternit
Audet in hoſtiles cominus ire globos.
Aſt ubi crediderat, belli captare triumphum
Vincitur, & pugnax cæditur enſe comes.
Scilicet ex illo fuerat non ſtipite germen,
A' quo capta Sion, exoluenda foret.
Ergò laurigero ſi non de ſtemmate fictus:
Audentem meritò fulminis ira ferit.

H E L I O D O R U S

Juſſu Seleuci Regis Aſiæ, venit Jeroſolymam, prædaturus templi divites gazas; ſed irritum fecit Deus opus; nam apparuit illi terribilis equus, & acer Eques; ille calcibus infælicem illiſit, hic vocibus abſterruit: Inſuper duo ſpecioſiſſimi Juvenes, Heliodorum fortiter flagellarunt, ita ut ſemianimis in terra jaceret. Lib. Machab. cap. 3.

C A R M E N.

VEnerat ad Solimæ Templum, circumdatus armis
Rapturus ſacras Heliodorus opes.

Vo-

Voluenti facinus; fuper aftitit Armiger illi
Veftibus auriferis, tergore vectus equi.
Affeffor, fonipefque fimul, calcaribus alter,
Alter calce, nefas impedit, arcet opus:
Sternit humo quadrupes, meditantem ferre rapinas
Calcibus; at terret vocibus acer Eques.
Nec mora formofus facie geminatus Ephæbus
Semianimis torto verbere, membra ferit.
Dixeruntque fimul: Nefcis, quot Numinis Ara
Cuftodes habeat? vindice difce flagro.
Hic non eft auri cuftos Draco fictus, Olympi
Eft melior tutrix ungula Cornipedis.

O N I A S

Summus Sacerdos, orat pro Heliodoro flagellato, & femivivo, cujus precibus Præfectus ærarii Seleuci erigitur, reditum dirigit ad Regem, ut illi eventum, & tot magnalia patefaciat. Lib. 2. Machab. cap. 3.

C A R M E N.

JAm tunfus fcuticis, animam Heliodorus agebat
Lucis inops, culpæ confcius, ictus humi.
Et properè ftygias peragraffet Spiritus umbras
Ni pro fe fupplex hoftia prompta foret.
Antiftes fummus, lacrimis exorat Onias
Cœlicolum Numen, vivat ut ille mifer:
Annuit oranti Dominus, vitalia rurfus
Stamina net Lachefis, penè recifa manu:
Vive. Flagellatum Te fic oftende Seleuco
Judicet Is, Templum fi fpoliare decet?
Verbera fi mortem, fi dant & verba falutem
In Cœlum rurfus ne fpuat ullus homo.

JE-

JEREMIAS

Propheta in somnis apparens Judæ Machabeo, porrigit illi auratum ensem, ut cum eo, de suis, & Dei perduellibus stragem conficiat. Lib. Machab. seq. cap.

CARMEN.

BElliger auratum cape Vir divinitùs ensem
Jeremiæ dextrâ, munera Martis habe.
Tu ne Juda putes, sint hæc insomnia vana.
Assolet in somnis vera monere polus:
Auguror: Oblatum Græcos æs atteret hostes,
Ut non plus fruges falx inimica metat.
Ille tuis manibus lucescet Orionis ensis
Quem Cœli campo territa stella pavet.
Non erit Herculeâ minor edomitrice ferarum
Clavâ, non hastâ Palladis inferior.
Ad gladii giros, tellus madefacta rubescet
Sanguine, purpureum parturietque mare.
Occidet adque suos Argiva corona, rotatus
Cui sertum, taxus, sivè cupressus erit.
Sic falx, sic fulmen, sic clava patebit, & hasta
Mucro, gerens auri non minus ære decus.
Quà ferrum feriat, radiet quà continet aurum
Augustum reddent bina metalla caput.

ELEAZARUS

Sacerdos Summus, nonagenarius, observantiâ Mosaicæ legis, elegit, priùs capitali sententiæ fieri obnoxius, quam fingere esum carnis porcinæ. Lib. 1. Machab. cap. 6.

CARMEN.

PRæceptus carnes Eleazarus esse suillas
Respuit: esca trucis maluit esse necis.

Quid tentatis ait, canos fœdare capillos
 Esu porcinæ (lege vetante) dapis?
Fallimini. Vixi satis, haud inhonorus abibit
 Spiritus, ad stygias cum peragrarit aquas.
Nec totus moriar: Mea mors oblivia lethæs
 Nesciet, ac plausu postera sæcla canent.
Hæc oris species, rugâ sulcata senili
 Palmarum messem, nonne merere monet?
Argento fas est argentea sidera crinis
 Quærere, me lucrum tale, senecta docet.

SUPER EADEM MATERIA

Mavult Sanctus senex vitam prodigere, quam fingendo manducationem vetitam, scandalum posteritati relinquere. Lib. 4. Macbab. cap. 6.

C A R M E N.

FIngere quid prodest esum, si pabula veræ.
 Non fugiam mortis? sint procul ista, procul.
Quas Ego sum fassus leges violabo labellis?
 Quos docuit mores os temerabit idem?
Absit, & annorum non æstimat ille meorum
 Pondus, qui letho plus putat esse leve.
Jam quasi protraxi sæclum, vitamque perennem
 Oppetior, lucis si modò Vesper adest.
Longævos meruisse dies hac morte docebo,
 Parque fuisse diù vivere, fortè mori.

MATER SEPTEM MACHABEORUM

Hortando filios ad martyrium, & se ipsam morti vovendo, transmisit grande exemplum fortitudinis, venturis sæculis apud legem Gratiæ: Imitatæ sunt enim eam Symphorosa, & Fœlicitas, quæ in simili facinore, victrices resplenduèrunt coram Deo, & hominibus Heroides. Lib. 2. Macbab. cap. 7.

CAR-

CARMEN.

ASpicis ut torvis oculis, fortissima Mater
Increpitet feras Axe stupente neces!
Pignoris ad mortes septeni tota laborat!
Ne sit Natorum vita superstes hiat!
Assequitur patriis verbis, atque ubera monstrans
Lactifluo sobolem flumine fassa suam.
O' Niobi oppositum fatum! lapis illa rigescit
Septenum ad funus; gaudet at ista Parens.
Sed non hic finis: lethorum pronuba ductrix,
Quæ fuit hortando, mox meret esse comes.
Martyr it, octavum post septem sidera Sidus
Exemplum Christi posteritatis obit.
Symphorosa aderit, genitrix Fœlicita surget.
Gaudebunt ambæ post tua signa sequi.
Ex tunc venturis profudit semina sæclis
Sanguinis, ut Christo par oriretur honos.

SUPER EADEM MATERIA

Irridet Cœli Amazon, fœmina omnium generosissima, Antiochum, audentem Mosaicam legem evertere, & unà cum sui filiis, auspicatur sibi de Rege indigno, dignum triumphum Lib. Macbab. cap. 7.

CARMEN.

PUgnat in Antiochum genitrix Machabæa, resepta
Verticibus septem, cœlitis instar hydræ.
Cervices septem, sunt septem pignora, jam, jam
Imperium Matris, verbaque prompta sequi.
Sic ait: Haud solæ generant Rex Graje Lacenæ
Hæbreæ norunt, & peperisse viros.
Ne calatos contemne meos, ne stamina ride
Mox glomus aspicies, quod sua bella gerat.

Hæc mea progenies, legionibus obvia veſtris
Ibit, quiſque potens, & Gladiator erit.
Grandia Tu noſtræ cernes ſpectacula Prolis
Ludorum hebdomadam, ſed feret una dies;
Ipſa feram de Te victrix Laniſta trophæum
Illud fœmineis, & glomerabo colis.

PRIMUS FILIUS

Flagellis deturpatus, aliiſque tormentis laniatus, invehitur in Tyrannum, adſtruit vanum eſſe ejus auſum, linguam, & cæteros artus obtruncandos offert; & cum elinguis evaſerit, ſua vulnera Regis feralitatem proclamabunt. Lib. 2. Machab. cap. 7.

CARMEN.

INcipitur bellum; Qui prima crepuſcula vitæ
Hauſit, lictorum prima flagella bibit.
Grandinat heù qualis juvenilibus artubus imber!
Laxius hibernam percutit imber humum.
Fagineas inter virgas, faſceſque ſalignos;
Corda ſed impavidum fortia pectus alit.
Tum ſic converſus, ructavit verba Tyranno
Cur miſer inſanis? quid furibundus agis?
Jam non Iſaciâ morientur gente ſtatuta,
Quæ Deus æthereâ Patribus arce dedit.
Credulitas vana eſt, feritas vaniſſima, ſulcas
Æquor, arenoſo ſemina fidis agro.
Si linguam, ſi membra petis, ſi colla ſecanda
En gladiis voveo, barbarièque dico.
Attamen elinguis, pro me, mea vulnera dicent
Sit mihi quanta fides! ſit tibi quale nefas!

SECUNDO GENITUS

Matris Machabeæ: Non diſſimilis, Fratri Primogenito in for-

fortitudine, se ipsum vovet intrepidè suppliciis, insuper increpat Antiochum de sua crudelitate, & illi æternam mortem auspicatur. Lib. 2. Machab. cap. 7.

CARMEN.

INgreditur pugnax, natùque secundus arenam
Cui parat auxilians arma secunda polus.
Abstractâ capitis cute, connectente capillos
Quæsitus porcam mandere forte velit?
Non faciam dixit: moriar: vestigia Fratris
Quantùm germano præstat amore sequi!
Devorat idcircò, Fratris tormenta potenter
Ore vocat gladios, exilit antè faces.
Cùm tamen extremos Animus celebraret agones
Ad Regem versus, sic moriturus ait.
Arripe sæve cutem; non in cute stat mea virtus
Victitat in fibris haud Machabæus amor.
Barbare vaginâ frueris, non ense potiris
Amittes etiam cum redivivus ero.
Tu tamen æternâ Ditis cruciabere flammâ
Neve mori poteris, cum periisse voles.

TERTIUS FILIUS

Machabeæ genitricis. Tyrannum torquet suâ animi patientiâ, & ineffabili robore, offert manus, ut à ferro secentur. Lib. 2. Machab. cap. 7.

CARMEN.

TErtius ad pugnam rapitur, præit iste triumphum
Auspicium numeri perficientis habet.
Nempè coronatis impar nihil, arduus antè.
Antiochum, tales promit ab ore sonos.

Quid

Quid lymphatus agis? quæ te fanatica torquet
Cura? diem frustrà dire Dynasta teris.
Hebræos animos non ænea fulmina frangunt,
Ut paveant mortem, non habet arma furor;
Quære manus, en trado manus, mete, finde, trucida
Ad quod se tendet dextera majus opus?
Cum mutilus fuero, victor vocitabor in ævum
Arripiet palmam, palma recisa suam.

QUARTO GENITUS

Filius, Machabeæ Matris sistitur coram Tyranno. Sustinet intrepidè Carnificum lanienam, exhibet Antiocho pedes, ut instar Fratrum præcidantur. Lib. Machab. cap. 7.

CARMEN.

HEros quartus adest, domiturus morte Tyrannum
Prompta quatergemino stemmate, serta manent
Impatiens properat; religet quà tempora lauro,
Quàque suas stringat vitta quaterna comas.
Incipe magne Puer, dictis, quater urere Regem
His Tu Regalem vocibus, angis Herum.
Jam face, jam gladio superatis, scindere plantas
Si placet, en ferro pes resecandus uter.
At quid stulte putas? pedibus sine, compita forsan
Non Cœli curram? non penetrabo polos?
Vana fides: talis Orbo stat olympica palma,
Ille tuus secto sub pede fastus obit.

QUINTUS LIBERORUM

Hebreæ Amazonis, sidereâ libertate Antiochum increpat, ne tardet in se facere experiri Fratrum supplicia, & præcipuè in accensa sartagine se promit hostiam cremandam. Lib. 2. Machab. cap. 7.

CAR-

C A R M E N.

NAtorum quintus, mortis ſuccede paleſtræ
    Pro Te mox quantus depluet Axe favor!
Sit tibi parva manus, digiti ſint quinque puſilli
    Aggeribus plenis, laurea texta metes.
Vade coronandus, quintum ſuper æthera: Martis
    Limina Gradivus ſplendidiora parat.
Jam puer, Antiochum ſtimulis bis urget, & inquit
    Una fides, Fratres unica palma decet.
Fervere conſpicio craſſam ſartagine olivam
    Quid liquido tardas igne cremare cutem?
En oleis aſto, pingui non ſubtrahor ollæ
    Ex hoc, Luctator plus generoſus ero.
Sed ſi rere, focis Patrum me linquere leges,
    Amiſiſſe ſcias Pallada, tempus, opus.

SEXTUS FILIUS

Machabeæ parentis, converſus ad Antiochum, moram exprobat ſuæ diſcerptionis, ſciens in die noviſſimò omnes artus recuperaturum, ut cum illis ante confuſum Tyrannum glorioſè triumphet. Lib. 2. Machab. cap. 7.

C A R M E N.

OH. Sexti nomen, ſi ſciret Phœbus, Ephœbi
    Ter caneret citharâ ter fidibuſque lyræ.
At numeri reſonent fortiſſima geſta puelli,
    Nomina lethæis ſi latuere vadis.
Sextus, ubi ſævo fixit ſua lumina Regi
    Illuſtri roſeus manſit in ore color.
Poſteà. Cur Sextum cunctaris perdere? dixit;
    Non ultrà Fratrum vivere poſcit amor.
Pœnarum gemmis illorum compta fuerunt
    Stemmata, cur baccis noſtra corolla vacat?

Ein-

Finde manus, excinde pedes, interfice dextram
Ultima restituet perdita membra dies.
At Tu pro vita minimè; sed morte resurges
Ignibus ut stygiis esca perennis eas.
Ergò Me mutilum, truncum, fac corpore sectum
Nobilior scalpri dente, lapillus ero.

SEPTIMUS

Et ultimus filius Macbabeæ Genitricis, super omnes Fratres extollitur, tam in despectu sponsionum Antiochi, quàm in generosa passione martyrii, quod ab irato Rege præceptum fuit, omnibus ferè crudelius. Lib. 2. Machab. cap. 7.

CARMEN.

ORtu qui minimus, stas maximus, ordine laudis.
Postremus natu, strenuitate prior.
Septime tu senos Fratres, Te vincis, & ipsum
Tanta sub exiguo pectore corda latent!
Te non divitiæ, jurata fidesque Tyranni
Evincunt, animi non adamanta terunt.
Te non illecebræ, desponsaque commoda vitæ
Illaqueant, in eis es puer, esque gygas.
Antiochi stultas irrides ore chimeras
In zephyros sparsas, arguis ire notas:
Sed plus irradias Regis tormenta ferendo
Tota etenim Fratrum Te laniena terit.
Nam tibi tot cedes sunt visa crepundia, visi
Sunt Germanorum funera sena, joci.
Exultas gladios inter, fasceque, rogosque
Non secus ac essent membra tenella, silex:
Te super hebdomas, en completur stragis, & iræ
Hic Feritas requiem laxa labore, capit.

SI-

SIBYLLA PERSICA

Prima inter numerum, decem Sibyllarum, prophetat adventum Divini Verbi in carne, insuper prænunciat aquæ Baptismum Joannis, in Jordane, & lavacrum regenerationis Christi in Spiritu Sancto. August. de Civit. Dei.

CARMEN.

PErsica prima fuit, quæ Numine fœta Sibylla
 Est hominem Virgo vaticinata Deum.
Fœlix Auroræ Populus, dignatus Olympi
 Dia per os Vatis munera scire prior.
Sic cecinit Phœbas. Feralis bestia, quali
 Sternetur valido præda subacta pede!
Dicite Io, Pœan, epinicia pangite Gentes
 En fera victa, solo cornua rupta dolet!
Adveniet Dominus pacis, currentibus annis,
 Virgine qui nasci de Genitrice volet.
Hic erit ille, potens lapsis succurrere rebus
 Fultor Atlas Orbis, Terrigenumque salus.
Mira cano! Æterni Verbum Genitoris, & illi
 Æquævum genus, in tempore fiet homo!
Laus tibi Rex Superum, nostros Deus excipis artus;
 Sideris, & terræ Conciliator ades.
Electum cunis, cernet præsepe bubulcus
 Corruet at Domini Plumiger ante genu.
Hujus erit Verbi vox, æstro plena Joannes
 Fulgebit veri prodroma Solis Eos.
Zacharides Jordanis aquâ mundabit; at Ille
 Flamine Flumineas, nobilitabit aquas.
Scilicet ut veterem tumulet sub fluctibus Adam;
 Tendat & ad superos vena beata polos.
His docuit Persas, tacuitque Sibylla: Sibyllis
 Os etenim fuerat fas aperire novem.

SIBYLLA LIBICA

Secunda in ordine, de qua Euripides in prologo Lamiæ, oracula de Christo recolit, & ejusdem commendat miracula carminibus, virtute quorum est cæcis visus, surdis auditus, gressus impotentibus, & vita mortuis impertita.

CARMEN.

Hîc ades, ut pandas ventura, Libyssa Sacerdos
  Quæ faciet Numen, cùm gradietur homo.
Tu portenta refer, tabulis monumentaque scribe;
  Nam Tibi per Dominum mira patranda patent.
Incipit Illa. Deus carnis cùm sumet amictus
  In tota Charitum munera fundet humo.
Bethsaidæ cæcus, geminum cui lumen ademptum
  Aspiciet superæ robora Dia manus.
Dum petit orbus opem, roseo spuit ore Redemptor
  In clausos oculos: sputa fuere salus.
Fit subitò cæcus, veteris caliginis expers
  Aspectat læto, lætus & ore diem.
Pupillis valuit clausis, aperire colores
  Lux Mundi, lucis dona repentè dedit.
Ast alibi, Tyrios fines, post terga relinquens
  It dum Sidoniæ lata per arva plagæ:
Auribus en captum sistunt, validamque medelam
  Poscunt, ignotos hauriat undè sonos.
Ille prius digitos, duras immittit in aures
  Mox Patris Æterni Numina magna vocat.
Protinùs auritum nova fingunt organa surdum,
  Quique idem mutus gutture, verba parit.
Quid referam, ut medicas suspirans Languidus undas
  Piscinæ fundo repperit æger opem?
Non tamen æthereo motis hic ab Alite lymphis
  Consolidat plantas; at breviore viâ;

Allo.

Alloquitur ſiquidem Dominus non ire potentem
His verbis, fieri vis modò ſanus homo?
O' Utinam reſpondit inops. Quis at inferat illuc
Me, cui vis toto corpore nulla manet?
Dum nitor, mora longa ſubeſt, deſcenſus ad amnem
Tollitur incolumis, quà prior alter abit.
Non opus his, inquit Chriſtus, cervice grabatum
(Sic jubeo) porta, tergore ferque tuo.
His dictis inopina ſalus inveſtiit ægrum,
Et rediit priſcus per ſua membra vigor.
Parva tamen ſunt hæc portenta, librata bilance
Prodigii, quandò mors ſuperanda venit.
Ecce Naimæam (proſpecto) Numen ad Urbem
Vadit, poſtque ſuum plebs bona tendit iter.
Filius effertur, præreptus morte parentis
Unica progenies, ſpes & acerba domus.
Infœlix Mater dulci prius orba marito,
Et nunc Unigenâ pignore caſſâ ſuo.
Solvitur in fletus; viduos ſed Divus amores
Complangens, miſeræ ſic Miſerator ait.
Parce parens lacrimis; natum tibi reddo, revive
O' Juvenis, Matri quippè reſurge tuæ.
Defunctus pheretro ſurgit, poſt fata ſuperſtes,
Et ſedet, & vitæ fœnora, rurſus habet.
Poſt hæc, conticuit lybicæ cortina Sibyllæ,
Plus caluere Deo; quam Procyone fibræ.

SIBYLLA DELPHICA

Tertia in ordine, quæ etiam Themis vocata, meruit à Romanis ſtatuam, tamquam fatidica Deorum Virtus. Ipſa tamen, amica, & veri uniuſque Dei conſcia, multa prædixit de Chriſti adventu, carminibuſque mandavit futura opprobria Nazareni Regis, ſcilicet ſputa, alapas, & potum amariſſimum, fellis, & aceti.

CARMEN.

DElphica non ultrà reſonent oracula Phœbi
  Mendaces templo ſæpè locuta ſonos.
Delphica Tu Phœbas, veriſſima funde profata
  Tu quæ vel Themidis nomina vera meres.
Romulus erexit ſtatuam tibi jure Senatus;
  Nam Te fatidicam credidit eſſe Deam.
Eja agè carminibus venturum pande Prophetam
  Venturi ſiquidem conſcia Virgo micas.
Audior: Hæc recolit. Natalia parva, Sacerdos
  Maximus excipiet, grandis amoris opus;
Myſta ſed intactâ naſcetur Virginis alvo
  Amplexus Mater neſciet illa viri.
Paſtores ovium, cunabula Dia ſtupebunt
  Cœlica de paleis ſtramina turba colet.
Fortis amor, faciet boreales temnere brumas,
  Indeque crudelem ſpontè ſubire necem.
Eloquar an taceam? minus eſt occurrere morti
  Plus eſt cum letho dedecus eſſe comes.
Terge meis lacrimas oculis, prædicere ſi fas
  Cœlipotens, quotquot fellea fata bibes.
Heù, heù examines properas tu Numen ad umbras!
  Deturpant roſeas ſuccida ſputa genas!
Forte domo totâ, locus haud immundior extat?
  Ah quis lucicomi Solis, in ora ſpuit?
Tu quid lictor agis? Cur dextram tollis in altum?
  Hei mihi, quod malas percutit ille Dei!
Ah malè nata manus, malè perdere Numinis auſa
  Empyrei colaphis lilia mixta roſis.
Mutuat ex illis ſurgens Aurora colores
  Purpureos, quas tu cædis, iniqua genis.
Arères melius, liveſcere facta Tonantis
  Sideream faciem flagitioſa manus.

Par-

Parva queror: Cruce fixus Amor, laticis petit haustum;
Quærenti modicæ, sed prohibentur aquæ.
Horrida barbaries, morienti pocula portant
Pocula, quæ myrrham, fellaque dira gerunt.
Hæc libat, faucesque cremant, feriuntque labella,
Dirius heû guttur torquet amara sitis!
Qui rores, pluviumque Jovem, sitientibus arvis
Dat: frustrà lymphæ nunc cupit Auctor opem.
Sed reor humani generis sitit ille salutem
Plusquam fontanos, ut levet ora scyphos.
Sic est. Hinc lacrimis finem præsagia noscant,
Ingratos homines quid Themis indè canam?

SIBYLLA CUMÆA

Quarta in ordine, & celeberrima vaticiniorum altitudine, quam Cumis veneratus est Æneas, & à qua Virgilius mutua accepit carmina: prophetat adventum Domini, ejusque genethliacum diem, qui fuit Olympiade centesimâ nonagesimâ quartâ. Commendat præcipuè tempora pacis, in quibus oriundus est Servator. D.August. de Civit. Dei.

CARMEN.

CUmanas habitare plagas, Cumæa Sibylla
Te juvat, Euboici quà maris unda sonat.
Montis ubi se tollit apex, oracula ructas.
Æneas veritos hic bibit aure sonos.
Tu Servatoris Mundi, præsagia certa
Commendas Musis, Carminibusque jugas.
Adveniet, sic inquis, Amor, Sobolesque Tonantis,
Adventuque suo, munera pacis erunt.
Tunc Janus portis per centum visus apertis
Sæcula, conclusas annuit ire fores.
Pax ditabit agros, pax messes ubere cornu
Afferet, & baccho dolia plena geret.

Pax faciet campis, oleas manare liquentes
    A' Roma, Romam quà Tibris amne ſecat.
Quandoquidem terris, Saturnia regna redibunt
    Aurea gens, totam luce replebit humum.
Hoc Duce, cuncta cadent, noſtræ veſtigia noxæ
    Formido longè, terror eritque procul.
Illi per cunas, quamvis ruat axe December
    Florida quàm lætus dona refundet ager!
Spontè ſuum lac promet ovis, non indiga mulctræ
    Hoc natum paſtor pignore noſcet Herum.
Occidet heù coluber, multos dominatus in annos,
    Noxia nec fallax herba venæna feret.
Heſperiis etiam truncis, orietur amòmum
    Oenotrius pariet balſama grata frutex.
Aſperibus dulcis pendebit ſentibus uva
    Roſcida populeo cortice mella fluent.
More bovis, paleas leopardus fœnaque mandet;
    Ludet balantes & lupus inter oves.
Nullas capreoli metuent, agnique leenas
    Immixtus vitulis villifer Urſus erit.
Quin Infans, parvamque manum, digitoſque tenellos
    Aſpidis in cavea, ponet & indè trahet.
Fas etenim pueris, propter dormire Dracones,
    Nullaque peſtiferæ damna pavere necis.
O' fœlix ætas! O' aurea Olympias! In Te
    Conſcius omnigenas fundet Olympus opes.
Poſt centum, Tu nonageſima quarta micabis
    Tunc Numen noſtram divificabit humum.
Conjugio ſtabili, Terræ miſcebitur Æther
    Deſcendet Cœlum, Sidera Terra petet.

SIBYLLA ERYTHREA

Eurifile nomine, quinta in ordine Sibyllarum, annunciat horrendum diem extremi judicii, cujus carminibus, & te-

teſtimonio uſa eſt Eccleſia Catbolica in ſacro defunčto-rum ritbmo.

CARMEN.

OMnibus Eurifile gemmis, Erythrea Sibylla
Major es, Jonii quas maris unda vehit.
Margaritas ex axe ſatas in Tethyde natas
Non tibi componat, dives Erythra ſuas.
Tu quaſi concha poli, terrenas incolis oras
Sidereos ideò fundis ab ore ſonos.
Sic æſtro replena tonas: Deſcendet ab Æthra
De Genitore ſatus cœlite, Chriſtus amor.
Judicet ut Mundum, poſtremæ fata ſenectæ
Raptantem. Qualis ſed foret illa dies?
Illa dies iræ, flammas deducet ab aſtris,
Et fax ad ſtygias uſque meabit aquas.
Adamidæ pavidi, ſe ſiſtent antè tribunal
Horriſonâ nimium ſollicitante tubâ.
Tempore non illo latitabit pectore quidquam:
Quilibet heù cordis ſenſus apertus erit.
Quod tenebris, quod nocte ſcelus fuit antè retectum
Exiet, ut crimen publica pœna premat.
Hic dolor, hic gemitus, videas hinc ſtridere dentes
Morſibus indè ſuam dilaniare cutem.
Deficiet lucis ſplendor, Phæbuſque, Sororque
Nigrantis velo cycladis ora tegent.
Aurea nec minimum libabunt ſidera lumen
Sola Planetarum veſtiet umbra domos.
Exurgent imæ valles, montiſque ſuperbi
Aerius lapſo calce recumbet apex.
Infima ſupremis, nullo diſcrimine nexa
Protendent æquam ſtrata per arva viam.
Navita non ullis curret vada ſalſa carinis
Nullibi velivolum per maris æquor iter.

Are-

Arescent modici fontes, & grandia fluctu
    Flumina, consumet cæduus Axe rogus.
Ut vox Aligeri, sonitus imitata tubarum
    Clanget, grande tremens os reserabit humus!
Hinc Erebi sedes, & Tartara Regna patebunt
    Ascendet superas, Infera flamma plagas.
Quis non Lethèas caveas, ergastula Ditis
    Horreat? æternæ noctis inane chaos?
Ante thronum, Terræ Reges, Proceresque timescent
    Ipsi etiam Cœli, Judicis ora trement.
Tempestate illâ, Adamidum lis omnis agetur,
    Nullaque Terrigenum causa, superstes erit.
Fœlices dextrâ statuet quos parte Creator.
    Agnis addici prospera Fata dabunt.
Væ miseris, pars læva quibus decreta manebit
    Instar caprarum grex inimicus erit.
Illos ros Cœli pascet, saturabit Olympi
    Nectar; at hos semper Tænarus ignis edet.

SIBYLLA PHRYGIA

Sexta in ordine, adepta cognomentum à regione, qua nata est, Anciræ prophetavit. De Christo hæc vaticinia excaravit: scilicet quod suæ mortis tempore, templi Velum scindetur, montes nutabunt, & per tres horas, tenebræ terram operient, suoque modo cuncta dolebunt.

C A R M E N.

Audiit Anciræ Phrygiæ responsa Sibyllæ
    Gens Paphlagoniæ sub regione sita.
Clarior illa fuit Cassandrâ Vate ruinam
    Præfatâ Phrygibus, fraude tumentis equi.
Nam non excidium Patriæ, Theucrasque favillas
    Præsciit, Argivos admonuitque dolos;

Sed

Sed foliis pinxit feralia fata Tonantis.
Cùm prò Terrigenis arsit amore mori;
Hos cecinit numeros. Hominum qua luce Redemptor
Calvareis saxis exanimandus erit:
Scindetur Templi velum; compage solutâ
Dissilient montes, ibit ad astra fragor.
Mugiet heù tellus, cùm marmora vulsa fatiscent:
Gaudebunt priscâ non elementa fide.
Golgothei saltus plangent, collesque propinqui,
Quæ poterunt, luctus tristia signa dabunt.
Bessura tu querulo sonitu, vos Galgala lessu
Flebitis, Azòti vosque gemetis agri.
Quomodò non rerum doleat Natura parentem?
Luminibus siccis nulla creata forent.
Sidereis oculis, ædes plorabit Olympi
Illa dolorosas non nisi fundet aquas.
Phœbus funestæ contemplans funera mortis
Avertet vultus, exuet ore jubar.
Certabit verso squallens temone reverti
Auricomasque, volet dilaniare comas;
Per tres assiduè compos caliginis horas
Nubiferum tereti vestiet orbe peplum.
Lugebunt Manes etiam, gelidisque sepulchris,
Ut Numen plorent exiliisse petent.
Ah cineres tanget tantus dolor! ossaque tanget!
Et tanget duras per nigra tesqua petras!
Non hominem tanget, pro quo Deus ardet, obitque!
Cautibus asperius cor tibi perstat homo!
Sanctus Amor, tantum quid Dio pectore sævis?
Ure feros homines, fac quoque Numen ament.
Hæc dicens imo fudit suspiria corde
Oris siccavit guttura, cordis Amor.

SIBYLLA ALBUNA

Septima in ordine, Tibure nata eſt, à quo cognomentum ſumpſit. Ob altitudinem vaticiniorum, ut Dea reputata eſt, meruitque ſimulacrum, ad currentes undas, fluminis Eniens, in cujus dextra liber præferebatur. Auſpicata eſt Annunciationem Virginis Deiparæ, in Nazaret, & divinum Partum in Bethlem. Hæc eſt quæ ſcripſit Beata Mater, cujus ubera lactabunt Puerum Deum.

CARMEN.

ALbuna, cui ſuperos Tibur ſacravit honores
Hæc eſt. Aſſaracis, ut Dea culta viris.
Olli Marmoreum populi ſtatuere coloſſum,
Quà fluvias Eniens ad mare vertit aquas.
Arcanum ſapiens monſtrabat dextra libellum,
Utpotè theſauri nobile ſtemma ſui.
Hæc fuit Illa, ferax de Flamine fœmina Sancto
Adventum Domini teſtificata quater,
Sic ſcripſit. Tu Nazarei plaga florida Cœli
Alitis excipies pronuba verba Dei.
At Tu Bethlemum, Tu fortunatius antrum
Siderei dignum Principis eſſe thronus.
Tempus erit, cùm ſtelliferis Nox ducta quadrigis
Attinget medii culmen inane poli.
Tum Genitrix Virgo, Charitis lætiſſimà ſigno
Parturiet pignus Numinis, atque ſuum.
O' quæ Virgineo ſtillabit corde voluptas!
O' qui materno pectore dulcor erit!
Floreſcet tellus, divini conſcia partus
Ridebit pleno nata Decembre roſa.
Ante Dei ſobolem, tardus procumbet aſellus
Boſque comes, curvo poplite tanget humum.

Ali-

Aligerûm cætus, patulo librabitur Axe
    In Pueri laudes, fundet ab ore melos:
Munera Pastores calathis silvestria textis
    Ultrò ferent lactis, vel volitantis avis:
Tu mage, Tu reliquis ò terque, quaterque beata
    Diva Parens, ulnis stringere lecta Deum.
O' pectus fœlix, indulgens ubera labris,
    Infanti, per quem pascitur omne pecus.
Tuque eris ò Genitrix, lapsi spes altera Mundi:
    Nato dumtaxat pignore, Virgo minor.
Ipsa Ego Te veneror, tenebrosas inter & umbras
    Quamquam oh! sed placeant, quæ rata fata manent.
Albuna sic scripsit, scriptis sic Albula plausit
    Visa sit ut Tiberi, Tibure nata Dea.

SIBYLLA CUMANA

Demophile nomine, & octava in ordine Sibyllarum. Cumis orta est, à quibus nomenclationem est adepta. Obtulit hæc Tarquinio prisco, sua carmina: Verum non æquante pretio valorem, duos libellos igni tradidit: pro superstite libello eamdem summam pro omnibus quæsitam habuit. In Capitolio libellus servatus est, donec illud sub Mario, compos incendii, omnibus monimentis fuit expoliatum. Aliqua tamen carmina hujus Sibyllæ reperta sunt, & sunt hujusmodi vaticinia. Morietur (de Christo loquitur) mensibus vernis, postque tres dies gloriosus resurget.

CARMEN.

DEmophile claris habuit natalia Cumis
    Chalcidicique fuit gloria summa poli.
Hæc jam Tarquinio fatalia carmina prisco
    Obtulit, at modico respuit ære stipem.
Hujus servarunt Capitolia Romula Musas
    Donec sub Marii deperiere face.

Cumanæ ſteterunt monumenta puſilla Sibyllæ;
Ignibus incolumes, hæque fuere notæ.
Occidet Ætherei Patris, dulciſſima proles.
Occidet, inflexum ſub Cruce pondus erit.
Heù quod cerno nefas! vernis dum Solibus annus
Chloride gemmaſcit, dum roſa nata rubet.
Ille Sator rerum, manibus, pedibuſque cruentis
Indignum duro ſtipite pendet onus!
Purpura quina patet, ferro reſerata trabali
At lateris majus vulnus amoris hiat!
Dum placito vitrei ſolvuntur murmure fontes
Inter dum tenuis gramina rivus abit:
Artubus è ſciſſis, & aperto pectore Divi
Centeno riguus defluit imbre cruor!
Dum Ver coccineum, ſe pingit Adonidis oſtro
Dum de liliolis frontis adauget ebur.
Spiniferis cervix textis eſt ficta Tonantis
Liveſcit violæ Dia nigrore caro!
Dum philomela canit, queritur ſuper arbore turtur
Velivolæ Thetidis ſibila glauca tacent.
Ille obteſtatus precibus, lacrimiſque Parentem
Exanimis clauſo Vox Patris ore ſilet!
Attamen Eoi poſt tres Hyperionis ortus
Exurget, vitæ rurſus origo novæ.
Exiet infernis Princeps redivivus ab antris
Devictæ mortis plena trophæa feret.
Ipſe catenatus Pluton per tartara regna
Ducetur. Dio ſub pede ſceptra gemet.
Infera prærupto mœrebunt flumina cornu
Diſcerpet madidas plebs Erebæa genas.
At Chriſti Comites redimiti tempora lauro
Sublimem palmâ ponè ſequentur Herum.
Victor io, Pugnator io, clamore ſonabunt
Ad ſuperas tollent, ſigna, Ducemque plagas.

Luci-

Luciferi folium, Phlegetontis regna fubacta
Everfum imperium Ditis, ubique canent;
Talia Cumanæ referebant fragmina Vatis
De Capitolino fragmina rapta rogo.
Parcere debuerat tabulis Vulcanus, onuftis
Non defecturo Pneumatis igne facri.

SIBYLLA HELLESPONTIACA

Nona in Sibyllarum ferie. Sub Ciro Rege multa edidit vaticinia. Sic de Chrifto fenfit. A' Cœlorum culmine refpiciet Deus humilem, quem exaltabit, fuperbos verò humiliabit. Nafcetur in terris, ex Hebrèa Virgine.

C A R M E N.

HEllefpontiacam celebrarunt fæcla Sibyllam
Cum regeret Ciri fceptra paterna manus.
Talia concinuit Vates hæc Numine plena
Plaufit & auritus voce fonante polus.
Cernet ab æthereo Superûm Regnator Olympo
Turgentem prædis ire, redire, ftygem.
Nec juviffe homini, quod femen ferret ab Æthra
Ufquè adeò nocuit culpa parentis Adæ!
Tum Pater Omnipotens æterni compos amoris
Sic fecum accenfo pectore verba feret.
Ecquis erit finis? Num femper Tartarus anguis
Humanum, Ditis ducet ad ima genus?
Non ita; fed genios fas eft calcare protervos
Illorum exuvias eripuiffe manu.
Adamidæ, fuperas contrà revocentur ad oras
Empyreum vacuâ fede replere decet.
Parcere fubjectis, & debellare fuperbos
Hic animus Dio corde perennis erit.
Nafcere Tu noftræ pulcherrima mentis imago;
Nec linquens Cœlos exoriare folo.

Te

Te ſinus excipiet Jeſsèæ Virginis, expers
Concubitus, Cycno, candidiorque nive.
Scilicet ex aſtris deſcendens Spiritus, alvum
Fœcundam faciet, tactibus abſque viri.
Cumque ſuum novies tenuarit Delia cornu,
Et totidem pleno ivverit ire ciclo:
Tunc Tu Bethlemo naſceris Pignus in antro
Proque throno, ſedes, vile mapale dabit.
Et quem non tellus, tellureque vaſtior Æther
Continet, in caulæ fornice claudet hara.
Me tantum feriet, Te tantum cuſpis amoris!
Nos ità mortalem coget amare fimum!
At Puero paleas orituro, fœnaque ſuprà
Armonicis aderit Cœlica turba choris.
Tota domus Superûm præpes ruet, arduus axis
Pandetur; cantus ebibet undè ſpecus.
Eoi Reges etiam duce ſidere, Myrrham
Thus, aurum, Infanti congrua dona gerent.
Vos trepidate ſtygis briareia monſtra, chymeræ
Arpiæ, ſphynges, Gorgones, atque Canes.
Crinibus è veſtris, rapiet Puer ille coronas
Collectis opibus Dis ſpoliandus erit.
Sic naturâ humilis, ſtellantia limina ſcandet
Inferior capiet corda ſuperba locus.
Hæc Helleſponti Vates oracula fudit,
Eſſeque mendaces hæc docuere Deos.

SIBYLLA SAMIA

Decima, & ultima in ſerie Sibyllarum, nata eſt in Inſula Samos, Inſula Maris Egei, & traditur nomen Fitro, habuiſſe. Vaticinia ejus inter alia fuerunt hujuſmodi. Hieroſolymam intrabit triumphans ſuper humilem aſellum. O' Judaice Popule, minimè tuum Deum agnoviſti; quin illum deriſiſti, ſpinis coronaſti, & pocula dediſti medicata felle amariſſimo.

CAR-

C A R M E N.

Quæ laus, quæ Samiæ veniet par fama Sibyllæ?
Jam ſibi compoſitum frangitur omne decus.
Clarior Egæi fluxit maris unda, per illam,
Auro nobilior teſta fuit Samìa.
Phæbada venturi haud latuerunt tempora Mundi
Edocuit tabulis poſtera ſæcla ſuis.
Sic ſcripſit Fitras de Divi Prole locuta
Audiat hinc tellus, audiat indè polus.
Illa Dei ſoboles, luces ſex Paſchatis antè
Intrabit Solimas Sole patente fores.
Tum pueri ramos oleæ, palmaſque gerentes
Implebunt latas fronde virente vias.
Feſtivis hylares pangent, & vocibus hymnos
Adſis ò David vera propago canent.
Expandent alii veſtes, & compita condent,
Quà tangat Dios ſtrata lacerna pedes.
Sed non Juſtitiæ Sol, currus ſcandet ovantes
Ceù nec quadrijugis arduus ibit equis.
Is Populi plauſu, pullum ſuper ibit aſellum
Hæc accedentem pompa manebit Herum.
Hei mihi quam brevibus fallacia gaudia punctis!
Ah rerum ſeries altera prorſus erit.
Invida Pontificum rabies, variabile vulgus
Impetet, ut Chriſto dentque, petentque necem.
Tu quid in arma ruis, pubes ſcelerata nocentum?
Quot clypeos video, ſpicula, ſcuta, ſparos!
Irradiant noctis ſuccenſis ignibus enſes!
Incæſtat piceo torris odore polum!
Ardeſcunt odiis fumantia pectora! ſpirant
Corda ſtygis virus! ſpumea labra fremunt!
Is prior hortator probri perjurus Judas
Ipſe animo totum fert Acheronta truci.

Dum

Dum pacem ſimulat, dumque imprimit oſcula, prodit;
Amplexus fingens, fata ſuprema parat
O' ſcelus horrendum! votum paulò ante triumphis
Nazareum Numen, cannabe turma ligat!
Irridet maleſuada cohors clamore Dynaſtam
Non alapis parcit, conſpuit ora Dei.
Altera gens, aptat rigidos in vulnera faſces
Sauciat & multis candida membta flagris:
Deſine crudelis paliuro intexere ſentes
Quid facis! Ah terebrant ſpinea ſerta caput:
Illa meret cervix, de ſtellis ferre coronam,
Et tu dumifero tempora pungis acu?
Quid queror? alternos addunt, & arundinis ictus
Congeminant ſtultos ictibus indè ſales.
Ac ſi paſſa nihil Verbi tormenta fuiſſent
Quadrifidæ nubunt corpora nuda trabi.
Infœlix opus: ad ſuperas Crux tollitur oras
Illo confictus ſtipite pendet Amor.
Mox dant Arenti medicato pocula felle
Solamen tantæ ſunt, & aceta ſiti!
Heù qui nectareo Superis dat vivere potu
Pendulus in ligno: cruda venæna bibit!
Spongia crudelis, tali das munera Regi?
Cur non areſcet me fugit illa manus:
Tu venture meis oculis Rex accipe rores
Hoc vellem ſiccam fonte levare ſitim.
Sed ſi Fata negant, Te tuncque ſitire neceſſum eſt
Me quoque ut areſcant enthea verba decent.
Sic flens conticuit, rivos clauſitque Sibylla
Ariditate Dei, lacrimuliſque ſuis.

APOCALYPSIS

Beati Joannis Evangeliſtæ; & præcipuæ ejus viſiones. Invocatio ad illum.

CAR-

CARMEN.

DA Musæ vires, da Phœbo robur, & æstrum
Joannes, Patmos qui colis exul agros.
Te sine, non audet testudo capessere carmen
Barbita mutescent, & reticebit ebur.
Ætherei poterit quis pandere mira theatri?
Tu quæ vidisti, fac modò plectra sonent.
Si minimè pennas Aquilæ, tua stemmata, tradas
Quomodò non radet terrea pluma solum?

VISIO DE BABYLONE

Sub figura meretricis equitantis, super horridâ bestiâ describitur; nec non casus ejus refertur. Lib. Apocal. cap. 14. & 17.

CARMEN.

ESt oculis objecta tuis meretricia pestis
Fucatas pingunt ostra coempta genas.
Funduntur per colla comæ, se seque tuendo
Expleri viso stulta decore nequit.
Pectore proh quantum, proh quantum fronte superbit!
Exultat, veluti cœlica forma foret.
Bestia coccinei vestem sed nacta venæni,
Ut sedeat Mulier non sua terga negat.
Septenum fera sæva caput fert, cornua dena
Est assidentis congrua sella lupæ.
Hanc super illa equitans, gerit aurea pocula dextrâ
Invitat populos ut sua vina bibant.
Illa est, hæc meretrix, Babylon, famosa piaclis
Plusquam thesauro crimine clara suo.
Sed cecidit Babylon, cecidit, sua forma bimembri
Æquata est Scyllæ, Centauroque truci.
Divitiæ casum dederunt, & pondera gemmæ
Imâ præcipitem prostituere styge.

VISIO DE MAGNO PRÆLIO

In Cœlis confecto, inter fideles, & perduelles Angelos, in quo Michael pro Altissimo dimicans, infideles, ex Æthere expulit, & tenebris inseruit. Apocal. cap. 19.

C A R M E N.

APparent aliis Aulæa notata figuris
 Occupat astriferas turba novena plagas.
Hæc est Aligerum pugilum sub imagine Pubes
 Pars ciet ære choros, pars movet arma manu.
Sed Michael galeâ tectus, supereminet omnes
 Jam colubri crebro vulnere, terga ferit!
Infelix serpens, dudum de limite Cœli
 Hortatus socios; Ditis in ima ruit.
Et secum caudâ, qui traxerat astra, tuetur
 Mutatum in tenebras isse repentè genus.
Ponere qui sedes Aquilonis credidit oris
 Australes Erebi sustinet igne Notos.

VISIO DE THRONO DEI

Et de Angelis psallentibus in illius laudem. Insuper adoratio, viginti quatuor Seniorum, similiter modulantium carmina in laudem Agni Unigeniti *Dei, & omnis cœlestis multitudinis concentus. Lib. Apocal. cap.* 4.

C A R M E N.

REclusos Cœli postes, adamantina claustra
 Cernere Dive tibi fas adaperta fuit.
Illa domus patuit, quæ Regia cœlitis Orbis
 Fulget, & est veri nobilis Aula Dei.
Hoc semper solio, sidit Sator altus Olympi
 Astra suo subsunt vota scabella pedi.
Indè globum terræ circumspicit Ipse jacentis
 Cuncta suo lustrat lumine, luce beat.

Stant

Stant horæ vigiles, alataque tempora retro;
Excipiunt juſſus Fata miniſtra datos.
Intereà vocum ſonitus, Citharedus Ephœbus
Mille ciet, pulſat cætera turba, fides.
Tale melos ſuper axe ſtrepit, reboatque per Æthram
Quale ſolet fluvius murmur habere latex:
Deciduis quandò nivibus jam Sole ſolutis
Turgidus immenſi tendit ad arva maris.
Numinis at videas radiata ſedilia circum
Sollicitos, vultu ſupplice, ſtare Senes.
Hi capitum redimicla, ſuas poſuere coronas,
Et junctim geminas implicuere manus.
Sic loqui cœpere. Tibi de Numine, Numen
Gloria debetur, Te decet omnis honor.
Nate Deo, Æterno ſoboles æquæva parenti
Rerum Opifex, Mundi Rector, imago Patris.
Stellati totus tibi militat Agminis ordo,
Et tibi cæruleis plauſitat Æquor aquis.
Ipſa ſtygis ſine luce domus, plaga fœta pavore,
Plebſque Erebèa, tuum ſternitur antè genu.
Nam Tu cunctorum diademata gemmea Regum
Es dignus Diis illaqueare comis.
Tuque meres, ſceptris populos frœnare potentes;
Ut rerum ſemper Legifer unus eas.
Talibus inſonuit dictis lar Ætheris omnis,
Et vox hæc Amen, omnibus una fuit.

VISIO DE JUVENE COELESTI

Subigente, & allegante Draconem, & illum in Inferis claudente, ne ſuo halitu terras, & Cœlum inficiat. Lib. Apoc. cap. 20.

CARMEN.

VIdit Joannes, Juvenem pernicibus alis
Alternantem humeros, bella movere feræ.

Horrida tartarei fera Fert ſimulacra Draconis,
Intus & arcano pectore, virus alit.
Irruit at Juvenis fretus cœleſtibus armis,
Ut colubri Monſtrum ſub ſua jura trahat.
Tortilibus ſerpens ſpiris, caudæque flagello
Obſtat, ab accenſa fauce, venæna vomit.
Nititur at fruſtrà; pugnanti obſiſtere vanum eſt.
Anguiferus ſi quidem nil juvat ille furor.
Æthereus vinclis Adoleſcens, colla ceraſtæ
Alligat, eſt ſtrictos ferre neceſſe lupos.
Indè domo clauſit ſtygiâ, ne ſcilicet ore
Inficeret terras, inficeretque polos.
Inferno ſtà ſæve Draco ſub carcere dixit.
Non Cœlum; ſed te, Tænara cœna decent.

VISIO DE MULIERE

Amictâ Sole, habente Lunam ſub pedibus, & coronam ſtellarum duodecim in capite. Hæc enixa, fœtum, ſervat incolumem à Draconis faucibus; odium tamen utriuſque ſeminis, utrobique permanſit. Lib. Apocal. cap. 12.

CARMEN.

SE præfert Mulier, quam Solis veſtit amictus,
Sidera circumeunt & duodena caput.
Cornibus argenti geminis, bacciſque liquatis
Fulcit fœmineos candida Luna pedes.
Neſcis anne auro Frater, Soror anne adamante
Reddiderit comptam nobiliore peplo?
At prægnans utero Mulier paritura fatiſcit
Nititur ah quantum prodere ventris onus!
Parturiit tandem fœtum lætata virilem;
Inſtat ſed genitum fauce vorare Draco.
Protinus ala duplex hæſit muliebribus armis
Deſertas valuit ſic habitare plagas.

Sed

Sed Draco, torrentem vomuit delusus aquarum,
Ut saltem fluctus naufraga præda cadat.
Irritus hìc etiam colubri labor: Ore recluso
Sorbuit undivagum Terra repentè vadum.
Contra igitur sobolem, vertit sua bella Chelydrus,
Ejus & in semen prælia sæva parat.
Has Ego, sed resides pugnas, reor esse vetustas
Eva parens, odii tristis origo fuit.

VISIO DE ANGELO

Fundente phialam divinæ iræ super terram, per quã tota Mundi Machina, incessanter conflagrat. Lib. Apocal. cap. 16.

CARMEN.

HÆc Vates, Mundi videt argumenta futuri
Scilicet in cineres terreus Orbis abit.
Angelus è Cœlo phialas ubi fuderit iræ
Descendit pluvius Mulciber, instar aquæ
Mergitur ignifero sub vortice naufraga tellus,
Totaque flagranti turbine, fumat humus.
Cardinibus motis, in pallida funera Mundus
Vertitur; ah bustum est, quod fuit antè decus.
Sic tamen ut priscæ mundetur crimine labis
Orbis ab accenso fonte plandus erat.
Luxerunt quantùm deformia sæcula, tantum
Ridebunt facie tempora lota novâ.
Sicque solum, formam quam non cataclysmus aquarum
Præbuit, aerii sperat ab amne rogi.

VISIO DE NOVO COELO

Et terra novâ, & de descensu Jerusalem, ornatæ tamquam sponsæ, in qua cum Hominibus habitabit Deus, quibus & adoptionem filiorum largietur supremus Dominus, & misericors Deus. Lib. Apocal. cap. 21.

CAR-

CARMEN.

EN tibi se referat Superûm cristallina sedes
  Hæc oculis offert visa, Propheta tuis.
Insueti apparent Orbes, sphæræque recentes,
  Exurgitque novâ floriditate solum.
Sanguine pollutum jam priscum transiit æquor
  Dedidicit veteri currere flumen aquâ.
Urbs nova, cui Solimæ nomen, descendit Olympo
  Se librat ornatu conspicienda suo.
Obvia fit, qualis desponsa puella marito,
  Quam decorat plenâ gemmea gaza manu.
Hæc domus est dixit supremi Numinis, Ales
  Cum Domino sedes has, habitabit homo.
Qui sedet in solio procul antiquissima pellet
  Ad nova sola, sui pectoris ibit amor.
Prodiget ambrosias labiis sitientibus undas
  Ille latex, vitæ non nisi potus erit.
Ergo Victori Solimeja tecta patebunt
  Huic, Nati titulos, adjicietque Dei.

VISIO COELESTIS JERUSALEM

Per corporales figuras demonstratæ Joanni ab Angelo, in qua Agnus cum suis Electis æternum incolatum habebit. Lib. Apocal. cap. 21.

CARMEN.

ANgelus Uxorem Joanni detegit Agni
  Illius ut genium desuper astra tulit.
Respexit Solimam, fulgentem Numinis igne
  Vates: hæc Agni conjugis, Uxor erat.
Eoo videas Urbem splendere lapillo,
  Quadratum superâ promicat arte latus.

Dæ-

Dædala gemmatis ſe tollunt mœnia mergis
　　Biſſenos aditus oſtia celſa ſerant.
Fundamenta locant, hyacintus, jaſpis, achates
　　Chriſolitus, ſardus, bacca, ſmaragdus, onix.
Sunt de margaritis jacientes lumina Portæ
　　Integra ſublimes bacca, ſtruitque fores.
Eſt aurum mundum, quod par non educat Hermus,
　　Aut Tagus, in quatuor ſecta platea vias.
Tale pavimentum plantis calcatur euntum
　　Inferior cunctis lamina fulva nitet.
Nobile ſed ſpeciem criſtalli ferre metallum
　　Aſpicis, hæc geminum dant aſarota jubar.
Flumina, quin etiam per gemmea compita, ſedes
　　Mçandris vitreis ambitioſa rigant.
Non eget hæc Solis, nec Lunæ lumine Moles
　　Agnus adeſt ſplendor, flamma, lucerna, pharos.
Hic non erigitur templum, templique ſacellum;
　　Agnus ſacratos efficit eſſe lares.
Fœlices, Agno dabitur queis vivere Cives
　　In Solimis Agnus, nectare paſcet oves.

CANTICA CANTICORUM

Salomonis. Sunt hæc tota myſtica, comprehenduntque affectus animæ amantis, ergà Chriſtum, & Chriſti ergà eam. Incipiunt. Oſculetur me oſculo oris tui. Cap. 1.

C A R M E N.

DIus Amor, noſtro non oſcula deneget ori
　　Plus ſua conchilis murice, labra rubent.
E' roſeis manat dulciſſima vena labellis
　　Illâ non expers vivere Vita poteſt.
Nulla placent ſiculis evulſa chorallia ſaxis
　　Deſpicitur verni pulcher Adonis agri.

Ite

Ite procul, mediâ lucentes nocte Piropi,
Vel quod Matutæ purpurat ore decus.
Permanet in folis labiorum forma rofetis,
Quò mea ficut apis mens operofa volat,
Componunt duplices animata rofaria portas.
Exit per geminas aura fabèa fores.
Ambrofiæ flamen, flat dives odore Favonus,
Illeque dat vitæ munere, poffe frui.
Sponfe, tuus quondam populus fua gaudia rubro
Æquore guftavit, lætitiafque bibit.
Fac Tu delicium fugant mea corda, perennè
Oris poffideam cùm vada rubra tui.

Oleum effufum nomen tuum. Anima amans in laudem Nominis amati Sponfi effunditur. Cantic. cap. I.

C A R M E N.

Est Oleum fufum, nomen dulcore redundans
Sponfe tuum, nectar vincit, & ambrofiam.
Quam bene Pacifici præfignat fimbola Regis
Quippè notat laticem mitis oliva fuum.
Aft Ego bellatrix, oleo perfufa recenti
Effe volo, luctæ prælia nulla tremam.
In me crudefcant Erebi furialia Monftra,
Arment tartareas in mea damna feras.
Palladio Chrifti veniam cùm Nomine freta
Orcum defpiciam, defpiciamque ftygem.
Ite leves Zephyri, Nomen portate per auras,
Sol ubi vel furgit, vel moriturus abit.
Auroræ populus venerabile Nomen adoret,
Et gens Occidui, quæ colit axis agros.
Quò fe cumque mei Nomen ductabit Jefu
Effundet Cœli balfama, facra Charis.

Fufus

Fuſus odor, vincet totos Orientis odores
Sint Arabum fruges, ſint Cylicum ſegetes:
Omnis, melliferam quæ vocem ſentiet ora
Illius in laudem carmina mille canet.
Atque Ego cùm Verbi Nomen ſuper aera tolli
Advertam, has reſono fabor ab ore notas.
Nat Sponſi Nomen, ſuper omni nomine Nomen
Ut ſuper eſt omni Numine Numen Amor,

Ideò Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. Cantic. eodem cap. 1.
Aſtruit Sponſa amorem Adoleſcentularum ergà Amatum, ejus gratia, pulchritudinis, majeſtatis, & omnis perfectionis.

C A R M E N.

SI Te Sidereæ Charites comitantur euntem
Empyrei ſi Te, floridus ambit honor:
Quomodò Te poterunt non dilexiſſe Puellæ?
Ah nimis illarum pectore, pubet amor.
In glaciem potius Vulcanius ignis abibit
Caucaſeæ fient torrida pruna nives.
Quam chorus innuptæ, Te linquat amare Juventæ,
Et non immensâ fervere corda face.
Urget forma, nihil formæ commixta caducæ
Sublunare trahit cor, ſuper omne bonum.
Cedite mortalis, quot ſunt miracula pulchri
Illi tu Pallas terrea, cede ſophos.
Cum caput aſpicitur, ſuperâ ſplendere coronâ,
Matutæque roſas, ter ſuperare genas.
Viſitur & dextram moderari cœlica ſceptra,
Et calcare ſuum ſidera ſumma, pedem.
Eſſe nequit, toto non ardeat igne Voluntas
Non animi liqueant, ceù data cera pyræ.
O' Comites flagrate meæ, florentior ætas.
Præſtabit dulci pabula grata faci.

Siquè mori dabitur radiantes lampadas inter
    Dulcius hoc nullum funere, funus erit.
Sit laus, inſtar papilionis amantis obire
    Cum gaudet, placito claudere fata rogo.

Trahe me poſt Te. Curremus in odorem unguentorum tuorum. Eod.cap.1. Anima ardens trahitur poſt odoramenta Sponſi à quorum aurâ, ſuum fulciri, & recreari ſpiritum perbellè confitetur.

C A R M E N.

ME trahe dulcis Amor: Sponſum ſequar ipſe trahentē;
    Nam ſua quis neſcit? Quemque cupido trahit.
Lux oculi Tu care mei, Tu pectoris æſtus
    Tu non deficiens mentis in arce jubar.
Spontè feror, quò ferre velis, veſtigia figam
    Calcabit placitas quò tua planta vias.
Monſtretur puero pomum, gramenque capellæ
    Monſtretur piſci paſtus, equòque ſeges.
Nonnè ſtatim properant eſcæ dulcedine capti?
    Non hiat ad viſas utraque turba dapes?
Humanæ eſt animæ, violentior impetus ad Te
    Tardius æthereo fulmen ab orbe ruit.
Dummodò ſim tecum, mi dilectiſſime Sponſe
    Sim penes Odryſios, caucaſeoſque Getas.
Simque mari medio, quò ſolum fluctus & aer,
    Simque ſoli gremio, nox ubi ſemper ovat.
Unguinis ecce tui, ſuaves curremus ad auras
    Flat caſiam pixis, cinnama ſpirat onix.
Spiritus ex illo vitam vænatur odore,
    Taleque non hortus gignit aròma cylix.
Fert ubi ver remigrat fragrantia dona Favonus
    De florum flamen flamine Flora parit.
Hæc tamen unguentis Sponſi, non æqua vaporant.
    Nec Zephyri flatus, his vehit aura pares.

Omne

Omne quod Arabici ſpirat nubecula coſti
Quidquid Phœàcus flore ſuperbit ager.
Momento pereunt, urens vel decoquit Auſter;
Aut uno veniunt, proſiliuntque die.
Eſt odor æternus, thymiàma quod artubus afflat
Sponſe tuis, longè mortis hiatus abit.
Ejà agè, Nazarei poſt thuris eamus acerram;
Ipſe dabit pennas, qua volitemus Amor.

Introduxit me Rex in cellaria ſua: exultabimus, & lætabimur in te, memores uberum tuorum ſuper vinum. Eodem cap. 1. Arcanas animi delicias commemorat Sponſa, quando ejus amore ebria, in puris affectibus immergitur.

C A R M E N.

DUxit in Elyſii me Rex cellaria ruris
Sunt ubi nectareo dolia fœta mero.
Scilicet arcanos animæ ſitientis ad hauſtus,
Ut liqueant poto pectora mulſa favo.
O' quæ dulcedo venis undavit, ut ora
Exhibitis Sponſo ſunt propiata ſcyphis!
Illo demergi voluiſſet Spiritus amne
Inter & ambroſios occubuiſſe cados.
Illâ quanta mihi venerunt gaudia luce!
Qualis eo nobis tempore, fulſit Eos!
O' mihi Erythreo lux ritè notanda lapillo!
O' mihi, Sol roſeis quam benè ductus equis!
Non ſolum juvit dites intrare penates
Viſere ſidereos, ſicque repentè lares:
Flumen ubi vitreas, per quatuor exilit urnas
Lambens quadrifido limina ſancta gradu,
Sunt ubi gemmiferis tentoria picta tapetis,
Calcantemque linit, bacca, adamaſque pedem;

Sed meliora tulit ſpectacula , plena racemis
Vinea , pampineæ tegmine compta comæ;
Vinea delicium genii , ſolamina cordis
Tu noſtri ſemper fomes amoris eris.
Ille color, viridi ſuperabat honore ſmaragdos
Ille viror Floræ tranſiliebat opes.
Pendula populeis gemmabat collibus uvà
Uberis apta mei ſimbola ferre proci.
Sic ubi nil Sponſi jucundius ubere pubet
Par ita res viſis non micat ulla botris.
Ut gemmæ tumeant, pariant ut germina fructum
Non Autumnali ſidere palmes eget.
Non illuc Boreæ flatus, nec pervenit Auſtri,
Nec patitur canas ora beata nives.
Sed nec fertilitas tepidis è Solibus exit
Ubertas ſolo Numinis ore, fluit.
Poſt Ego quid referam de preſſis molliter uvis.
An non ſacchareo munere, muſta madent?
Tum cùm Niſeo ſpumat vindemia prælo
Ambroſii latices fluminis ire vides.
De tali Sponſus prompſit mihi cymbia baccho
Hos Ego potavi ter ſitibunda cados.
Ebria quantumvis caderem temulenta lieo
Eſſe mihi mellis naufraga viſa mari.
Defecere mei ſopiti corporis artus
Indiges æthereæ penè locata plagæ.
Hac de me ſemper Liber precor arte triumphes
Fœlix cùm pateris ſim benè capta tuis.

Recti diligunt Te. Eod. cap. 1. Rectorum generatio divini Amoris dilectrix, à Sponsâ ſummis laudibus exornatur, & inter eam ſe potenter annumerat, cum major ſit dilectio Sponſæ cæteris affectibus.

CAR-

CARMEN.

GEns cujus Dio figis præcordia telo
Lux mea, deque tuo pectora torre flagrant:
Quam recti compos gens est, & amantior æqui!
Astreæ cultrix, est Themidisque sequax.
Est genus innocuum, vivens sinè labe propago,
Sit licet in terris, non tamen hæret humo.
Non illud fastu ventosa superbia tollit
Elevat haud tumido buccina vana sono.
Non inhiat gemmis, nec fulvo carpitur auro
Despicit Eous quas colit Indus opes.
Te genimen sanctum frustrà Citherea favillis
Impetit, ut frustrà spicula torquet Amor,
Te nullus violat turbati pectoris æstus,
Ulla nec ignitis fluctibus ira quatit.
Exulat ingluvies, & edendi dira vorago.
Longiùs est Bacchi non saturata sitis.
Livor abest, quamvis ingentia facta sequatur,
Invidiæ tabes & nequit esse comes.
Quid quod damnatrix operum, Torpedo pavescit
Festinè lentos non glomerare gradus.
Salve progenies, Sponsi cœlestis amatrix
Te morum bonitas, Te Charis axis alit.
Teque suis ambit Cœli Sapientia donis
Dum tua Justitiæ lance profata librat.
Digna Dei soboles, spretæ vestigia terræ
Figens, cum superas Cor petat usque domos.
Aligeros inter non it quasi Spiritus hospes,
Mens est Empyreis incola mixta choris.
Sic animos largita Deo, super æthera tranans
Siderei libas gaudia tota laris.
Vos inter Proceres, & recti Solis amantes
Rectè dilectrix annumerabor Ego.

Omnis

Omnis amor recti, rectè grandescit Amici.
Rectior at Sponsæ; major eritque calor:

Nigra sum, sed formosa Filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me Sol. Eod. cap. 1. Complacet sibi Sponsa, de oris nigredine, quòd misticè debet accipi, scilicet ariditate animæ, quo tēpore perficitur, & ad virtutū incrementa evolat.

CARMEN.

SUM nigra jam fateor; sed sum formosa puella
Nec quia sim nigrior, sum speciosa minus.
Quisquis es, obscuros nimium ne sperne colores
Major sub fusco tegmine, forma latet.
Aspice quâ Cedar ferrugine castra tegantur!
Sint atræ pelles, ut Salomonis Heri!
Fortè carent placito tentoria furva decore?
Falleris. O' quantum pix alit illa decus!
Me siquidem Solis radius, nigrescere fecit,
Dum satiùs jubari sum propèfacta suo.
Nox mea continuis novit fulgoribus ortum
Sidereis ideò læta triumphat equis.
Hic mihi solus honor; Solis penetrasse cubile
Innumeras illo fonte, bibisse faces.
Exterius pullo pellis tenebrescat amictu
Quid nocet? accensâ de face fumus eat.
Nonne ligustra cadunt; manus, at vaccinia tondet?
Nil forsan violâ plus Zephyritis amat.
In pretio quandoque Ceres frumenta nigranti
Plus habet induvio, quam cooperta nive.
Dicitis Æthiopem? non abnuo, proxima Phœbi
Lampas, me fuscam fecit habere cutem.
Æthyopum sim vota polo: mihi serviet aurum
Ophyris, argenti non erit ullus amor.

He-

Hespere, qui nostro stas formosissimus ore
　　Te non exoriens Æthere, pellet Eos.
Excipiet potiùs comiter Tithonia conjux
　　Auricomi currum sistat ut ante Dei.
Illo Titanis potabis ab amne nitores
　　Quà rutiles toto Vespere, clara pharos.
Hunc igitur Solymis Natæ, celebrate nigrorem
　　Membra colorantem, dicite sicque simul.
His cedant umbris, turritæ lumina Memphys
　　Huic ebeno cedat purpura, cedat ebur.

Filii Matris meæ, pugnaverunt contrà me, posuerunt me custodem vineis, Vineam meam non custodivi. Cap. eod. 1. *Ad Fratres convertitur Sponsa, excusans se à labore custodiæ vineæ, præ teneritudine ætatis. Ultrò fatetur vineam non custodiisse. Hoc in loco figuratur Anima incipiens, à labore territa, nec adhuc amoris fortitudine undequaque roborata.*

C A R M E N.

PArvula sum Fratres, & custodire racemos
　　Non Ego sum tanti, vinea quotquot alit.
Vitiferi ruris tutamen, ne mihi detur.
　　Hoc est grandævi falce potentis, opus.
Stant modicæ circum vulpes: hæ Vesperis astro
　　(Dum silet omnis avis, noctua sola strepit)
Transiliunt sepes, dulcem populantur, & uvam
　　Collacrimans queritur vitis habere necem
Quid faciam, si prædo botros discerpet ab ulmo?
　　Aut aliæ, gemmis dent nocumenta feræ?
Non sub humo fodiunt secreta cubilia talpæ?
　　Non mus radices ore petulcus edit?
Sit procul à nostro Fratres hæc tergore moles
　　Frons mea sudoris jugis, abhorret aquas.

Non

Non custodivi fateor: sum spontè professa,
Vinetum: servent Bacchica culta Viri.
Non custodivi: Proh bella sororia, tandem
Linquite, germanis parcite quæso minis.
Nam mihi dira nocet descendens Axe pruina
Ardentis Phœbi, torrida pruna nocet.
Horreo discordis furialia prælia venti,
Aut cum nimbiferis Juppiter undat aquis.
Incipit exoriens primo mihi flore juventus,
Et pes est mollis, mollior estque manus.
Parvula sic dixit, meditando Sponsa labores,
Intereà roseas fonte rigante genas.
Pone queri Virgo, lacrimas compesce cadentes
Hic torquens pectus, trans mare questus eat.
Pupula sume animos, ne te formido fatiget
Intempestivus sit procul iste timor.
Tutari ruris ne dedignere racemos
Si Nescis, Sponsus, botrus, & ipse foret.
Sub torcùlari quondàm Crucis ipse premetur
Potari specie se dabit indè meri.
Ex nunc Te Virtus, vineti suescat amori
Bacciferi fructus, experiere favum.
Ut curas abigas, cessent certamina Fratrum
Omnia quà superes, robora tradet Amor.

Indica mihi quem diligit anima mea? Ubi pascas, ubi cubes in meridie? ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Cap. eod. 1. Cruciatur Sponsa propter absentiam Sponsi, quem frustrà inveniendum sperat, nisi ultrò se illi Sponsus offerat. Eodem cap. 1.

CARMEN.

Dic mihi cui animos vovi, quem diligo Sponse
Quos habitas tractus? qua regione manes?

Se-

Semianimis vivo, si de te nescia vivo
    Mentior: exanimis Te sine, vivo caro.
Dic age laniferas quo pascis rure bidentes?
    Vel qua gramineâ sistis ovile plagâ?
Dic qua parte cubes, cum Sol altissimus æquè
    Dividit ætherei culmina summa tholi?
Scire decet, ne fortè tuos post versa sodales
    Obvius erranti grex alienus eat.
O' fortunatam, quæ te capit Ætheris oram!
    O' loca conspectu facta beata tuo!
Ridet ibi vario tellus concinna colore
    Dædaleam florum turba, coronat humum:
Excurrunt Zephyri, beneolentia flabra vomentes
    Mel pluit arboribus, nectaris amnis abit.
Elysii locus ille reor sit imago virentis
    In quo Delicium vellet habere domum.
Alcinoi cedant horti, ridentia tempe,
    Post hac Phæaci ne celebrentur agri.
Ergò, Ego quà noscam spirare fragrantiùs auram
    Uberius Floræ luxuriare comas:
Illuc contendam, mihi certaque signa dabuntur
    Sint ubi dilecti lecta vireta mei.
Balsama post curram, sponsum venabor odore
    Se produnt gemmæ lumine sæpè suo.
Nec Me tardabunt hyemalis frigora noctis,
    Aut matutini roscida bruma poli.
Intus adest, superans Vulcania pruna pruinas
    Evincens glaciem Mulciber intus adest.
Aut in me nivibus si stent incendia mixtim
    Ætnæum placiti culmen amoris ero.
Me miseram! desiderii spe lactor inani
    Inter & hæc vacuis ludor imaginibus.
Ni volet ille, meos frustrà consumo labores,
    Cumque volet, Sponsi me beat ore Charis.

Tu ne necte moras, sed fer solamen amanti
    Dilatus res est plena doloris amor.
Candide Rhinoceros nivibus mage candidus ipsis
    Virginei semper pectoris albus Eros.
Blanditus castæ si diceris esse Puellæ,
    Et numquam puros extimuisse sinus.
Ad me fer gressus, gremio requiesce nivali
    Ambrosiam Cœli sic Ego Virgo, bibam.

Si ignoras Te. O' pulcherrima inter Mulieres egredere,& abi, post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos meos juxtà tabernaculum pastorum. Equitatui meo, in curribus Pharaonis, assimilavi Te amica mea. Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turtur, collum tuum sicut monilia. Murenulas aureas faciamus tibi vermiculatas argento. Cap. 1. Sponsus Christus, animæ fideli sponsæ, insinuat utilitatem laboris, & hic figuratur profectus vitæ activæ.

C A R M E N.

EGredere, ò Mulier, rerum pulcherrima Virgo
    Nè sis ulteriùs desidiosa precor.
Vade tuos comitare greges, ad pascua perduc
    Dum surgens croceos Cinthius afflat equos.
I caulis conclude pecus, cùm decidit umbra,
    Tangere nec pigeat pressa colostra manum.
Dirige Pastorum juxtà magalia capras
    Gramineos illic tondeat hædus agros.
Quandò laborantem tueor Te dulcis Amica
    Tunc mihi si nescis plus tua forma placet.
Avolitant capitis crines, sine lege per auras
    Auriferis spiris candida terga tegunt.
Sudanti manat Gangètidis unio fronte,
    Et roseo, roseus crescit in ore color.
Te similem certè nostris equitatibus egi
    Ungula cum resonam ferrea pulsat humum.

O' quam

O' quam Te novi Pharaonis curribus æquam
Regalis quandò permeat arva rota!
Mutaret tecum rutilos Aurora pyropos
Mutua deque tuis ſumeret oſtra genis.
Sed quid colla loquar? ſuperant albedine Cicnos,
Et ſunt intactâ candidiora nive.
Illa meis oculis, ceù juncta monilia fulgent
Ex rubri gemmis orbiculata maris.
En tibi murenas auri de corde paramus;
Squama ſed argento vermiculata foret.
Has tibi parturiet, paſtoria cura coronas
Divitis imperii, ſors tua mater erit.
Ruſticitas fœlix! cedent in ſceptra bacilli
In trabeas Regum, trita lacerna fluet.
Tu plus turritâ celebraberis orbe Cybelle
Tot tibi concreſcent pignora, quotquot oves.

Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuavitatis. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Cap. eodem 1. Operationes enumerantur Sponſæ amantis ergà dilectum dum in cœna nuptiali accuberet, in quibus ſemper cum dulcedine immixtam amaritudinem contemplatur.

C A R M E N.

Esset in accubitu dum Rex, ſuper aurea fulchra
Ex æquo mediam Sole ſecante diem:
Protinus ambroſium fudit mea nardus odorem
Aſſyrioque ſtetit plena vapore domus.
Tunc mihi merſa mari dulcedinis Ipſa videbar,
Nec poteram fato proſperiore mori.
Blanditias inter menſæ, mentiſque ſoporem
Sic memini ſuaves elicuiſſe ſonos.

Fasciculus myrrhæ meus est dilectus: Amandum,
Ut genii centrum, cuncta creata docent.
Myrrha sed immixtam dulci mihi signat amori
Semper amaritiem, ceù foret alma Soror.
Ecce meis oculis, hæc dat spectacula Sponsus
Aspera, sed quamvis aspera, grata tamen.
Illum subsequitur pubes cœlestis, & unus
Ales, fert geminâ plura flagella manu.
Fert alius calicem, sed proximus ille columnam
Elevat, & clavos Penniger alter habet.
Est qui malleolos, hastamque cruore madentem
Portat, quadrifidam bajulat iste crucem.
O' quæ pœnarum, quæ mortis amara supellex
Objicitur menti! myrrha nec ipsa deest.
Sic me myrrha beas tu dives Orontis aròma,
Ut mihi amaroris des simulacra simul.
Quidquid id est, mensæ post connubialis eròton
Quam precor ad nostros Sponsule curre sinus.
Pectore te stringam, teneamque tenaciter ulnis,
Inter & excipies ubera nostra moram.
Nosces quanta meo sint intima vulnera cordi
Ictibus assiduis, mobilitate suâ.
Nec poterit quisquam nisi Tu præbere medelam
Nam plagas, auri cuspide fecit Amor.
Es mihi Tu botrus, Cypriis qui ductus ab oris
Dulcius Engaddi fructificavit humo.
Alme liquor, nostram fer ad ebria gaudia mentem
Plagato cordi sit panacèa Botrus.

Ecce Tu pulchra es Amica mea, ecce Tu pulchra es. Oculi tui columbarum. Cap. 1. Exagerat Sponsus pulchritudinem sponsæ, & præcipuè columbinos laudat oculos.

CAR-

CARMEN.

O'Animæ dulcedo meæ, ſpecioſa Virago
    O' lux exoriens, & ſine nocte jubar.
Quàm pretioſa venis! Sanctorum cœtus Amorum
    Te Charitum ſtipat per latus omne chorus.
Ecce mihi formoſa nites, pulcherrima fulges
    Ad decoris culmen gratia nulla deeſt.
Non magis exhilarat lampas Phœbeja Mundum
    Quandò priùs nebulis texerat umbra polos.
Ut me lætantem reddis Pallantidos ore,
    Quæ fulgore ferax Te veniente redit.
Cor rapit, aurifero coma fulva, ſimillima Gangi
    Lambens nativo lactea colla croco.
Furatur mentem frons majeſtate ſerena,
    Et lepidæ feriunt pectora nuda genæ.
Sed me præcipuè dulces prædantur ocelli
    Arcubus è cilii, ſpicula quanta fluunt!
Queis Ego vos, æquem blandiſſima lumina? Sanè
    Vos mihi, Chaoniæ ſymbola fertis avis.
Nempè Paleſtinæ trahitis ſimulacra Columbæ
    Aſſyrios tùm cùm pervolat Ales agros.
It, redit intactas volucris benè nota per Urbes
    Omnibus adventu gaudia datque ſuo.
Fallimur. Illius luces, ſunt ſigna Columbæ
    Auſpicium pacis, quæ tulit ore prior.
Iret ab illuvie cum naufragus orbis aquarum
    Attulit hæc oleam (fœderis omen) avis.
Nuncia pacati fuit ipſa fidelis Olympi
    Significans mutilas eſſe Tonantis aquas.
Poſtque ſuos reditus, apparuit Iridis arcus
    Pignus amicitiæ, qui dedit indè novæ.
Cerne Columbinis quantum delector ocellis!
    Dic mihi nobilior ſi typus alter erat?

Ecce

Ecce Tu pulcher es, dilecte mi, & decorus. Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina. Cap. I. Reciproca laus inter Amantes. Laudat Sponsa, Sponsi pulchritudinem, & reflectit, quod omnis speciositas à suo Sponso emanet, sicut rivus à fonte provenit.

CARMEN.

Ecce decorus es, & Te, non est pulchrior alter
 Dulcis Amor, nec Te pulchrior alter erit.
Solius ut Solis fax, stellas anteit omnes
 Forma sic una tui, cuncta venusta præit.
Penè nihil dixi. Decus omne, omnisque venustas
 A' Te dimanat, rivus ut amne fluit.
A' Te purpureum noscit rosa tegmen, & à Te
 Coccineam chlamidem pulcher Adonis habet.
A' Te candoris mendicant lilia formam
 Sufficiunt niveum cana ligustra peplum.
Per te dotale argentum fert Delia cornu
 Auriferam per Te lampada Phœbus alit.
Quomodo lar noster non Aula videbitur Athræ
 In Te si cuncti summa decoris ovat?
Lectùle tu noster vernanti germine flores
 Lectule deliciis officiosè meis.
Cedrina nostrarum sunt ardua tigna domorum
 Non illis caries, blatta nec ulla nocet.
Et de cupressis laquearia nostra renident,
 Ut Domini niteant congrua tecta sui.
Tu mihi non necis, aut pheretri cupresse figura es
 Portendis lætos mi Cyparisse dies.

Ego Flos campi, & lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius quem desi-

desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Adjuro vos Filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quò ad usque ipsa velit. Cap. 1. Experitur Sponsa amans, passivæ contemplationis mirificos illapsus, quandòque sopitis sensibus, & quandoque vigilantibus. Mysticus est totus hic sensus.

C A R M E N.

FLos Ego sum campi ridenti vere refulgens
 Sibila cum rauci deposuere Noti.
Liliolum vallis non deneger esse virentis;
 Nam me lilioli, voxque, typusque decet.
Sic desponsa Soror, succensa cupidine Sponsi:
 Cui divinus Amor, talia prestò tulit.
Non secus ac inter consurgunt lilia spinas
 Visa per oppositos candidiora vepres.
Sic super it Genitas Solimarum, dulcis Amica,
 Illius est species ardua, celsus odor.
His liquefacta notis at verba novissima junxit
 Sponsa, nimis natâ corda cremante face.
Quantùm mirtetis malus supereminet arbos
 Excedit quantùm parva viburna cedrus.
Exuperat tantùm reliquos Dilectus ephœbos
 Componi ne potest parvula gutta mari?
Spes mea, jam propè Te sedi, tua me tegit umbra
 Te penès, ò quali, Care quiete fruor!
Et juvat, & fas est dulcissima carpere poma,
 Quæ tulit in ramis arbor adulta suis.
Sunt ea grata nimis, nostræque accomoda fauci
 Plusquam Trinacrii mellea dona thymi.

Me

cellos. En dilectus meus loquitur mihi. Surge propera Amica mea, Columba mea, formosa mea, & veni. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit, vox Turturis audita est in terra nostra. Ficus protulit grossos suos, Vineæ florentes dederũt odorem suum. Surge, propera Amica mea, speciosa mea, & veni. Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Cap. 2. Expressiones mutuæ animarum amantium, & alternæ invitationes ad incrementa affectus, tempusque veris astruitur, in quo cum novitate temporis adolescentis, congruit, & novitas majoris amoris.

CARMEN.

EN vox Dilecti, nostras remeavit ad aures,
Nec mora, destituit lumina clausa sopor.
Rex meus ecce salit montana cacumina dixi,
Transiliens colles, præterit omne nemus.
Cervorum veluti subit hinnulus, ardua Selmon,
Aut patulos graditur caprea Bether agros.
Credite mille modos, ut ametur adinvenit, oris
Nunc aperit speciem, nunc aperitque manus.
Nunc per cancellos gaudet, crateſque videri,
Tuncque magis cupitur, cùm minus Ille patet.
Audio jam Sponsi voces, mihi talia fantis
Hùc ades, ad Sponsum dulcis Amica veni.
Appropera, Germana Soror, formosa Columba
Surge precor, nostro fide Columba sinu.
Transiit acris hyems, nubes fugere nigrantes
Cesserunt pluvii murmura crebra Jovis.
Ver rediit terris, legit Berecinthia flores
De gemmis crines exeruere rosæ.
Successit tempus tondendi falce racemos
Jam querulos turtur fundit ubique sonos.

Vinea, quis non sentit? olentem parturit auram
Protulit en grossos ficus aperta suos.
Sponsa veni, speciosa veni, formosa Columba,
Quæ gaudes, petras inter habere lares.
O' faciem mihi pande tuam! vox insonet auri!
Quàm tua vox dulcis! quod decus oris habes!
Desine Sponse loqui (respondi) Vere recenti
Est novus à nobis incipiendus Amor.

Dilectus meus mihi, & Ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ. Revertere, similis esto dilecte mi, Capreæ, binnuloque Cervorum super montes Bethel. Cap. 2. Prosequuntur Sponsæ amores, erga dilectum, quos illa vult, ne dum sint perennes, sed semper excrescentes. Demum invitat illum ad reditum, appropinquante nocte.

C A R M E N.

O' Qualis Sponsæ, Sponsique reciprocus ardor!
Illi jungor Ego, jungitur ille mihi.
Vos estis testes purissima lilia campi
Inter quæ pasci deliciatur Amor.
Dicite vos argentea germina, mutuus alter
An major, vel par inveniatur Eros?
Non par alter Eros! certè, dilectio cedat
Qua Clyties, Clarium concupit usque Deum.
Impetus estque minor, paleas quo succina raptant,
Vel quandò magnes, æs chalybemque trahit.
Si sic: Vivat amor noster, dediscat & omnem,
Aut animi glaciem, temporis aut senium.
Vivat, dum terris vernus det lilia Taurus
Dum Cancer rabidas evibret ore faces.
Vivat, dum pictæ volucres, Jovis arva secabunt
dum gremio pisces Oceanitis alet.

Vivat

Vivat, donec erunt ignes, & ſidera Cœlo
    Donec ſtabit humus mole librata ſuâ:
Quid dicam vivat? creſcat, gliſcat pius ardor
    Sentiet augmentum nocte, dieque ſui.
Creſcat, ceù nivibus creſcit de monte ſolutis
    Amnis, & egreſſu ter citiore ruit.
Creſcat, ceù pluviæ nimbo, ſeges herbida creſcit,
    Ut creſcunt veris Sole tepente dies.
Quique adoleſcit amor, ſe tollat more Gygantis
    Verus amor, nullos novit habere modos.
Sed quid Ego moror his? deſcendunt montibus umbræ
    Ejà agè liliferum Sponſule linque ſolum.
Ad mea caſtra redi: nocturna crepuſcula, noſtras,
    Ut ſubeas ſedes, flaminis ore monent.
Curre, ſinus pandam, capreæque ſimillimus eſto
    Ad lac reſpectâ cùm genitrice volat.
Inconcuſſus Amor tibi det talaria plantis,
    Ut mihi dat toto pectore, ferre rogos.

In lectulo meo per noctem quæſivi, quem diligit Anima mea, quæſivi illum, & non inveni. Surgam, & circuibo civitatem, per vicos, & plateas: quæram quem diligit Anima mea. Quæſivi illum, & non inveni: Invenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt Civitatem. Num quem diligit anima mea vidiſtis? Paululum cum pertranſiſſem eos, inveni quem diligit Anima mea. Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum Genitricis meæ. Cap. 3. Sollicitus amor Sponſæ in quærendo dilectum, quem cum tandem adinvenit, non dimittendi animum ſignificat, & illi ſemper inhærere pollicetur.

CARMEN.

NOx erat adque Thetin, plauſtrum deflexerat Arctos
    Omnis erat dulci merſa ſopore fera.

Ast Ego, non poteram modicæ indulgere quieti
   Me nimiùm Sponsi sollicitarat amor.
Per thalamum, per fulchra, meum scrutabar Amatum;
   Sed non in thalamo, non erat ille toro.
Surrexi: totam cinxique meatibus Urbem,
   Et nec adhuc oculis adfuit Ipse meis.
Me vigil invenit custos, cui talia dixi,
   Vidisti excubitor? cor, animamque meam?
Mox cum transirem, Sponsum sum nacta: prehendi
   Inventum, geminâ continuique manu.
Ah non dimittam dixi, quam fortia vincla
   Ne rursùm fugias, brachia nostra forent!
Non hederæ, lauros nexu majore ligabunt
   Non ulmum vitis plus tenuisse volet.
Quam nostræ vinctum stringent Te fortiter ulnæ!
   Ut vitem rursus Te celebrare fugam.
Scilicet ad Matris Te cara cubicula ducam
   Illa domus Sponsæ portus amantis erit..
Alma domus, tanti custos precor esto Lapilli,
   Ut baccas claudit cærula concha suas.
Omnibus ut manibus tutus sit hic aureus Agnus
   Ipsa dein, vigilans Argus, eroque Draco.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrbæ,& thuris,& universi pulveris pigmentarii? En lectulum Salomonis sexaginta Fortes ambiunt, ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum. Ascensum purpureum media charitate, construxit. Egredimini Filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, & in die lætitiæ cordis ejus. Cap. 3. Chorus Tympanistriarum canentium, & psallentium in laudem Sponsæ, & Salomonis

ejus

ejus Sponsi. Præsignatur hic triumphalis honor, Christi, & ejus Sponsæ Ecclesiæ, ab ipso ineffabili amore dilectæ.

CARMEN.

QUæ de deserto, salit Æthera regia Virgo?
O' quod fœmineo promicat ore decus!
Si fas, res, rebus magnis æquare pusillas:
Virgula ceù fumi sic petit illa polum.
Illa viden! quantos thuris, myrrhæque vapores
Virgula flat! quanto mulcet odore solum!
Quidquid habet Cyprus, vel Persis aromatis, omne
Pulvereus fumi surculus intus alit.
Sic Salomonæo Virgo hæc desponsa Dynastæ
Fundit amoma, thronum dum Dominantis adit.
Aspicite, ò Solimis geniti, genitæque Sione
Quot Sponsæ gemmas! quod diadema Viri!
Illius en ambit fulchrum, fortissima Pubes,
Marte ferox, vinci nescia, prompta manu!
Sex deni numero pugiles, cuneata juventus
Circumagunt Regis nocte ruente torum
Ensis eos munit, stipat præcordia thorax,
Et clypeus rutilo protegit ære caput.
Gens acris quantùm! quantùm doctissima bello!
Nocturnos ideò lecta fugare metus.
De Libani cedris, Salomon sibi fercula fecit
Præfert argenti quæque columna jubar.
Auriferis struxit reclinatoria signis
Vix Solis currus, ditior esse potest.
Purpura contexit sellam: sub muricis ostro
A' curru trahitur Regis ovantis onus.
Hùc, hùc ò Genitæ properate Sionis: adeste:
Dicite majorem vidit an Orbis Herum?
Non equidem. Sua plaustra polo nunc deferat Ursa
Dignior Arctophylax Rex Solimeus eat.

Quam

Quam pulchra, es Amica mea, quam pulchra es! Oculi tui Columbarum, absque eo quòd intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro. Sicut vitta coccinea labia tua. Sicut fragmen mali punici ità genæ tuæ. Sicut turris David, collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ. Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Veni de Libano veni, coronaberis de capite Aman, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa, vulnerasti in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui. Cap. 4. Enumerantur à Sponso amante cum variis comparationibus, speciositates Sponsæ, & invitat illam, ut ad se veniat, relictis asperitatibus nemorum, in quibus feræ immorantur. Sunt hæ comparationes, significationes Sponsi contemplantis in Amata sua fortitudinis perfectionem post passam ariditatem.

CARMEN.

LUminibus quàm pulchra meis sis obvia Virgo!
Omnis Tu summam sola decoris habes.
Ordiar ex oculo: Par est, similisque Columbæ,
Interiusque latet major honoris apex.
Fert speciem Galatidis ovis, coma fulva, cacumen
Dimensæ montis, Sole trahente diem.
Labra colorantur ceù vitta virescit ab ostro,
Vel cum flammescit sandicis in minio.
Fulget ebur dentis, tonsarum ut candicat albor
Lotarum, fluvio, Vesperis antè facem.
Qui decor in malis! Vos Mali punica grana
Cedite, purpureis cedite cocca genis.

Qua-

Qualiter exurgit Davìdis in aera Turris
    Cum propugnaclis ædificata novem.
In qua ſub clypeis centum fortiſſima pendent
    Scuta, nec armorum deficit omne genus:
Sic tua colla micant, in me vibrantia mille
    Spicula, millenâ ceù jaculata manu.
Aſt Ego, queis æquem vos pectoris ubera bina?
    Hinnulus ut duplex, dupla mamilla tùmet.
Tùm cùm liligeris paſci cupit hinnulus hortis
    Donec ſomniferæ tempora noctis eant.
Quod reliquum, Eſt adamas, marmor, nix, aut alabaſtrum,
    Vel melius toto corpore, mollis olor.
Scilicet omnis abeſt maculoſæ ſemita rugæ,
    Sed ſolum ſpecies, & decor omnis ovat.
Ad Montem myrrhæ vadam, juga thuris adibo
    Dummodò Te potiar, pes iter omne teret.
At Tu, ſeù Libani te detinet ora virentis,
    Aut Amanæ, aut Hermon, vel plaga Sanir habet.
Ad me Sponſa veni, ne gaudia noſtra retardes
    Extat prompta tuis texta corona comis.
Linque precor montes pardorum, linque leonum
    Saltus, cum rabidis quid tibi cara feris?
Et ſi fortè juvat ſtudiis inhiare Dianæ
    Sunt mea venatu pectora capta tuo.
Heù heù, corda tuis mea ſunt jam ſaucia telis
    Irretitus eo, crinis amore tui.
Ah Soror, uno oculo rexiſti certiùs ictum!
    Solo crine, magis ſe plicuere lupi!
Quid petis ulterius? divino grandior Agno
    An neſcis, non eſt altera præda polo?

Favus diſtillans labia tua Sponſa, mel, & lac ſub lingua tua, & odor, veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris. Hortus concluſus Soror mea ſponſa, fons ſignatus. Emiſſiones tuæ, Para-

Paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Cypri, cum nardo, nardus, & crocus, fistula, & cinnamomum, cum universis lignis Libani. Myrrha, & aloe cum omnibus primis unguentis. Fons hortorum, Puteus aquarum viventium. Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Cap. 4. Prosequuntur Sponsi comparationes, ergà suam amatam Sponsam, quam vocat hortum, fontem, & puteum, figurando non solum ejus pulchritudinem, sed & utilitatem. Aptantur hæc Symbola Ecclesiæ, quæ est Christi Sponsa, præferens undequaque simul cum forma profectum animarum.

CARMEN.

Dum tua Vox nostras dulcissima detinet aures
Non nisi distillans sunt tua labra favus.
Quot sunt verba, rosas blando tot fundis ab ore
Cumque rosis mixtim mella liquata fluunt.
Allecti sonitu, sistunt sua murmura Venti
Detrectant fluvii, Doridis ire domos.
Non minus olfactu sensus recreatur, amictum,
Ut subeo nitidum, quæ tua membra tegit.
Dicite non peplum nabathæos afflat odores
Ponuntur sacris cùm pia thura focis?
Hortus conclusus, fulges mihi Sponsa, Sororque
Cernere non omnes lecta vireta decet.
Regales oculos tantùm viridaria pascant
Visere sidereus rura meretur Herus.
Fons es signatus pariter pellucidus undâ,
Et salit ad superas vena beata plagas.
Ne violent lymphas serpentia monstra veneno,
Apposuit centum Dia sigilla manus.
Quid de muneribus dicam, quæ prodiga mittis?
Non terrenarum sunt Paradisus opum?

Sint

Sint Libani plantæ, ſint cinnama Perſidis illa
Sint aloe, nardus, fiſtula, myrrha, crocus:
Omnia ſunt cordis ſtimulantia dona favillas:
Apta meæ ſemper pabula ferre faci.
Tu Fons hortorum per quem vegetantis agelli
Pubeſcunt flores, perpetuòque virent.
Tu Puteus viventis aquæ, quam Najada circum
Ludit de Libani lapſa Napea jugo.
O' ſurgas Aquilo, Eolias dimitte cavernas
Apta humeris alas, per Jovis arva migra:
Tuque veni comes Auſter, & aera percute flabro
Evome quod tepidum pectore: flamen alis.
Ite ſimul, perflate meum, ſed leniter hortum
Mulceat aura polum, mulceat aura ſolum.
Cum choreis veſtris, veſtriſque volatibus, omnis
Se prodat, dudum viſcere clauſus odor.
Dulcius haùd alibi manabit aròma, nec ipſe
Elyſiis Æther, plus adolebit agris.

Veni in hortum meum, Soror mea ſponſa. Meſſui myrrham meam, cum aromatibus meis. Comedi favum cum melle meo, & bibi vinum cum lacte meo. Comedite Amici, & bibite, & inebriamini cariſſimi. Cap. 5. Amantis Sponſi exclamationes, ut ad ſuum hortum veniat Sponſa. In hiſce expreſſionibus Amoris, verificatur, delicias Dei eſſe cum filiis Hominum.

C A R M E N.

VInea pande fores: veniat mea Sponſa, Sororque
Sint adaperta ſuo limina cuncta pedi.
Tu mea Lux properes, nunquam formoſiùs hortus
Floruit, induvio, fronde, colore, comâ.
Indulgere tui votis eſt tempus Amantis
Fas eſt: ingratas præcipitare moras.

Te vocat, irriguis torrens argenteus undis,
  Ille suo resonat murmure, pulchra veni.
Te clamat Zephyrus, mulcens sata culta susurro;
  Cumque flat, ut properes, sunt sua flabra preces.
Invitat geniale nemus viridante tapeto
  Purpureum sparso clamat odore solum.
Tecum sunt horti dilecta vireta, placentque
  Prata smaragdineo variegata peplo.
Te sine nec vitrei ridet mihi gratia floris,
  Nec lubet arborei frondea pompa jugi.
Te sine, non laurus gratas mihi commodat umbras,
  Et quamvis dives germine, vilet ager.
O' iterum venias oro, mea Sponsa, Sororque
  Jam myrrhæ messis, pollice secta meo est.
Pro Te collectum servatur aromatis unguen
  Pro Te totius surgit odoris onix.
Nuper Ego præ lætitiâ mea mella comedi
  Exultans, mixtum lacte, bibique merum.
Hùc omnes properate mei, properate Sodales
  Mecum Convivas dulciter esse volo.
Pascimini dapidus, positisque comedite mensis
  Festivam Bacchus concelebretque diem.
Crateri, pateræ, ciathoque vacetis Amici,
  Est opus ut toto numine Liber ovet.
Ebrius à poto sit nectare quilibet: omnem
  Poscit lætitiam lux venientis Heræ.

Ego dormio, & cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi, Soror mea, Amica mea, Columba mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei, guttis noctium. Expoliavi me tunicâ meâ, quomodò induar illâ? Lavi pedes meos, quomodò inquinabo illos? Surrexi, ut aperirem dilecto meo. Manus meæ, stillaverunt Myrrham. Pessulum ostii mei aperui Dilecto meo; at ille declinaverat, atque transierat. Anima

ma

ma mea liquefacta est, ut Dilectus locutus est. Quæsivi, & non inveni illum, vocavi, & non respondit mihi. Invenerunt me custodes, qui circuierunt Civitatem, percusserunt, & vulneraverunt me. Tulerunt pallium meum. Adjuro Vos filiæ Jerusalam, si inveneritis Dilectum meum, ut nuncietis ei, quia amore langueo. Cap. 5. Refert Sponsa suum insomnium Adolescentulis confidentibus, in qua visione deflet suam moram in aperiendo amanti Sponso. Insuper ærumnas passas à Custodibus Civitatis. Hic figuratur quanti æstimare debèmus divinas inspirationes, quæ nisi illicò excipiantur, extemplò evanescunt.

CARMEN.

Clausa licet, leni requiescant lumina somno
 Mens tamen interius, cor vigilatque meum.
Ecce mihi tales præbent insomnia visus;
 Cum Sponso siquidem sum mihi visa loqui.
Dius Amor, portam pulsans hæc verba profatur
 O' aperi postes, ostia pande Soror.
Pande fores repetit, cecidit jam Vesper Olympo
 Delia nocturnos: en moderatur equos
Aspide, cincinni gelidâ maduere pruinâ
 Alluitur nostrum rore cadente caput.
Ah cur non aperis? cur sic excludis Amantem?
 Quid faceres hosti? pande Columba fores.
His Ego: sepositas nequeo modò sumere vestes.
 Quomodò me rursus palla sequestra teget?
Nonne meos lavique pedes, digitosque retersi?
 Tam mundos artus, est maculare nefas.
Surrexi tamen, ut reserarem limen Amato,
 Et myrrhâ, nostræ spontè pluere manus.
Ast ubi sunt vulsi, patefactaque janua postes
 Declinans aliò, jam volitarat Amor.

Hei mihi: ſum totis intus liquefacta medullis
Tunc planxi, mœſtas dilaniata comas.
Quæſivi; at fruſtrà, nomen fruſtràque vocavi
Non reſponſa dedit, qui ſua terga dedit.
Quid faciam? Solimæ vicos, plateaſque cucurri
Non inquiſitus, deſiiit eſſe locus.
Cuſtodes Urbis me repperiere vagantem
Me profugam dictis increpuere malis.
Quin etiam ferro corpus fecere cruentum
Mox rabidè noſtrum proripuere peplum.
Adjuro Vos ò Solimæ mea cura Puellæ
Dilectum forſan ſi reperire datum:
Dicite quas patior pœnas, quæ vulnera ſervo
Omnia de damno nuncia ferte meo.
Addite, Me plagas nihilum, curare nec ictus
Majus quod cruciat vulnus, adegit Amor.

Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto. O' pulcherrima Mulierum? Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus. Caput ejus aurum optimum. Comæ ejus ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi corvus. Oculi ejus ſicut Columbæ, ſuper rivulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident juxtà fluenta pleniſſima. Genæ illius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis. Labia ejus lilia diſtillantia myrrham primam. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter ejus eburneus diſtinctus ſapphyris. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas. Species ejus ut Libani, electus ut Cedri. Guttur illius ſuaviſſimum, & totus deſiderabilis. Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus filiæ Jeruſalem. Cap.5. Reſpondet Sponſa, choro Virginum, quærenti quis ſit dilectus ejus, illum enim manifeſtat recenſendo ejus pulchritudinem, cui nulla humana poteſt æquiparari.

CAR-

CARMEN.

Quæritis ò Comites quis ſit dilectus Ephœbus
Pro quo, mille meo ſpicula corde gero?
Noſter Amor ſcitote, meæ grex virgo Puellæ
Candidus ut nix eſt, ut roſa purpureus.
Illius eſt cervix auri redimita coronâ
Inſtar palmarum, cæſarieſque fluit.
Crinis at eſt furvus, ceù furvi plumula corvi
Perfuncti longos per Jovis arva dies.
Spectare eſt oculos, velut eſt luſtrare Columbas
Pictas lacte, ſuper mole fluentis aquæ.
Areolis ſimiles, quas pigmentaria dextra
Confecit, geminas creditis eſſe genas.
O'quam liliolis Sponſi ſunt æqua labella
Cum Myrrham primo lilia mane pluunt!
Eſt tornata manus, ſtatuà ceù conſpicis auri
Dediſcit mendas, neſcit habere rugas.
Scilicet illa manus plena eſt hyacinthide gemmâ,
Illa regit cordis, frœna, lupoſque mei.
Sic quoque ſapphyris, eſt alvus eburnea compos,
O' quàm vittatis eſt decorata notis!
Non niſi marmoreæ ſunt Agni crura columnæ
Deſuper auratas ſe relevantque baſes.
Illius eſt ſpecies Libano ſpecioſior alto,
Vincit & electos forma ſuperba cedros.
Ambroſiam fundit guttur, mel effluit ore
Faucibus eloquium, nectaris inſtar abit:
Talis noſter Amor blanditu blandior omni
Sufficiat Patrii Numinis eſſe genus.
Heù quò nunc abiit? Caræ quæramus Amicæ
Palantem Sponſum, ne mea vita cadat.
Quis non invento potis eſſe ſuperſtes Amore?
Longior ex anima, vivere vita nequit.

Di-

Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut ibi pascatur in hortis, & lilia colligat. Ego Dilecto meo, & Dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Cap. 6. Nacta jam Sponsa, Sponsum, in lætitias funditur, & gaudet genio Sponsi, propenso ad colligenda lilia, cum talis flos, sit ei gratissimus, quia symbolum est Virginitatis, explicatque amborum unionem, nihil esse, nec fore aliquid dulcius.

CARMEN.

Sponsus io rediit, Solimæ lætemur Alumnæ
Pro me candidior non erit ulla dies.
Ille quidem, viridem nuper descendit in hortum
Spirat aroma, suæ surculus omnis humi.
In pratis gaudet plenos consumere Soles,
Ut relegat plenâ lilia nata manu.
Vicini montes, vicinæ plaudite valles
Carpere dum noster lilia pergit Eros.
Collige mi flores dulcissime Sponse pudicos
Non mihi sunt illis germina cara magis.
En Ego dilecto, totis Me viribus addo,
Viribus & totis additur Ille mihi.
Liliolis ambo trahimur, non serta probamus,
Quæ nullas oleant Virginitatis opes.
Vivere sic tecum, major mihi nulla voluptas
Posthàc Elysiæ rura valete plagæ.
Crede mihi totus pro me descendit Olympus
In terras, quandò me tibi jungit Amor.

Pulchra es Amica mea, suavis, & decora, sicut Jerusalem terribilis ut castrorum acies ordinata. Averte oculos tuos à me quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui, sicut greges ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ,

tuæ, absque occultis tuis. Sexaginta sunt Reginæ, & Adolescentularum non est numerus. Una est Columba mea, perfecta mea, una est matri suæ electa, genitrici suæ. Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt, Reginæ, & laudaverunt eam. Quæ est ista, quæ progreditur, quasi Aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, & inspicerem, si floruisset vinea, & germinassent mala punica. Nescivi: Anima mea conturbavit me, propter quadrigas Aminadab. Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te. Cap. 6. In hoc capite figuratur Anima amans, se totam diffundens in dilectionem Sponsi, laudansque ejus pulchritudinem, quo in munere, per supervenientiam rerum exteriorum, & rumores externarum occupationum conturbatur: quà propter rogat Sponsum, ut iterum internetur in contemplatione superni amoris.

C A R M E N.

Pulchra nimis, generosa nimis mea Diva superbis,
  Cui Ego te decori magnificabo parem?
Tu Solimæ similis, quæ nubila transilit Urbi,
  Ardua sidereos quæ ferè tangit agros.
Tu par terrificæ clangenti bella Phalangi
  Ordine cùm recto martia castra ciet.
O' oculos averte tuos, modicumque, parumque
  Deprecor ad lævum lumina fige latus.
Lumina si nescis, animos rapuereque pectus
  Ad te fecerunt cor volitare meum.
Est tua cæsaries, gregibus similanda caprarum
  Ad Galaad quandò se retulere jugum.
Suntque tui dentes eboris candore corusci
  Flumineas lotum ceù pecus inter aquas.

Sci-

Scilicet ex illis ſterileſcit nulla capellis;
Fœtibus at geminis, quæque tumeſcit ovis.
Non umquam vidi tam punica Mala venuſta,
Ut poſſint malis eſſe coęqua tuis.
Parco ſed arcanos formæ memorare lepores,
Quod latet interius pulchrius ardet opus.
Sint mihi ſex denæ Reginæ, ſit mihi quamvis
Fœminei cœtus, innumerus numerus.
Una tamen cor Regis habens ſuperminet omnes.
Una Columba mea eſt, Tu mihi ſola places.
Non ſecus, ac Matris dilectio conderis Una,
Siſque Mei ſemper, ſis Genitricis Amor.
Te ſtupidis oculis Solimæ videre Puellæ
Dixerunt: quantùm Sponſa beata micat!
Texerunt quali Reginæ carmine laudes!
Ructarunt: Illam gloria ſumma decet.
Progreditur ſiquidem veluti Tithonia lampas
Purpureum reſerans prævia lucis iter.
Eſt ſua Latonâ Natæ, par alta venuſtas
Nocturnos quando celſior urget equos.
Ut Sol ſola nitet, princeps electa, jugales
Ducere, ſigniferæ per penetrale plagæ.
Nec metuenda minus Martis legione, paratâ
Hoſtiles armis ter domitare globos.
Ah mihi cara, nucum deſcendi nuper in hortum
Scilicet ut vallis perſica poma legam.
Inſpiciamque ſimul, ſi vinea floruit uvis.
Si tulerint germen punica mala recens.
Neſcivi. Quis credat? & eſt turbata quadrigis
Aminadab, mea mens, læſa repentè rotis.
Flecte Sunamitis, rurſus veſtigia flecte
Ad nos, ad nidum, blanda Columba redi.
Te videam, Te complectar, dulciſſima libem
Oſcula, mique redux ſic Paradiſus erit.

Quid

Quid videbis in Sunamitide nisi choros castrorum? Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis! Junctura femorum tuorum, sicut monilia, quæ fabricata sunt manu Artificis. Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ. Collum tuum, sicut Turris eburnea. Oculi tui sicut piscinæ Hesebon, quæ sunt in portis filiæ multitudinis. Nasus tuus, sicut turris Libani, qui respicit contrà Damascum. Caput tuum, ut Carmelus, & comæ capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus. Cap. 8. Amor Christi hic figuratur ergà Sponsam Ecclesiam, more enim amantium, mille adinvenit comparationes, ut suæ Dilectæ pulchritudinem exprimat.

CARMEN.

Quid nisi castrorum cuneos, aciesque, chorosque
Bellantes armis in Sunamite vides?
Cernitur horrisono commixta pavore voluptas
Cum veluti Pallas, conspicienda venit.
Lux mea, quàm pulchri gressus, pulchrique cothurni
Sunt, dum per Solimas is remeasque vias!
Regia Tu proles, femorum junctura tuorum
Artificis torques est fabricata manu.
Est venter Cereris cumulus, quem lilia vallant,
Alui candorem, nix superare nequit.
Hinnulus ut duplex, duplex est pectoris uber
Uno quem peperit caprea fœta satu.
Quis poterit colli sublimem pangere formam?
Arcem eboris, Turrem marmoris anne canam?
Hesebonis fontes, & pellucentia stagna
Sunt oculi, frontis bis geminata pharos:
Quo currit numerosa manus, deportet ut undam
Regales lectam ponè venire dapes.
Queis Ego carminibus valeam vos fingere nares?
Ad Libani speculam mens mea currat opus.

Arx etenim contrà quæ respicit illa Damascum
Naribus haud impar visitur esse tuis.
Sed caput, effigiem Carmelo denotat æquam,
Cervicis tanto culmine surgit apex!
Quæ coma spiriferis descendit vertice filis,
Et sistit tergi blanda ligustra super:
Purpura non Regis, ter vincta canalibus illa est?
Talis luminibus fulget imago meis.
Desino. Non magnis fas est componere parva,
Sidereis flammis quàm præit Æthra solum!
Quod sis cœlestis mea lux, mea pectora norunt.
Si face fulmineâ, subdita corda cremas.

Quàm pulchra es, quàm decora carissima in deliciis. Statura tua, assimilata est palmæ, & ubera tua botris. Dixi ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus, & erunt ubera tua, sicut botri vineæ, & odores tui, sicut odor malorum. Guttur tuum, sicut vinum optimum, dignum Dilecto meo ad potandum, labiisque, & dentibus illius ad ruminandum. Cap. 7. Addit Christus alteras comparationes significantes speciem suæ Sponsæ Ecclesiæ in quibus parallelis, demonstrat divinus Amor, quam sit verum effatum. De Dilecto nunquam satis.

CARMEN.

O' Quæ deliciis nata es pulcherrima nostris!
Ipsa favus mellis, nectaris Ipsa scyphus.
Quam meritò Palmæ, tua par statura levatur
Æquatur meritò dupla mamilla botris.
Ascendam dixi palmam, fructusque prehendam
Non erit hac nostræ dulcior esca gulæ.
Insuper, ascendam vitem, botrisque potiri
Gaudebo: Bacchi qui mihi dulcor erit!
Oris odore tui, sic recreor, ut minus aura
Malorum oblectet, dum Canis axe latrat.

Gut-

Gutturis ecce tubus, velut optima teſta Liei
Cimbia Dilecto ſufficit, undè bibat!
Quin labiis præbet vires, ut ruminet eſcam;
Et ventri ſapidos adjuvet ire cibos.
Cætera quid recolam? non eſſet Sponſa Tonantis
Una niſi cunctas Orbis, haberet opes.

Ego Dilecto meo, & ad me converſio ejus. Veni dilecte mi. Egrediamur in agrum, commoremur in villis. Mane ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruit vinea, ſi flores, fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica. Ibi dabo tibi ubera mea. Mandragoræ dederunt odorem. In portis noſtris, omnia poma, nova, & vetera, Dilecte mi ſervavi tibi. Cap. 7. Sponſa Chriſti, vulnerata pungentibus ſagittis Dominicæ laudis, tanto effectu expreſſæ, quaſi amore impatiens, invitat illum ad mutuam fruitionem divinæ unionis. Hic ſenſus, ſicut myſticè eſt Eccleſia ergà Chriſtum, ità adaptari poteſt Animæ requirenti Deum munere contemplationis.

CARMEN.

EN mihi Dilectus, Dilecto vincior Ipſa
Glutine nos quali mutuus unit amor!
Sponſe veni, dilecte veni: villana migrandum
Ad loca, gaudendum lympidiore polo.
Quam juvat inter agros, caſtæ dare pabula flammæ!
Influit ò quantùm rus, ad amoris opus.
Cernere flumineos erit ad maris æquora fluctus,
Currere! Nereides quomodò Najas amet!
Floſculus ut Zephyros, ut meſſis diligat æſtus
Expectet pluvios arida gleba Joves!
Lilioli formam roſa concupit, appetit illud
Reginæ florum connubiale decus:
Herbida plebs rori, ſitienti ſupplicat ore,
Sed calidum Solis devocat uva jubar.

Omnis pratorum campi pretiosa supellex
    Innatâ dulcis vivit amoris ope.
Ejà agè surgamus: jam matutina rubescit
    Jam croceis nimbis, astra fugavit Eos.
Quæ mora? visendum, si vinea floruit Evan?
    Num flores, fructus exeruere novos?
Punica si capitis pepererunt Mala coronam?
    Germinibus juvenis si decoretur humus?
Illic non verear niveas offerre mamillas
    Tu tenerâ tanges ubera nostra manu.
Auras mandragoræ flarunt beneolentis odoris,
    Undique nectareas hortulus halat opes.
In foribus nostris, ne dum nova poma videbis,
    Aspicies anni tempore nata senis.
Omnia servavi: mihi Tu matura refundas
    Gaudia sola, tui scilicet illa sinus.

Quis mihi det, Te Fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te solum foris, & deosculer Te? & jam nemo me despiciat. Apprehendam Te, & ducam in domum Matris meæ, & in cubiculum Genitricis meæ, ibi me docebis, & dabo tibi poculum, ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Cap. 8. Declamatio Sponsæ, & quasi conclusio dramatis, qua Anima amans, Christi sui Sponsi, suum amorem exerit, desideratque ei intimè connecti, eoque frui in Paradisi patriâ, ex quo in deliquium incidit, instar soporis extatici.

CARMEN.

UBera sugentem sapidè Genitricis amantis
    Quis mihi Germanum det reperire meum?
Cum Te mi Frater tot post invenero vota
    Non lac ulterius, Te rebibisse velim.

Oscu-

Oſcula mille genis, totidem figamque labellis,
Ut Fas eſt Fratri promere cara Soror.
Quis me deſpiciet? dignata favoribus ipſa
Pluſquam ſidereis? Indiges eſſe reor.
Te rapiam, ducamque meæ ſub tecta Parentis,
Efficiam greſſus ſiſtere ſtrata penès.
Me doceas illic reverenti voce precabor,
Silicet ut videat mens mea, lucis iter.
Mox Ego condito tradam cratera Lieo
Pocula ſufficiam delicioſa gulæ.
Et de granatis carcheſia preſſa parabo
Talia de fluido nectare, muſta bibes.
Hei mihi, jam morior dulcedine: dextera Fratris
Me ligat, inque meo vertice, læva manet.
Illa manus, manus illa, meos amplectitur artus,
Quæ Cœli geminos eſt fabricata polos?
Sors mea poſſe mori, dum caris ſtringor ab ulnis
Dulce mori, dextrâ ſim modo fulta tuâ.
Is mihi mira fides! tales impertit honores,
Qui potis eſt modico cuncta creare ſono.
Eſt Opifex rerum, genus uno è Numine, Soli
Attribuit radios, Sideribuſque jubar.
Fundamenta dedit terræ; ſed ſcandere ſurſum,
Et voluit liquidas aera nare plagas.
Oceanum certis incluſit finibus, amnes
Præpete præcepit proſiliiſſe gradu.
Iſte quidem, tanti mare vult ut mergar amoris,
Fundit ut affectus pignora tanta ſui.
Sum quid ego? Sim cara licet, ſim Sponſa, Sororque,
Ultrà condignum prodigit Agnus opes.
Ebria ſum fateor, jam bacchica teſta, labantes
Efficit ire pedes, & ſuper ire torum.
Ebria ſim ſemper: noſtros ità claudat ocellos
Somnus, Thyrſigero proximus uſque Deo.

Hæc

Hæc Sunamitis ait: venit ſopor, ortus Jaccho;
Et ſunt ſomnifero lumina mulſa favo.

Adjuro vos Filiæ Jeruſalem, ne ſuſcitetis, neque vigilare faciatis Dilectam, donec ipſa velit. Cap. 8. Sunt verba Sponſi amantis, videntis Sponſam in extaticum ſoporem incidiſſe, hinc oſtendit quam illi placeat cura Magdalenæ, præ curâ Marthæ, ſcilicet ocium contemplativum, præ vitâ activâ.

C A R M E N.

VOs Ego conteſtor, proles Solimæa Puællæ,
Nè vigilare meam fortè ſinatis Heram.
Dormi cara Soror, dormi pulcherrima Sponſa
Pulvinar meritum, brachia noſtra forent.
Et donec placeat ſint lumina credita Morpheo,
Et donec placeat, ſtes vigil in thalamo.
Murmura rauca procul, ſtrepitoſa celeumata longè
Omnis achemenium per mare rumor eat.
Adveniat dulcis per amica ſilentia ſomnus
Afferat & ſuavis ſomnia grata quies.
Ne reputet quiſquam, quod mens phantaſmata vana
Merſa ſopore ſuo dum requieſcit, alat.
Noſtra Soror, vigilare ſimul ſua corda faceſſit,
Et mecum dulces gaudet inire ſonos.
O' quas mellifluo blandas parit ore loquelas!
Non potis eſt ſolitas non memorare preces.
Non ſopor æthereos prohibet contexere cantus;
Urget at affectus ſigna patere ſui.
Ipſe ſcio, quæ vota pio nunc corde revolvit
Innumeras ardens inquit habere faces.
Nec ſtupor eſt ullus: ſtudiis obnoxius hærens
In ſomnis etiam ſe ſtuduiſſe putat.
In deſideriis fuimus quibus ante morati
Cum dormitamus ſtare videmur adhuc.

Pi-

Piſcator feſſos ſtratis cum projicit artus
Ad piſcamen aquæ, mens ſua nocte redit,
Non aliter mea Sponſa facit; me quærit amando
Cum vigilat; ſic cum Veſpere dormit, amat.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Cap. 8. Sunt voces puellarum admirantium amorem Sponſi, qui de terrenis tribulationibus, Sponſam evocat, ad ſui fruitionem, inter regalia viridaria.

CARMEN.

QUæ de deſerto, Solimam conſcendit ad Urbem
Fœmina tam fœlix? dicite quæ ſit Ea?
Scire decet, Mulier fortunatiſſima quæ ſit?
En natat illecebris, deliciiſque fluit!
Innixam niveis Dilecti cernimus ulnis
Præſtò Sionæi carpere collis iter.
Hæc eſt divini blandiſſima Sponſa Dynaſtæ
Hæc eſt ſiderei Regis, amata Soror.
O' quos Agnus ei cumulos largitur honorum!
Immenſas, cornu divite fundit opes.
Ad ſua tecta trahit, regales ducit, & hortos
Utque novâ videat floriditate nemus.
Eſt locus ille quidem, de Chloride dives odorâ
Illic Solares impedit umbra faces.
Non ibi ſunt Boreæ ſedes, non limina Cauri,
Sed Zephyri pictam ſpiritus afflat humum.
Munera quis recolet thuris, myrrhæque madores?
Cinnama ſe tollunt, balſama ſpontè cadunt.
Ultrò flumineâ lactis ſcatet imber ab urna
Ultrò de rami cortice, mella pluunt.
Arboreus ramos exercitus undique pandit,
Optimus à rupto ceſpite prodit odor.

Gra-

Gratia quæ florum? videas oſtrina roſeta
Purpureas croceo vertice ferre comas.
Lacteolis cernas, & lilia veſtibus orta
Argenti gazis, nobilitare ſolum.
Centum alii decorant viridaria regia flores
Omnis Phrixæo Sidere, nata cohors.
Sed caveas Virgo; ne fortè ſoporet ocellos
Arbore ſub Malo pernicioſa quies.
Stat circum ſerpens ſinuoſo vipera tractu
Nempè ſub umbrifera callida fronde latet.
Prompta ſed ad morſus, ſe præfert, quando venenum
Lethigeri dentis ſpargere poſſe videt.
Ah fuge mortiferos ſomnos, fuge virus echydnæ
Ad muliebre ſatis docta colubra malum eſt.
Et ſi tantus amor, claudenda ad lumina cogit
Sis gremio Sponſi, merſa ſopore precor.

Sub arbore malo ſuſcitavi Te. Ibi eſt corrupta Mater tua, ibi violata eſt Genitrix tua. Cap. 8. Vox Sponſi admonentis Sponſam, ne longiore ſopore irretiatur ſub arbore Malo, & hoc timore ſerpentium; ſubtus enim arborem malum, prima Mater, ſcilicet Eva à colubro callido, fuit corrupta, & violata.

C A R M E N.

SUrge, quid arboreâ Mali requieſcis in umbra?
Ulteriùs, vigilem Te Soror eſſe volo.
Nonne vides, ut repat humo ſæviſſimus anguis?
Ille tuos quærit lædere dente pedes.
Hoſtiles heù ſervat adhuc, animoſque, ſonoſque,
Et qua parte poteſt perdere, ſemper avet.
Te meminiſſe decet, dulciſſima Sponſa, quot aſtus
Evomuit, princeps undè periret homo.
Fœmineum vicit genus, antiquoſque triumphos
Exuviis coluber vult cumulare novis.

Lucus

Lucus erat, quo Protopater, primævaque Mater
    Auræ vitalis, ſemina prima bibit.
Quis locus ille? Voluptatum, Charitumque theatrum
    Elyſiæ meruit nomen habere plagæ.
Æternus tepor illic, intempeſta procella,
    Quique necat ſegetes Africus, exul erat.
Cum myrtis lauros, lauris palmeta videbas,
    Ulmos cum platanis, cum plataniſque cedros:
Tùnc tellus minimè pariebat, Virgo coacta,
    Fœcundus cultor quippè Favonus erat.
Quem dulcem truncus fructum, quæ poma ferebat!
    Illius ò qualis florea gaza ſoli!
In medio, pelagus fluviorum quatuor ibat
    Unus & Euphrates, alter eratque Tygris.
Aurifer à dextrâ Phiſon, Niluſque ſinixtrâ,
    Fluctibus hic prægnans, dives at ille vado.
Arbor prætereà fuerat, genitura quotannis
    Poma, ſuper mortis jus habitura metus.
Crederet immunem quis non ſerpentibus hortum?
    Vipera Dædaleo ſed latitabat agro.
Opportuna dolis ea tempora nacta, fefellit
    Matrem, fœminea credulitate ream.
Arbore ſub Malo corrupta eſt Eva colubro,
    Et violata hominum cuncta propago fuit:
Tu procul hinc greſſus flectas, ne Virgo ſoporem
    Excipias ultrà, ſat cubuiſſe datum.
Sic Sponſæ, Sponſus, ſomnoque ſoluta Virago
    Reſpondit niveâ pectora plexa manu.
Si dilecte mihi, duplicis das fœnora vitæ
    Da duplex etiam, Cor ut amare queam.

Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum, quià fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. Lampades ejus, lampades ignis, atque flam-

flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eum. Cap. 8. Exigit Sponsus retributionem amoris à Sponsa cum liberarit illam de periculo serpentis; insuper de cœlesti amore nonnulla differit. Ex his magnificanda est divina benignitas, cum enim amore mortalium non indigeat, tantâ tamen efficacia eum requirat.

CARMEN.

VIdisti Dilecta Soror, quid sedulus egi
Ne colubri morsu saucia fortè fores?
Te charitis tantæ memorem decet esse perennè
Quà Me crescenti fomite, semper ames.
Me super ergò tuum veluti cor pone sigillum,
Simque Ego, brachiolis ut data gemma tuis.
Acer amor, nil morte minus, sua prælia tentat,
Nec minus horrifico funere, fortis ovat.
Est etiam durus zeli rogus, ardet, adurit
Instar tartareæ fervida flamma facis.
Illius est lampas, Trinacridos æmula tedæ,
Vel cum succenso Vesbius ore furit.
Scilicet immensi nequeunt extinguere fluctus
Ardorem, Dius quem generavit amor.
Nec si septeno Nilus perrumperet ore
Obruet accensas mentis in arce faces.
Quàm benè sidereum quà conservaret eròton
Prodigeret gazas, & bona quisquis homo!
Despiceret gemmas Erythreæ Tethydis omnes,
Seù quas divitias aurifer Hermus alit.
Te (mihi dulce decus) tangat tam nobilis esca;
Descendens Cœlis alliciatque calor.
Crede quidem; Sancti si Flaminis igne peribis,
Ceù Phœnix, melior mox tibi vita redit.

Soror

Soror nostra parva, & ubera non habet. Quid faciemus Sorori nostræ in die quando alloquenda est? Si murus est ædificemus super eum propugnacula argentea, si ostium est compingamus illud tabulis cedrinis. Cap. 8. Vox Sponsæ, ad Sponsum, Sinagogæ, scilicet adultæ, loquentis pro Ecclesia, tunc pupula, pro qua precatur Sponsum, ut citò adolescere faciat, undè vacet officiis laudum divini Sponsi.

CARMEN.

EST mea pupa Soror, nec adhuc sua pubuit ætas,
Pectore candidulo nulla mamilla tumet.
Quid faciemus ei cum Te dilecte loquetur?
Territa quam timeo! non volet illa loqui.
Auxiliare precor, germanæ Sponse Puellæ
Da Tu condignos posse referre sonos:
Si murus modicus, paries est Illa pusillus,
Tu propugnaclis cinge, recinge, tribus:
Et sint argenti, fabrefacta repagla metallo;
Nam non, aut æris, vel decet esse cupri.
Ostiolum si fortè patet: compingere laus sit.
De cedrinis tabulis, postis utrumque latus:
Quam fas, materies cedri libanitidis extet
Æternos gaudet cedrus habere dies.
Vota manent. Numen properis adolere dat annis;
Illaque dulcisona talia voce canit.

Ego murus, & ubera mea, sicut turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens. Cap. 8. Vox Ecclesiæ ad Regem pacificum Christum, gaudentis de sua pubertate, & adepta fortitudine, propter gloriam, quæ redundat in ipsius Dominum, & amabilem Sponsum.

Gratia fudit ibi quàm largo munera nimbo!
Naturâ eſt blandum, blandius arte nemus.
Compita de viridi fulgebant tecta cupreſſo,
Comebant medium myrtea texta latus.
Obvia planities obnoxia floribus, omnes
Monſtrabat veris parturientis opes.
Illic cum rubris argentea lilia Calthis,
Et porphyriacis cana liguſtra roſis.
Non longè hinc tellus, in collem turget apricum,
Datque locum truncis, arboribuſque domum.
Quis numeret varias diverſo ſidere, lectas
Stirpes, diſtincto Sole ſubinde ſatas?
Helleſpontiacis fructus hùc miſerat oris
Advena, Tros proprii germina rara ſoli.
Miſerat Heſperius, lacero ſub tegmine ficus,
Et ſua mala Phryges, & ſua poma Syri.
Præcipuè Bacchi diteſcit vinea gemmis
Palmitibus quantis parturit uva botros!
Seù petis auriferum, ruſum ſeù poſcis Jacchum
Illa parit croceum, purpureumque merum.
Cum jam compreſſo fervet vindemia muſto
Tingit fœce pedes Vinitor, atque genas.
Nectareum fluvium capiunt nova dolia, quando
Ambroſii latices exiliere lacu.
Sed Solimus Princeps, dedit hæc vineta, fideli,
Ut cuſtodiret tempus in omne Viro,
Nam licet obtulerit numiſmata mille colonus
Pro fructu: Dominus reſpuit uſque ſtipem.
Tantus amor, ſervare ſuas hæc poma per eſcas,
Et dare Convivis talia vina ſuis.
Fœlix Pacifici meruit, qui pocula Regis
Ebrius ex alio quis volet eſſe mero?

Vinea

Istius est flavo cervix crispata metallo,
Cernis Cycnæum per sua menta decus.
Emicat ut radiis Phœbi percussa cadentis.
Iris, jam pluviæ Najadis imbre satur.
Labuntur caudâ tenus alæ, quippè pyropos,
Liliaque evincunt, muriceasque rosas.
Tellurem nunquam sua planta premit, pudet ima
Tangere: per superas est amor ire plagas.
Proximus hinc Cœlo, rores ex Æthere potat,
Et Matutini deflua mella cycli.
Relliquiis Divum, saturari reris, ut Eos
Jam finem mensis, ambrosiæque dedit.
Talia luminibus si dat spectacula nostris
Vinea, vineti cur memor esse negem?
Absit; cumque procul me Regia detinet Aula
Sin minus astiterim corpore, mente ferar.

Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam. Cap. 8. Sponsi desiderium audiendi vocem Sponsæ, idest Ecclesiæ orationes, vel est hic præsignata Christi anxietas audiendi Virginis Matris consensum daturum Angelo Gabrieli, cum dicet. Ecce Ancilla Domini.

CARMEN.

O' quæ gemmiferis Pomonæ degis in hortis,
Inter vernantes & spatiaris agros.
Quæ nunc triticeos peragras operosa novales,
Nunc picturatam floribus is per humum:
Fac mihi Sponsa, tuæ sonitus haurire loquelæ
Tu dic Dilecto dulcia verba tuo.
Fare Soror Fratrem, blandissima fare Columba
Par auri melicus non sonus ullus erit.
Eloquiis philomela tuis modulamina nulla
Æqua parit, cantus cedit alauda suos.

Non

Non ſimiles mergus moto ciet ore canores,
    Qui nidum ſcopulos Doridis inter habet.
Incipe cara Soror, dictis mulcere precantem,
    Nempè ſuas fundat lingua diſerta notas.
En chorus Aligerum, qui me circumdat amicus
    Auribus intentis ad tua vota manet.
Plus aliis Gabriel, vocis liquefiet amori
    Quantum Virgineos appetit iſte tonos!
Virginis alterius, præſens tu Virgo, futuræ
    Es typus, Agnomen quæ geret illa Maris.
Illa quidem dictiſque ſuis, Dioque profatu
    Terris & Cœlo gaudia plena feret.
Cum ſe ſe Domini famulam, ancillamque Tonantis
    Aſtruet, & fidei corda dicata canet.
Tu modò ſorte pari, dic verba noviſſima Sponſo
    Sponſa tuo; mellis fac ſuper æquor eam.
Harmoniam Sphæræ mihi crede bibiſſe videbor,
    Ut referes placitis nectaris ora modis.

Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnuloque cervorum, ſuper montes aromatum. Cap. 8. Annuit Sponſa petitioni ſui dilecti, illumque alloquitur, uti olor dulciſſimus, fundens extremas voces, eum hortando, ut velociter de campeſtribus arvis vitæ mortalis, aufugiat ad montes aromatum ideſt ad patriam immortalem Beatorum.

CARMEN.

ALloquor extremas ad Sponſum concita voces;
    Qualis Olor, fluvii margine, fata canit.
Audi Dius Amor, dulcedine dulcior omni
    Heù fuge campeſtres, heù fuge Sponſe caſas.
Sat pedibus loca preſſa tuis hæc ima fuerunt,
    Eſt opus excelſas nunc penetrare plagas.

Carpe

Carpe fugam, terræque celer da terga paluſtri,
Ulteriùs cœno quid lubet eſſe ſoli?
Sis capreæ ſimilis, cui dat venatica turma
Plus Auſtro properos agglomerare gradus.
Sis quaſi Cervorum pernicior hinnulus Euro
Senſilis à tergo proxima ſigna canum.
Ipſa adero Tecum comes indefeſſa fugacis
Conjugis, Aerium quò velis ire jugum.
Ibimus ad montem, caſias, & aromata flantem
Balſama tergus olet, cinnama ſpirat apex.
Scilicet aſtriferam Cœli ſuperabimus arcem
Eſt ubi ceù centro tota cupido ſuo.
O' Patria æternum fœlix, tibi debita tamquam
Unigenæ proli, cum Genitore pari;
Sed mihi dignanter famulæ tribuenda fideli
Per Te, qui Sponſus flecteris eſſe meus.
O' Amor, ò noſtri Spes fidentiſſima cordis
Ad patriam, ad ſtellas, dulcis eamus Here.
Luſtrabo, ſedem quam perdidit Angelus hoſtis
Auſus in æternum bella movere Jovem
Ætheris aſpiciam gemmata ſedilia Regis
Ad Triadis ſolium quàm juvat ire citam!
Dramata ſic clauſit, ſic muſica cantica Sponſa
Nullibi Cicnæos plus imitata ſonos,

ZACHARIÆ

Prophetæ, Patris Baptiſtæ Canticum. Lucæ cap. I. *Divinæ gratias rependit miſericordiæ, quia ſuam redemit plebem, & de filio prophetat, fore Luciferum Solis Juſtitiæ, directurum ſua prædicatione homines, ut Cœli ſedibus potiantur.*

CARMEN.

LAus Superûm Regi, quià ferrea vincula rupit,
Queis ſua plebs, longo tempore nexa ſtetit.

Vince fides: jam noſtra Salus deſcendit ab alto,
Excepitque ſinu, Davidis ecce domus!
Eſt procul à nobis inimicus terror, & arma
Ocius hoſtiles depoſuere manus.
Tale per os Vatum promiſerat antè canentum;
Oraclis finem ſed dedit iſta dies.
Quippè memor Dominus jurati fœderis, egit.
Ad nos deſponſam proſiliiſſe fidem.
Hæc Abrahæ dederat Patri promiſſa, daturum
Se Natis Evæ, pignoris inſtar Adæ.
Ut ſic impavidi, fatuoque timore ſequeſtro
Liminis aſtriferi mox famulemur Hero.
Juſtitiæ fines inter, coramque Tonante
Stamina dum vitæ Parca ſevera trahat.
Tuque Puer de Matre ſene, arentique Parente
Editus in lucem Nomina magna feres.
Scilicet Æterni Vates clamabere Verbi
Agni monſtrator Cunctipotentis eris.
Qualiter ad Phœbi currus it prodromus orti
Lucifer, & noctis nubila cuncta fugat;
Sic Domini faciem veniens Tu præſcius antè
Geſtibus & reſona voce, parabis iter.
Compita virtutum, calleſque docebis Olympi,
Mortales rapiant ut penetrale poli,
Talia ſervavit pietatis viſcera Numen
Immenſi nunquam liquit amoris opus.
Dignatum ſuperà nos eſt inviſere ſede
Perpete quà naſcens lampade fulget Eos
Creſce puer, mi Nate, citò da lumina cordi
Nunc caliganti, per tenebroſa necis.
Dirige pacificos hominum ſuper Æthera greſſus
Arcibus æthereis ut potiatur Humus.

ELI-

ELISABETH

Zachariæ Uxor, magno profunditur gaudio, quià visitata est à Maria, Virgine prægnante, Beatamque eam clamat, suæ fidei merito, per quod meruit esse Deipara, & Corredemptrix Orbis perditi. Lucæ cap. 1.

CARMEN.

UNde mihi Charitum, tam prodigus imber, & undè
Tot mihi mirificas Æthra refundit opes?
En Domini genitrix, famulæ se portat ad ædes!
Visitat agnatum Virgo, Parensque Senem!
Scilicet ad colles, & ad ardua culmina fertur
Post ubi divinum pectore sensit opus.
Illa quidem superos hausit cùm Numinis ignes
Montanos saltus, nostraque saxa petit.
Trascendit, celeri prærupta cacumina tractu,
Exuperat propero devia tesqua gradu.
Qualiter insultat latis tener hinnulus agris,
Aut salit aerium percita dama jugum.
Haud Ego, Diva parens tali me dignor honore
Tu sanè Dio flamine, tota mades.
Sidereus castam replevit Spiritus alvum,
Ut tua Virginitas intemerata foret.
Non es contactus experta Puella viriles,
Et vallant uterum lilia sola tuum.
Salve Cœlituum, salve lux aurea terræ
Salve cognatos tam citò mensa lares.
Ut tua vox, nostras est introducta per aures
Infans, ventre meo gestiit, ardet, amat.
Agnoscitque suum carnis sub tegmine Numen,
Impatiensque moræ nititur ire foras.
Tuque ò Virgo Parens ò terque, quaterque beata
Es quia divinis credula facta sonis.

Omnia qnæ Dominus Gabrielis ab ore ſpopondit
Evenient, vacuas non ſinet ire notas.
Quod naſcetur erit tua proles, atque Tonantis,
Tuque ſimul ſoboles, Mater eriſque Dei.

LAZARUS

In terris vivens pauperrimus, ulceribus plenus, mortuus fit in Cœlis ditiſſimus, & in ſinum Abrabæ excipitur. Luc. cap. 16.

CARMEN.

VUlneris ut dives, ſic pauper Laxare gazæ
Te lambunt linguæ ſola medela canum.
Dum peragis miſeræ mortalia tempora vitæ
In Te de Cœlo grandinat omne malum.
Non minus es Jobo patientior ulcere morſus
Neve minus rerum degis egenus Hiro.
Appetis è menſæ micis Epulonis, orexim
Pellere, ſed micis non ſatur eſſe potes.
Ut Fato cedens, vitales deſeris auras
Altera mutato cardine ſcæna patet.
Sidereos penetras poſtes, Abrahæque parentis
Stringeris ex ulnis, exciperiſque ſinu.
Tota domus Superûm mendico plaudit ovanti,
Et tibi quotquot habet, prodigit Axis opes.
Proſpera pauperies terræ ſi poſſidet Æthram!
Quis fugiat talem non adamare famem?

IDEM

Requiſitus ab Epulone, infernis pœnis addicto, ut refrigeret aridiſſimam linguam, digito modicæ aquæ conſperſo, rejicit immeritam petitionem, rememorando illi malam crapulam anteactæ vitæ. Luc. cap. 16.

CAR-

CARMEN.

INter delicias Epulo, qui vixerat omnes:
Mortuus, infernis eſt tumulatus haris.
Dum ſua tartareus torreret viſcera fomes
Ureret & fauces intoleranda ſitis.
Extulit ad Cœlos plorantia lumina dicens
Hùc precor, hùc oculos Lazare flecte pios.
Fer refrigerium digiti de Najade pauca
Humentis, guttam fuſilis affer aquæ.
Aſpicis ut noſtras paſcant incendia fibras!
Hei mihi quàm ſævè Tænara flamma cremat!
Lazarus his. Fili bibiti reminéſcere Bacchi,
Conveſcas menſis & memorare dapes.
Commoda, blanditias, convivia, fulchra ſat illa
Sufficiant, ævi tempore nacta tui.
Non locus illecebris ultrà, ſat prata biberunt
Morte tuâ ceſſit lympha rigare ſolum.
Ad Superos fruſtrà lugentes tendis ocellos
Nil prodeſt queſtu ſollicitare polos.
Talis humum ſubtus, tenebris aſſueta tuetur
Lucem, cum morti proxima Talpa manet.

JOANNES HIRCANUS

Dictus quia Hircanos populos ſubjugaverit, vir clariſſimus, ex eo etiam, quod Idumeos vicerit, & Demetrium, & ab eo pacem Antiochus popoſcerit, in Ipſo tamquam coronide, completa eſt ſeries Heroum, quos pagina priſci teſtamenti recenſet. Lib. 1. *Machab. cap.* 13.

CARMEN.

HIrcanas jugulare tigres eſt maxima virtus,
Et tam crudeles exuperare feras.
Plus eſt Hircanos populos domuiſſe furentes,
Hic tibi Joannes adfuit acer honos.

Sci-

Scilicet Hircani meruisti Nomen ovale
Delendum nullo post tua fata die
Quid quod Idumeos, genus intractabile bello,
Robore traxisti sub tua sceptra pari.
Nominibus, palmas junxisti, quas dat Idume
Stemmate promicuit sic tua Fama duplo.
Forte tuis pulsus non est. Demetrius armis?
Antiochus pacem non petiitque tuam?
Par tibi cum lauris, oleæ pepigere coronam
Textores, Pallas, Marsque fuere simul.
Gloria sed major tibi sit, quod legis avitæ
In te desierit pagina sacra loqui.
Ultimus es tabulis priscis, celebratior Heros
Creditus eloquii meta suprema sui.
Quis neget elogio nil grandius esse Joannis,
Quod lassare Dei quiverit ipse manum?

P A N T H E R

Filius Eleazari, fortunatissimus stipes lineæ ascendentis, desinentis ultimò in Mariâ, filiâ Joachimi, & Annæ, vera Genitrice Servatoris Mundi Jesu Christi.

C A R M E N.

PAnther adest: fac serta puer, fac serta puella,
Fundite mixta rosis cana ligustra senes.
Contrahitur tempus, quo descensurus Olympo
Gaudebit terræ Christus inire plagas.
Omnia læta sonent; si surgit ad aera truncus,
Optato fructum germine truncus aget.
Num veniet tali fœcundior arbore stipes?
Non equidem; totas hæc geret arbor opes.
Tantus honor tuus iste foret meritissime Panther,
Cum tua sidereum linea gignet Herum.

At

At fœcundus honos in Virgine desinet illâ,
Quæ Mundo specimen Virginitatis erit.
Integra quæ semper, prægnansque merebit in alvo
Immensum Numen claudere, Virgo, Parens.
Salve cara Deo radix, proavusque Tonantis
Dum terris oreris sidera læta canunt.
Principium fœlix, eventu vota sequentur,
Quod servabit humum, Numine nexus Homo.

BAPANTHERIS

Filii Pantheris, Dies natalitius celebratur, eò quod proximius occurrat dies genethliacus Sanctissimæ Virginis Mariæ, nascentis neptis, & futuræ filiæ fortunati Joachimi, & gratiosæ Annæ.

CARMEN.

PRisca sat umbrosis hæserunt sæcula dumis;
Floribus hæc ætas, sed redimita micet.
Proximior jam nostra salus: bibit ecce Bapanther
Vitales auras, luminis intrat iter.
Ejà agè noscat Avum Tellus Genitricis Jesu,
Huic nato, Cœli Regia, dicat ave.
Cresce vir, ut Charites manibus tibi munera plenis
Expediant, omnes Gratia fundat opes.
Virgineam siquidem navim, virtutis onustam
A' mare cui nomen, non procul esse notas.
Et quò fœlices properantius ibis in annos,
Occurret propiùs lucida stella Maris
Ostendentis Avi, Marialia sidera propter
Quam fas, Natalis sit celebranda dies!

Finis, Magnatum Veteris testamenti. Incipiunt Sacræ Ephemerides novæ legis, digestæ secundum ordinem Anni Ecclesiastici.

AD

AD DIEM NATIVITATIS DOMINICÆ OCTAVAM, quæ est Sacra illius Circumcisioni. 1. Januarii.

CARMEN.

Ecce dies, princeps venientum visa dierum,
 Quàm benè divino sanguine primò rubet.
Hanc non ostra notent tantum; sed candida saxa;
 Est quia vitalis, qui fluit indè cruor.
Ne luat emeritas Inimicus sanguine pœnas
 Spontè sui gestit saucius esse Puer.
Si Puero lapidis sunt congrua nomina, rectè
 Alter Phidiades sculpere se voluit.
Ergò parum fuerat, parvis puerascere membris
 Defectâ fieret ni quoque parte minor.
Ast ubi Numen amans in se decrescere gaudet
 Ergà Nos Dius tunc mage crescit Amor.

SUPER EADEM MATERIA,
Et eodem die Januarii.

CARMEN.

Sanguineum laticem, quem parvo fonte scatere
 Magnus ab Infantis pectore mandat Amor.
Illius est pignus, pleno quem flumine fundet
 Tum cùm Calvario Rex Cruce fictus erit.
Ah quantùm Te nostra salus Puer amodò tangit!
 Anxia maturas præripit illa moras.
Ast Ego cur lacrimis (Te nunc spargente cruorem)
 Non madeo? pœnis cur mea corda carent?
Heù quia cor lapidis servo. Te fauciat illud.
 Plusquam marmoreus cuspide culter agat.

AD

Ad Dulcissimum, & Potentissimum NOMEN JESU

Ejus umbra, in Jesu Nave, fecit sistere Solem ad Amalecitarum necem. Item inscriptum in lapide stravit Goliath. per manus inermis Davidis. 1. Januar.

CARMEN.

Angelico ductum verbo tibi Nomen Jesu
Inditur: O' quantum vox sonat ista decus!
Congeminat palmas, referat vox alta triumphos
Sit licet excisi vulnere parta Ducis.
Excisum cultro Nomen, populatur Avernum,
Captivamque trahit sub sua jura stygem,
Argue quod robur sit Nominis hujus, ab illo,
Quod fecisse potis, Nominis umbra fuit.
Umbra soni, gressus Solis compressit euntis,
Alipedes cursu, sistere fecit equos.
Stà Gabaon contrà, dedit hæc præcepta Planetæ
Jesus: Imperio stat duplicata dies,
Prodigiosa alibi, hæc operata est vocis imago
Testis cum tali Nomine scripta silex.
Litterulis quinis cecidit pavor ille Gygantum
A' Davide, suo sustulit ense necem.
Quid peraget Nomen, facit hæc si Nominis umbra?
Prototypus quid aget, si patrat ista typus?

AD DIVAM EUPHROSYNAM VIRGINEM.

Hæc Virginitatis servandæ amore, à domo paterna aufugit, & arrepto virili babitu inter Carmelitas Ascetes sanctissimè ævum conclusit cùm nomine Smaragdi. Ejus dies natalitius. 1. Januarii.

CARMEN.

HErcule Tu major Virgo, Te cyclade nudas
 Fœmineâ, molli se tegit Ille peplo.
Abjicis Euphrosynes nomen, recipisque Smaragdi
 Ut Cœli Charites condere gemma queat.
Sed cur Margarito, cur non Adamante vocaris?
 Virginibus nullus dignior est ne lapis?
Sic equidem. Thalamos odit, thædasque Smaragdus
 Sæpèque Junonis frangitur antè torum.
Nuncupet hic igitur meritò te Virgo lapillus
 Si tibi non umquam visa venusta Venus.

AD DIVUM ISIDORUM PELUSIOTAM.

Hic fuit in Ægyto, Pater celebris, tàm doctrinâ, quàm vitæ sanctitate. Ejus dies natalitius. 2. Januarii.

CARMEN.

ISidore tuum fulsit natale Canopo.
 Obstetrix lucis, lux fuit ipsa Phari.
Indè Parætoniis micuit tua scientia terris,
 Non secus in Memphys fax ea splendet aquis,
Qui dubiâ fallax descendit origine Nilus,
 Quique tot ex uno fonte fluenta vomit.
Te celebrem, veris extollit ad Astra susurris,
 Septeno grandem te vocat ore Patrem.
Quid superest? Ægypte feras ne laudibus Isim
 Te melius Sobolis, quam bovis uber alet.

AD DIVAM GENOVEFAM VIRGINEM PARISENSEM.

Colaphum à Genitrice sustinuit, quià perenniter, templorum amori vacabat. Matri impetravit lucem oculorum, jam tenebris

nebris obnoxios ob recensitum facinus. Obsessos duodecim simul à potestate Dæmonis exolvit. Ejus dies natalit. 3. Jan.

C A R M E N.

GAllia, liliolum Genovefâ non dedit ullum
Candidius Romæ, Virginitate suâ.
Flos semel at rubuit, colaphum cùm pertulit ore,
Injectum Matris desipiente manu.
Sed scelus hoc dextræ, genitricia lumina flerunt,
Protinus in tenebras illaqueata nigras.
Mox caligantem, lacrimis precibusque parentem
Luci restituit flens Genovefa suis.
Hæc etiam claudis gressus, mutisque loquelam
Erogat, Infernos ad styga pellit hydros.
Credite bissenos homines è compede Ditis.
Exolvens, lamias sub Phlegetonte ligat.
Amphytrioniaden cum clavâ monstra domantem
Ne Tu mireris Parisiense solum.
Expers armorum tua nunc Rhodaneja Virgo
Bis sex (ictu oculi) Tartara spectra fugat.

AD DIVUM RIGOBERTUM EPISCOPUM RHEMENSEM.

Quantùm fuit formidabilis pravis Principibus, tantum amabilis piis Regibus. Pipinus Gallorum Dominus elargitus est ei hortum, in quo deinceps, perpetua splenduit floriditas. Ejus dies natalitius. 4. Januarii.

C A R M E N.

QUi fueras Rigoberte malis formido Toparchis,
Regibus es rectis relligiosus Amor.
Dat tibi Francigenum Princeps sua rura Pipinus,
Et sibi lucra putat cum tibi donat agros.

Senſit humus Domini donata recentis honores,
    Hauſit quod nunquàm noverat antè decus.
Nam ver perpetuum largitis ſplenduit hortis,
    Florigeras ſemper veſtiit herba comas.
Non ibi ventorum luctæ, non fulminis ictus,
    Sed viror, & Floræ non periturus odor.
Quis ſtupor eſt? An non moderatur tempora Titan?
    An non Rhemenſis Sol Rigobertus erat?

AD DIVUM THELESPHORUM PONTIFICEM MAXIMUM.

Martyrem inſuper: Hic Ordinis Carmelitici fuit Alumnus. Juvenilibus annis, Eliano incolatui ſe vovit, indè ob præclaras dotes, in ſupremam Pontificatus Romani dignitatem eſt cooptatus. Coronatus eſt demùm martyrio, dum Ethnicas ſuperſtitiones peſſundere nititur. Ejus dies natalitius 5. Januarii.

CARMEN.

TE juga Carmeli, te ſeptem culmina Romæ
    Fecerunt celebrem Martis in Urbe Patrem.
Tybridis Antiſtes rexiſti jura Supremus
    Promeritus ſacris ſtemmata trina comis.
Numina monſtriferis, Erebus quæ parturit antris
    Straviſti tabulis, legibus, ore, manu.
Reſtabat Cœli ſuperos pertingere poſtes
    Hos etiam fuſi ſanguinis imbre meres.
Quod Te condecoret, non eſt ſublimius Orbe
    Eſt omnis Terræ, tactus, & Axis apex.

AD EPIPHANIAM DOMINI.

Adoratio Magorum Regum nactorum jam Chriſtum natum ſtellâ duce in Præſepio Bethlemitico. Dies Feſtivus 6. Januarii.

CAR-

C A R M E N.

PUlchriùs ecquando rubuerunt ostra Dynastum,
Ni cùm se nato prostituere Deo?
Tunc pudibunda sui regalis purpura, cœpit
Ex illo diphabum ferre rubore decus.
Quos tulerant patrio Reges Oriente lapilli,
Fasciolis Pueri non micuere pares.
Sic etiam paleis certantia sceptra, fuerunt
Visa nimis stipulis inferiora sacris.
Apparet culmis levior, gemmata Corona;
Et speciosa minus quam specus Aula micat.

PRO EADEM FESTIVITATE.

C A R M E N.

QUàm clarus Natalis adest, quem Cœlica lingua
Publicat! est præco non nisi stella poli.
A' Præsepe procul pennatæ buccina Famæ
Nil petit inflatum qui Puer extat humi.
Ætheris hæc nova lex, index fit Stella, diei,
Quæ natum Solem denotat esse solo.
Quis melior testis de Cœlo Numen adesse,
Cœlo, splendorem parturiente novum?

AD DIVUM GASPAR

Unum ex tribus Magis offerentem aurum puero Jesu in stabulo jacenti. 6. Januarii.

C A R M E N.

POnderis aurati Gaspar fers munera Jesu,
Quæ sunt omnigeni semina flava mali?
Aspicis ut solito timidum plus palleat aurum
Astans conspectum pauperis antè Dei!

Fal-

Fallor: Cùm Domino famulantur divite cornu,
Splendidius capiunt fulva metalla decus.
Hocqne facit Pueri ridentis fulgor Ocelli,
Per quem cæſaries aurea Sole micat.

AD DIVUM MELCHIOREM.

Alium Regem Magum, exolventem munus Puero thuris Sabæi. 6. Januarii.

CARMEN.

O' Quæ thuris Achemenii fragrantia dona!
O' qui Pancheæ mercis odorus honor!
Suaviùs afflaſtis nunquam, qua luce fuiſtis
Melchioris manibus dona ſtatuta Deo.
Dedidiciſtis onus, Ditis ſimulacra piandi,
Arſiſtis vero grana litata Jovi.
Lacrimulæ: Poſthàc magnus Puer ille Sacerdos
Vos arâ cordis plus redolere dabit.

AD DIVUM BALTHASAREM.

Regem Magum, facientem ſuam oblationem myrrhæ nato Domino. 6. Januarii.

CARMEN.

TU quoque ſtillatam Puero de cortice myrrham
Offers, Eoo Balthaſar ortus agro.
Fortè ſepulturæ quod fert, fert mortis, & omen
Carius hoc omni munere, munus erit.
Semper amaritiem novit, qui novit amare
Faſciculus myrrhæ ſic vocitatus Amor.
Sit licet ipſe Puer, pœnæ ſtat dictus Amori
Exorientis adhùc ſtant rata vota mori.
Ergò quod expectat Crucis aut in ſtipite libum,
Aut olidum functi corporis unguen humo.

Gra-

Gratiùs eſt illi quam thuris Gaza, vel auri;
Munus enim, funus quod magè clamat, amat.

AD DIVUM CANUTUM,

Regem Danorum, Martyrem. Hujus pietas emicuit, quando ſuas victorias Deo referebat, & Crucifixi pedibus diadema locabat. Inſuper quandò Fratris fraude fuit occiſus, quantâ pace necem ſuſtulerit. Ad ejus corpus, viſa eſt deſcendere de Cœlo lux impediens, ne de illo loco auferatur. Ejus dies natalitius 7. Januarii.

CARMEN.

Danorum Princeps, extremæ gloria Thules
Ad ſeptem geminos addita Stella boves.
In Te Biſtonii non viſa potentia Martis
Major, quam Latiæ relligionis amor.
Seù decuit terris, ſeù ponto prælia ferre,
Vincere, ſivè ſolo, vincere ſivè ſalo:
Ad Superûm Nomen referebas uſque triumphos
Siſtebas plantis & Diadema Dei.
Hinc veram petiere fidem, Borealia regna
Tarpejos tenuit Menalis Urſa lupos.
Aſt ubi Fraternus tua cedere regna coegit
Livor, & eſſe animæ prodigus indè tuæ.
Majores Pietas tibi detulit Axe Coronas,
Obtulit & toto grandius orbe decus.
Credo triumphantem te conſtituiſſe Bootem
Sidereis plauſtris, moxque locaſſe polo.
Viſa etiam terris deſcendere lampas ab Aſtris,
Artubus excubias & celebraſſe ſacras.
Servitium duplex Canuto præſtitit Æther,
Ut Saliat Cœlos, ut requieſcat humo.

AD

AD DIVUM LAURENTIUM JUSTINIANUM.

Fuit primus Venetiarum Patriarca, & cum esset Præsul virtutum omnium absolutissimus mirificè suam Patriam decoravit. Ejus dies natalitius 8. Januarii.

C A R M E N.

ANtistes Laurens Adriæ, Patriarcaque Princeps
Urbis, ubi Venetus sceptra Senatus habet.
Legiferum Sergesta suis Te concupit aris,
Nec renuit cordis vota benigna Charis.
Gens Cui Neptunus, cui parent regna Timàvi
Te Patriæ majus clamitat esse decus.
Astræam revocas, ubi sacras stringis habenas,
Instabilique manet marmore, firma Themis.
Urbs Marci, quantùm Te sublevat ala Leonis
Tantum Pastoris Laurus, ovare patrat.

AD DIVUM MARCELLINUM EPISCOSUM.

Liberavit Præsul hic Anconam suis orationibus ab incendio, uti refert D. Gregorius. Ejus dies natalitius. 9 Januarii.

C A R M E N.

MArcelline, tuo qui pectore Mulciber ardet:
Empyreique trahit semina prima face:
Est potis incensas Anconæ pellere flammas,
Et populatori nectere frœna rogo.
Quod nequit Illiricus lambens tua mœnia fluctus
Præsulis æthereus, quàm bene fervor agit!
Efficit hoc lacrimis, pelagi melioribus undis
Possidet hoc voto, nobiliore salo.

Vul-

Vulcanus didicit, ſpumas propè Cypridis, iſſe
In fumos ignes, trans mare, naſſe faces.

AD DIVUM PAULUM

Primum Eremitam à Corvo alitum, à Leone bumatum, à palmis veſtitum. Ejus dies natalitius. 10. *Januarii.*

CARMEN.

PAule ſubis Syrii princeps dum montis Eremum
Sentifero ponis florida ſigna ſolo.
Ad gemitus excita tuos, Philomela cucurrit
Ipſa ſibi cantu viſa canora minus.
Viciſti Superis tantùm plaudentibus, Orcum
Gaviſus ſolo vivere teſte Polo.
Attulit annonam Corvus, pietate Columbo.
Eſt pius Exanimi niſus adeſſe Leo!
Quippè parentalem citus excavat unguibus urnam
Rugitu faſſus deperiiſſe Patrem.
Neve fodit terram generoſus ut eruat aurum
At vigil effoſsâ condat ut illud humo.
Paule tuum meritò texiſti corpus amictu
Palmifero, palmam ne ferat una manus.
Si Te victorem ſtupuerunt undique Palmæ
Omnis pars, palmæ debuit eſſe ferax.

AD DIVUM HYGINUM.

Pontificem, & Martyrem, natione Atbenienſem. Hic cum eſſet Summus Pontifex damnavit bæreſim Valentis, præſcripſit cæremonias, Chriſmatis, & Baptiſmi. Sub Antonino Pio, impiè eſt obtruncatus. Dies ejus natalitius 11. *Januarii.*

CARMEN.

PRodiit Argolicis edoctus Hyginus Athenis
Quem ſibi mox ſacrum Tibris adoptat Herum.

Tarpeii Custos, temeraria dicta relegat.
Ad stygias undas, quæ vomit ore Valens.
Nil contrà Heroem valuerunt arma Valentis.
Fulmine Pontificis corruit ictus humo.
Post Sacra præscripsit, quo fieret Chrismatis unguen
Ordine, lustrali qui modus esset aquæ.
Sed qui voce pius, gestis erat impius, illum
Ter tundi Cœsar, jussit & ense mori.
Augusto tunc ritè Pii cognomen adhæsit,
Afri ceù nomen Scipio ritè tulit.

AD DIVUM ARCADIUM.

Hic nobilissimus Martyr, dum experitur, fortiterque exuperat omne pœnalitatum genus, efficitur arca thesaurorum Dei. Ejus dies natalitius. 12.*Januarii*.

CARMEN.

QUis non Arcadium, pœnarum prædicet Arcam?
Hæc ungues, virgas, hæc habet Arca rotas.
Sed rota, sed virgæ quas possidet arca, triumphi
Arcadii veniunt officiosus honor.
Herois certè sunt instrumenta, ferentis
Ad Cœlum, mortis cuncta trophæa suæ.
O' quas divitias hæc arca recondit Olympi!
Haud minus, hæc stygias arca flagellat opes.
Gaude qui meritis, Domini sis Creditor Æthræ,
Ut solvat Numen, suppetit Arca recens.

AD DIVUM HILARIUM.

Episcopum Pictaviensem. Stravit hic sua virtute, doctrina, & libellis editis, Arium, & Ursacium Hæresiarchas. Ejus dies natalitius 13.*Januarii*.

CAR-

C A R M E N.

CErne hilares vultus, adamantina pectora, binas
Illam cum baculis, hanc calamisque manus.
Hilarii nosces Galli pia Præsulis ora,
Qui fuit hæreseos mæror, & horror, hydræ
Sensit Aquitani, frendens Ursacius ictus,
Et sensit stratus porcus Arius harâ.
Bissenos scripsit Triadis de Numine libros
Par Geniti monstrans cum Genitore decus.
Se tunc exeruit currentem balthea Solem
Limina Zodiaci per duodena novi.

AD DIVUM FOELICEM NOLANUM.

Servatus est hic araneæ ministerio ab hostibus Christianæ fidei illum furenter persequentibus. Ejus dies natalitius 14. *Januarii.*

C A R M E N.

TEmporibus duris nisi ferro ereptus abisset
Fœlix, Campano penè superstes agro:
Jam fœlicis Ager liquisset nomina: solum
Fertilis ærumnis luxuriasset humus.
O' stupor! Huìc ævum custodit Aranea quandò
Gens fera, speluncâ non latuisse putat.
Barbarus insequitur, quà vitæ stamina rumpat;
Staminibus servat sed fera parva suis.
Ad pietatis opus, pernix sua viscera fundit,
Et tendit casses, liber ut ille meet.
Obsessum nodi solvunt! fera vulnera restes
Impediunt! telâ, tela retusa cadunt!
Non poteras doctis sublimis Aranea filis
Irretire dolo nobiliore feras.

AD DIVUM MAURUM MONACHUM.

Ordinis Divi Benedicti. Hic ex obedientia, super aquam lacus ambulans liberavit à morte Placidum, qui jam aquarum impetu deorsum trahebatur. Ejus dies natalitius 15. Januarii.

CARMEN.

TE super alta lacus stagnantia marmora, vidit
 Currere cæruleas Gens stupefacta vias.
Non secus, ac solidam premerent vestigia glebam
 Ad Placidi fereris jam morientis opem.
A' Te calcandam se præbuit unda libenter
 In Te cum terræ nil grave pondus erat.
Quì parère Deo studuit, cæcèque Magistro
 Hic visus terris Aliger alter, homo.
Arripe Maure comas pereuntis, & eripe morti;
 Nam tibi parenti mors, & obedit aqua.
Claruit Ægypti Moses de cæde profundo
 Clarus es à vetitâ Tu nece Maure lacu.
Illi fecit iter tantùm Neptunia moles
 A' Te calcantem sustinet unda pedem,

AD DIVUM MACARIUM.

Ægyptium. Construxit sibi subterraneum specus, ut orationi fortius insisteret. Liberavit suis precibus Mulierē conversam in equam, incantionum maleficio, quæ à proprio suo viro armentario pascebatur. Ejus dies natalitius 15. Januarii.

CARMEN.

FInibus ut stygium propioribus iret in Hostem
 Macarius, sedes excavat intus humum.
Non magis infensum Satan sibi clamat Athletam
 Quam qui telluris sub larè, bella ciet.

Audi

Audi queis palmis Dux ſubterraneus Axem
Ditet! Avernales queis populetur opes!
Verſa erat in formam Mulier Memphytis equinam
Taliter à magici percita voce ſoni.
Quadrupedis ductor Conjux erat ipſe caballi
Infœlix conjux tam malè nuptus equo.
Preſſit at hinnitus Monachi, vox una precantis
Reddit & humanis membra ferina modis.
Fœmina nam meritò præſtigia ſenſerat Orci
Auſa diù mensà longior eſſe ſacrâ.
Faſque fuit Diâ, humanâque carere figurâ,
Et pro ſidereâ mandere fœna dape.
Nunc ope Macarii, Nabuchi monſtra novantur
Cum non Aſcetes ſit Daniele minor.
De Muliere bovem vidiſti Nile, ſed ecce.
Fœminei compos redditur oris equa.

AD DIVUM MARCELLUM.

Romanum Pontificem. Hic Maxentio imperante deſtinatus eſt curæ catabuli, ubi feræ alebantur, in quo miniſterio vitam exegit. Comparatur alteri Marcello; ſed major iſti iste fuit gloria. Ejus dies natalitius. 16. Januarii.

CARMEN.

Hlic genus Aſſaraci, manibus da lilia plenis
Marcello, priſcum nec memorare Ducem.
Eſtò Syracuſias aquilis laurentibus arces
Subdiderit, latiis aſtra ſicana lupis.
Eſtò triumphales exegerit ire Dracones
Nec non victores fecerit ire boves.
Haſce feras inter, non plus ſua gloria fulſit,
Quam quæ Pontificis ſplenduit inter haras.
Iſte quidem verâ pro relligione, decorum
Retur, catabuli pabula ferre feris.

Roma

Roma, prior templum rexit, Marcellus Honori
    Tu tamen Huic melius templa dicare velis.
Non fuit hoc visu majus, quam cernere pastos
    A' tanto, tales Upilione greges.
Quid plus? Est Orbis pastor, stabularius Urbis!
    Crevit at ex illo plus sua Fama fimo.

AD DIVUM ANTONIUM.

Abbatem, suo adventu consecrantem alpestria nemora, in Paradisiaca tempe. Hujus quot fuerunt certamina in silvis, tot subsecutæ sunt victoriæ tam de Dæmonibus, quàm de Ægyptiaca superstitione. Ejus dies natalitius. 17. Januarii.

CARMEN.

Niliacas traxit fugiens Antonius Urbes
    Ad loca non notis vix habitata feris.
Hauserunt primò nemorum penetralia lucem,
    Factaque sunt ipsâ splendidiora Pharo.
Bellatum est sylvis, viderunt prælia luci
    Hac & nobilior nulla palestra fuit.
Pugnarunt alii sub Sole, sed Iste sub umbrâ
    Fervidior miles movit ad arma manus.
Id quod in arboreâ cœpit certamen arenâ
    Illi pone stetit martia palma comes.
Quippè erat in promptu quernâ de fronde corona
    Undique victrices implicitura comas.
Hujus ab auspiciis, amissum plangere cessa
    Memphy, sed inventum frangere disce bovem.

AD FESTUM CATHEDRÆ.

Sancti Petri Romæ. Ingresso Apostolorum Principe Romam, confutavit vanam Ethnicorum religionem, Christianæ fidei veritatem aperuit, præordinando Se in illa Urbe ad totius

Orbis

Orbis imperium, & ad Triumphalem passionem in monte aureo. Dies solemnis. 18. Januarii.

C A R M E N.

INgrederis Romam, docturus Petre Quirites
A' Primogenio tradita jura Dei.
Tunc erat Urbs Martis, cirumflua silva ferarum
Uberior monstris, quæ parit Afer ager.
Pergama tanta subis, animo constantior illo
Quàm suprà Thetidis cum gradereris aquas.
Auspice Te, Christi leges Ecclesia pangit,
Et simul in præceps Numina ficta cadunt.
Erigitur super astra Fides, Crux sidera pulsat
Tarpejus verum collis adorat Herum.
Macte animo. Locus iste tibi Petre præparat, Orbis
Imperium, atque Aureæ mortis ovale decus.

AD DIVAM PRISCAM.

Virginem, & Martyrem, superantem suo Martyrio leonem, & & ignem à quibus nihil est læsa. Alluditur ad illius Nomen, Dies natalitius 18. Januarii.

C A R M E N.

PRisca, novos addit semper tibi Gloria fastus
Nec sinit ut priscus nòn adolescat honos.
Dudum Virgineæ tibi laudis Adorea plausit
Nunc duplicat fuso Fama cruore decus.
En ubi mentitum Solis non Numen adoras
Lucidior veri stat tibi Solis Eos.
In Te viderunt mitem Amphiteatra leonem,
Nec linguis nocuit stridula flamma suis.
Prodigia illa olim sæclis exacta vetustis
In Te sunt uno Prisca novata die.

AD

AD DIVOS AUDIFACEM, ABACHUM, ET MARTAM.

Filios, uxoremque Martyris Marii. Omnes eodem Martyrio, scilicet obtruncatione capitis coronati sunt. Illo eodem loco, quo Marius via Cornelia, Nymphæ agnomine extitit laureatus. Eorum dies natalitius 19. Januarii.

CARMEN.

Pignora Vos Marii, Tu conjux Martha triumphis
Addimini Comites, quà nece Martyr obit.
Scilicet Athletas execto vertice cunctos
Sanguineo Cœlos juvit adire gradu.
Nomina sidereis manserunt scripta papiris,
Victura in terris Famaque semper aget.
Ni totus moriar, si quid mea Pieris audet.
Ipse etiam, numeris vestra trophæa canam.
Quid loquor? Immortale decus, non indiget amne
Phocidos, Aonii quid valet aura soni?
Æthera lætificat si vestri lympha cruoris
Inferius sonitu Cœlite, carmen erit.

AD FESTUM TRANSLATIONIS.

Reliquiarum S. Thomæ Aquinatis, Civis, & Patroni Neapolitani. Ejus sacra ossa cum magnifica pompa translata fuerunt ab Ecclesia S. Dominici Majoris ad Aram Archiepiscopalem, ubi nunc in theca argentea servantur, intus Thesaurum, quo reliqui Patroni sedem habent. Dies solemnis 19. Januarii.

CARMEN.

Ite: patent primi sacraria maxima Templi
Relliquiæ Thomæ; Vos domus illa petit.

Sat

Sat ſedes clauſtro tenuiſtis; eoque morari
 Ulterius Patriæ non ſint almus amor.
Ite: triumphali graditur Proceſſio pompâ
 Lætius en fundit Phœbus ab axe jubar.
Mille ſonant litui, melicus ferit aera clamor
 Æmulus Aligerum creditur eſſe canor.
Audior. Ara prior, Thomæ capit oſſa, locatque
 Theſauro, gemmâ fulgidiore novâ.
Partenope voluit plauſus memorare quotannis,
 Et fauſtum faſtis annumerare diem.
Fama, Bovi ſtupuit taciturno, tanta dicari
 Æternæ laudis, tympana, plectra, ſonos.

AD DIVUM FABIANUM.

Papam, & Martyrem. Ordinavit ſui Pontificatus tempore, ut geſta Martyrum à Notariis conſcriberentur. Sub Decio Imperatore martyrii lauream clariſſimam accepit. Ejus dies natalitius. 20.*Januarii*.

CARMEN.

PAſtorum Pan ſupremus, Fabiane hierarcha
 Dantum commiſſo pabula ſacra gregi.
Tu res Martyribus geſtas, celebreſque coronas
 Codicibus ſcribi flante Tonante jubes.
Sic benè conſultum, ne lethes opprimat humor
 Laurea ſanguineis ſerta lucrata notis.
Maryris Aureolam Decio ſub Principe carpis
 Nam tua ſic chartis Palma notata fuit.
Indigetum calamos acuiſti quot quot honori:
 Pennea tot Famæ ſunt data flabra tuæ.

AD DIVUM SEBASTIANUM.

Narbonenſem, palo ſagittis confixum. Ejus dies natalitius. 20.*Januarii*.

Nn CAR-

CARMEN.

ADnixus palo, nudatus veste Sebastes
Pennea mille tuo corpore tela geris.
Es sic nobilior, quàm cum tunicatus in auro
Ibas quadrijugis Victor ovalis equis.
Excepit calamos volitans per inania Fama
Ad laudes citior posset, ut ire tuas.
Dum jaculis, vitæ nituntur frangere stamen
Expers Tu pheretri viva pharetra pates.
Ad pectus Fidei stipatum robore ferri
Ænea sit quamvis mollis arundo venit.
In radios cedit cuspis vibrata sagittæ
Lucidiora novo sunt ea tela die.
Num tibi visus adhùc fulgere serenior axis
Quàm cum missilium nube retectus eas?
Sol tibi tunc placeat Mage Narbonensis Athleta
Quandò Sagittiferi splendida signa colit.

AD DIVAM AGNETEM.

Virginem Sanctissimam, & Martyrem celeberrimam. Commendatur in illa duplex trophæum, Martyrii scilicet, & Virginitatis. Ejus dies natalitius 21. Januarii.

CARMEN.

AGnes virginei vindex Idea pudoris
Sanguineo textum vellere tegmen habes.
Purpura si decorat, magis es decorata cruore
Sponsi, purpureas qui facit esse genas.
His tamen at miniis, se miscent lilia vallis
Lilia sidereus qualia gignit ager.
Quid Te candidius? tibi si meretricia sedes
Ara fit? in Templum putre lupanar abit?

Tale

Tale nivis mixtumque rosæ, non flamma peremit;
Agna nec accensis est adolenda rogis.
Mactari ferro, balatibus increpat Agna
Sin minus ætati, Gloriæ adulta satis,
Rumpe moras lictor, sponsum fac currat ad Agnum
Agnes, Conjugii sit tuus ensis hymen.

AD DIVUM VINCENTIUM.

Martyrem, Hispanum. Vicit sua patientia, ignem, ferrum, fragmina testacea in carcere, & adhuc in pontum projectus, fuit victor Daciani Tyranni immanissimi. Ejus dies natalitius 22. Januarii.

CARMEN.

VIncenti, cunis ipsis devote triumphis
Cum non miles adhuc, nomine Victor eras.
Non eget humanâ victrix tua Gloria laude
Est tubicen passi flammea lingua rogi.
In laudem tibi cessit edax ex igne volumen,
Splendorisque fuit pyramis, illa pyra.
Carcere detentus, testacea fragmina numquam
Frangere virtutem prævaluere tuam.
Mergeris Oceano demum; sed jactus in undas.
Occiduas, melior Sol, oriturus abis.

AD DIVUM ANASTASIUM.

Martyrem, ordinis Carmelitici. Quia per objurgationem in veneficos fuit crudelissimè necatus, voluit Deus, ut sit eorum persecutor, hinc ejus capitis depicta imago, contra Lemures, & Sagas, & quæcumque maleficia est potens remedium ad illas arcendas, & incantationes destruendas. Ejus dies natalitius. 22. Januarii.

CARMEN.

HOc Lemures horrete caput, non audeat ulla
Hùc phlegetontæas flectere Saga pedes.
Eſt hic, Anaſtidis reliquo ſine corpore vertex
Sic tamen, & pictus, Vos procul eſſe jubet.
Increpuit vivens magicas Hecateidos artes
Cui vox objurgans, mortis origo fuit.
At nunc Exanimis, ſolus cinis, atque figura
Eſt potis, Infernas vos domuiſſe ſtryges.
Arreptum quondam Pluton, modò plange triumphum
De Te nunc alio pulvere, Pulvis ovat.

AD DIVUM RAYMUNDUM.

De Peñafort: Hiſpanum Ordinis Prædicatorum. Hic fuit inſignis Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ. Ab honoribus aufugit, & cum ab Aula propter depravatos mores, ſe ſubtraheret, ſolo pallio, mare trajecit. Ejus dies natalitius. 23. Januarii.

CARMEN.

ESt hic contemptor Mundi, Raymundus Iberus
Ad Cœlos Illum fert, ab honore fuga.
Moribus ut pravis Aulæ ſe ſubtrahat, Aulam
Clam fugit, & miro tramite verrit aquas.
Palliolo ſtrato, Baleares intrat in undas
Expers navigii, velificatque fretum.
Purior eſt illi Neptuni Regia viſa,
Quam Regum; pelagi tutior Urbe fides.
Attamen auguſtas ubi primum deſerit ædes,
Mox dominatrices cœpit habere manus.
Non equidem terræ, Thetidis ſed præfuit Orbi
Quippè dedit glaucis jura novata vadis.

Eſt

Eſt uſus baculo, pro fluctiſonante tridente
Pro navis malo, parvula virga ſtetit.
Hunc ſtupet Oceanus Dominum, tegmenque videndo
Ex aurâ tumidum, detumet ipſe ſalo.
Naufragium minimè poteras Raymunde pavere
Vivificus Sacri, qui Moderator eras.
Nempè Sacri, quo nos peccata fatemur, idemque
Poſt mare navifragum firma tabella fuit.
Si ſtygias igitur potis es reſtinguere flammas
Ore tuo; cur non dextera frœnet aquas.

AD SOLEMNIA.

Deſponſationis: Sanctiſſimæ Mariæ Virginis cum puriſſimo Sponſo Divo Jeſepho, quo in munere floruit baculum. Sponſi Virginis. Dies feſtivus 23. Januarii.

CARMEN.

HÆc eſt illa dies, qua primum Virgine Joſeph
Conjugii voluit fœdus inire ſacrum.
Non fuit hic auſpex Cypris, non pronuba Juno
Adſtitit ad thalami munera, nullus hymen.
Fecit at una fides palmæ connectere palmam
Alter ut alterius Spiritus unus erat.
Virgineos etiam partus ſic abdidit Orco
Numen, ut à dubiis Styx quateretur aquis.
Sed non iſta latent Superos myſteria Cives
Ipſa etiam vernis ſe ſtupet Ara comis.
Ad Sponſæ greſſus oriuntur lilia templo
In Sponſi digitis arida ligna virent.

AD DIVAM EMERENTIANAM.

Virginem, & Martyrem. Hæc ſoror fuit collactanea Divæ Agnetis, quæ dum ad Divæ Agnetis tumulum jugiter plorat,

ab

ab Idolatris furentibus lapidata est, ibique saxorum mole obruta. Ejus dies natalis 23. Januarii.

CARMEN.

LActe, fidèque, tuam Te deplorante Sororem
Virgo, meres etiam sanguinis esse comes.
Margaritas oculis fluidas non sustinet æquo
Gens animo, luteos devenerata Deos.
Teque super tumulum, noctuque, diùque gementem
Turbine saxorum perdita turba necat.
Illic sub lapidum requiescis mole ruentum,
Et cognata placet quâ sepeliris humus.
Evenisse tibi poterat non carior urna
Quem quæ deposito juncta Sororis erat.
Una fides, animam quæ tàm benè junxit utramque
Hæc eadem, tumuli sint simul ecce sinit.

AD DIVUM TIMOTHEUM.

Episcopum Ephesinum, & Martyrem. Hic lapidatus est, dum conatur suadere populo Ephesino, ne sacrificia, & festa voveat Dianæ. Ejus dies natalitius. 24. Januarii.

CARMEN.

ANtistes, stetit antè tuos sinè lampade vultus
Lux Ephesi; immò suis spreta Diana sacris.
Tu quam spectabas alienæ lucis egentem
Divini decoris luce carere doces.
Sed populus Te caute ferit, saxoque cruentat
E' saxo structam faris ut ore Deam.
Te perimat vulgus, petrarum turbine mactet
Duritie lapidum non mage firmus eris?
Materiam præbent ad mausolæa paranda,
Quæ surgant Famæ post monimenta tuæ.

Na-

Navita Timotheus fœlix es, ſaxa vel inter
Ocior ad Cœli velificabis iter.

AD CONVERSIONEM DIVI PAULI.

Recolitur furioſa juventus Sauli in Chriſtianos, & Sancta ſenectus Pauli pro fide. In illa aſſimilatur lupo, in iſta ovi, tam propter ſitim ſanguinis, quàm pro lacte effuſo è trunco capite. Dies feſtivus. 25.Januarii.

CARMEN.

TArſenſis potas Adoleſcens ſanguinis undam,
Idem lacte ſcates, poſt tua fata ſenex.
Te novit Saulum tellus Solimæa furentem
Numquid non Stephani mors, tua cura fuit?
Te novit Paulum Tellus Romana, fluentem.
Nectar: non ſecto vertice lac abiit?
Sanguinis à potu, lactis fluxuque voceris
Mane lupus Saulus, veſpere Paulus ovis.

AD DIVUM POLICARPUM.

Martyrem celeberrimum. In rogales flammas, eſt primum injectus, à quibus non eſt læſus, indè ferro eſt obtruncatus. Ejus dies natalitius 26.Januarii.

CARMEN.

EN ubi Smyrnæi Paſtor Policarpus ovilis
Ignibus adjicitur, fax nocuiſſe negat.
Sivè comæ venerata nives, ſeù territa Dii
Fluminis eloquio, lædere flamma nequit.
Perdidit at ferrum cui flamma pepercit, & ignis
Suſtulit extingui, ſanguinis amne ſacri.
Si pia fax longæ dimenſo ſæcula vitæ.
Auſa nec eſt damni, nec necis eſſe rea.

Cur

Cur tu dire chalybs voluisti falce secare
Stamina, protracto tàm bene ducta colo?
Relligiosa (reor) maduit Smyrnea favilla,
Ut posset lacrimis obruta flere Patrem:
Fons qui sanguineo defluxit vertice, fecit
Restincto gemitus exiliisse rogo.

AD DIVUM JOANNEM CHRISOSTOMUM.

Ejus nomen sonat os aureum. Celebratur ejus aureum eloquentiæ flumen, zelus ergà Eudoxiam Augustam; fortitudo in destruendo Veneris templo, & virtus in occisione nocui leonis. Ejus dies natalitius 27. Januarii.

CARMEN.

AUrea quam fundit Chrisostomus ore scatèbra
Non nisi gemmiferi fluminis instar abit.
Tempestas pretiosa Tagi; sed sæpè, procellæ.
Impetus, in fulmen prosiliisse fuit.
Terrificos sonitus Eudoxæ perbibit auris
Non semel è Templi postibus arcta pii
Sed non est Sophiæ prospecta augustior Ara
Ni quando Augustæ janua clausa stetit.
Funditus evertit Veneris quoque fana Joannes,
Pulveribusque suis est glomerata Cypris.
Effecit, templi lapidum compage solutâ.
Esset ut ipsa sibi mox Libitina Venus,
Extinxit madidum multâ de cæde Leonem
Exutus clavâ, fortior oris ope.
Hercule Joannes major; nemus inter & arva
Ille feras domuit, monstraque stravit humi.
Cœsareas Aquilas sub jura redegit in Urbe
Præsul. fulmineas, fulmine vicit aves.

AD

AD FESTUM D. AGNETIS SECUNDO.

Impertit Diva, sanitatem Constantiæ, Constantini filiæ, suprà suum sepulchrum obdormiscenti. Pro gratia accepta, Constantia erexit templum in honorem Divæ Agnetis. Hujus commemoratio 28. Januarii.

C A R M E N.

DOrmit ad Agnetis tumulum, Constantia Virgo
Quam toto maculat corpore, lepra putris.
A' Divâ columen sperat, magnoque precatu
In somnis superam flebilis accit opem.
Quærentem auxilium, minimè spes vana fefellit
Apparens Ægræ, pectora Diva levat.
Macte animis, esto dixit Constantia constans
Dum loquor è membris en fugit atra lues.
Evènit: grates Agnæ Constantia solvit,
Erigit & Medicæ templa verenda suæ.
Agnetis merito, Fanum benè convenit. Illam
Agni quæ Templum splenduit, ara decet.

AD DIVUM JULIANUM.

Hispanum, Episcopum Civitatis Conchæ. Inauguratur. Hic Præsul, cum in concha baptismali abluitur; apparuit enim Infans, sub specie, & vestimentis Episcopalibus, propter quod nomen Juliani est adeptum. In sui muneris administratione fuit absolutissimus, præcipuè munificus in pauperes, pro quibus subveniendis, non semel à Cœlo subsidium habuit. Ejus dies natalitius 28. Januarii.

C A R M E N.

URbs Tu Concha, ferax cœlestis es ubere roris,
Dives ut est fœtu Concha marina suo.

Desuper Antistes missus, cui nomen Julus
Quem patrio servas, est tua bacca sinu.
Unio non alter pretiosior emicat Orbe
Cui non anteferas aurea dona Tagi.
Hic quà, bacca foret, patuit lustralibus undis
Baptismi conchà, Præsulis ora tulit.
Adfuit augurium: frueris nunc divite gemmâ,
Per quam pauperies est tua pulsa procul.
Annonâ pereunte, fame grassante per Urbem
Suppeditat victus ad sua vota Polus.
Rebar in Eoo solum conchilia Cœlo
Esse, nec Occiduo tale nitere decus.
Non sic. Iberiacis est hic thesaurus in oris.
In Conchâ baccas Hespere cerne tuas.

AD DIVUM FRANCISCUM SALESIUM.

Episcopum Genevensem. Alludit ejus nomini Salis, uti prædicato apto Doctoribus Ecclesiæ, & Apostolicis Prædicatoribus. Ejus dies natalitius 29. Januarii.

C A R M E N.

Salve Sal terræ, Præsul Francisce Salèsi,
Idem Francigenæ Sol geminatus humi:
Quod Mundi melimela sapit, Sal arguit istud,
Et sæcli fatuas increpat esse dapes.
Hoc Sale conditur mens, hoc putredo fugatur
Quæsitam capiunt Corda salutis opem.
Hujus ad eloquii Sal, desipit omne, quod Orbis
Esuriisse mali, vel sitiisse dedit.
Ad Superûm infatuata redit Natura saporem,
Displicitique cadunt, qui placuere sales.
Ipsa Venus, spumante salo quæ dicitur orta
Hoc saliente salax desinit esse Sale.

AD

AD DIVAM MARTINAM.

Virginem, & Martyrem. Superavit hæc Virgo Romana quasi omnium tormentorum genera. Ad suas preces eversa sunt simulacra mendacium Deorum, præcipuè Apollinis, & Dianæ, ille obrutus à terræ motu, hæc à flamma cœlitus immissa. Quapropter de Quirina gente non pauci amplexati sunt Christianam fidem. Ejus dies festivus 30. Januarii.

CARMEN.

MArtia Martinæ cùm vidit Roma coronas
Derisit Martis cuncta trophæa Patris.
Plus stupuit Natæ, quàm laurea serta Parentis
Ille Deus quamvis, ista puella licet.
Spectarunt placidos stupefacta theatra leones,
Caucaseasque simul felle carere tigres.
Illius ad voces sunt signa eversa Deorum
Imperio tellus est tremefacta suo.
Proruit immani tumulatus Apollo ruinâ,
Arsit & accito cœlitus igne Soror.
Amborum tempsit bellatrix Virgo sagittas
Dum minor, & major lux sine luce fuit.
Qui pithona suâ ter stravit arundine Phœbus
In partes centum fractus adhæsit humo.
Et quæ Mœnaliis Venatrix adfuit aris
Est data sidereæ præda voranda faci.
Sperne tuos ò Roma Deos, venerare Quirinam
Prolem, cui Tellus militat, atque Polus.

AD DIVUM PETRUM NOLASCO.

Natione Gallum, in cujus natali, apes in ejus dextera favum composuerunt. Hic fuit Institutor Religionis Redemptionis captivorum à Maurica Tyrrannide. Ejus dies natalitius 31. Januarii.

CARMEN.

O' Lunæ vindex, Galli Petre gloria Cœli,
Cujus & in cunis mellea dextra fuit.
Tu, ceù Petrus erat Piſcator, retia tendis,
Ut revomet prædas barbara Luna ſuas.
Non facis hoc ferro, ſed Maurum vincis in auro;
Nam pretio redimis, qui modo captus erat.
Priſca ſile priſcos nunc Ætas Argonautas
Quærere quos auri vellera, punxit amor.
Auſpice Nolaſco, meliore labore Sodales
Profundunt palmis fulva metalla piis.
Ad pietatis opus, ferrata catena dehiſcit,
Et pes gypſatus compede, liber abit
Ite leves, alacreſque Viri ſine pondere ferri
Aſpice nativas turba redempta plagas.
Aurea dextra Petri reſeravit carceris umbras
Illa frui vobis aere poſſe dedit.
Invida Luna gemas, argenti deſice cornu
Dat pallere tuas aurea maſſa genas.

AD DIVUM IGNATIUM.

Epiſcopum, & Martyrem. Hoc ad Martyrium veniente, per iter homines ſæviſſimos eſt expertus, & in amphiteatro Romano mites feras, tandem, incenſus martyrii amore, à Domino obtinuit ut morſu à Leone necaretur. Ejus dies natalitius 1. *Februarii.*

CARMEN.

INdutos feritate homines, Ignati es adeptus;
Nactus & exutas es feritate feras.
Sed tibi degeneres minimè placuere leones
Degeneres quandò diſplicuere Viri.

Fortè

Fortè ſciens ignes, terrorem ferre Leoni
    Vocibus irritas, exacuiſque ſonis?
Ignifer ah potius peramando, fauce laceſſis
    Ignem ne timeat Te Vade voce vocas,
Virtutem ſtupuere tuam, Amphiteatra, fuitque
    Laus tua quàm ſabulum plus numeroſa ſuum.
At triturari voluiſti dente Leonis
    Mundior ut Chriſti perficiere Ceres.
Mirum! frumento pretium Tu grandius addis:
    Tum cum frumenti prodigus eſſe paras.

AD FESTIVITATEM PURIFICATIONIS.

SanctiſſimæVirginis Mariæ, & Præſentationis. Filii in templo. Lætitia, & Prophætia Sancti Simeonis in his ſolemniis expenditur. Dies ejus 2. Februarii.

CARMEN.

CIcnæas Simeon, imitatus tempore plumas
    Quam meritò mortis carmina cantat Olor!
Inter ſolemnes ea ſunt modulamina flammas,
    Fulgida ſunt, inter cerea, plena favo.
Quid Tu Cane canis? Venit ecce Columba, columbis
    Candidior geminis, quas ſua dextra gerit.
Deſiimus quamvis gemitus geminare per Ipſam.
    Attamen albori par quadrat ejus avis.
Fatidicæ ſileant Dodonæ frondæ Columbæ
    Me facit hæc Vatem Virgo columba ſenem.
Diva veni. Natum novi, novique Parentem.
    Amborum adventu jam manet Orbe ſalus.
En expectatam proſpectant ſæcula lucem
    Patribus accipiunt vaticinata fidem.
Aſt ego corporeum dum cerno Numen, & ulnis
    Stringo, diſſolvi corpore lætus amo.

Sat

Sat vixi, Mortis domitorem effæta Senectus
Vidit ubi: mortis non fera tela timet.
Sed tua Diva Parens feriet præcordia mucro
Dirior heù ferro, mucro doloris erit.
Parce tamen, si quando Authorem gesto medelæ
Oracli.. Matris viscera cædo sono.
Est ubi vi. Eros, vivus dolor est opus extet.
Inter versatur vulnera semper Amor.
Hæc dixit Senior, timuit nec spicula mortis,
Quid mirum? Vitam jam tenuere manus.

AD DIVUM BLASIUM.

Armeniæ Episcopum, & Martyrem. Hic latitans sub Argæa spelunca deprebensus est aucupio à canibus, & sub Agricolao Præside Martyrio coronatus cum in vinculis puerum sanasset, agentem animam propter spinam faucibus adhæsam. Ejus dies natalitius 3. Februarii.

CARMEN.

ARmenii Pastor pecoris, clarissime Blasi
Te juvat Argæo delituisse specu.
Proderis aucupio: patrios remeare penates
Venator cogit, vis, & odora canum.
Compede constrictus, sanas quem gutture spina
Lancinat, obstruxit mors quasi faucis iter.
Ut jugulum curas, pueri reserasque parittum
Aspiceris mortem Tu jugulare manu.
At quandò chalybis laniaris pectine; numquam
Comptior est Pietas visa nitere tua.
In mediâ tandem de Te spectacula præbes
Urbe, ubi truncatus vertice cæsus obis.
Quid juvat hoc Feritas? Blasius virtutis adultæ
Fecerat antè virens Amphiteatra nemus.

AD

AD DIVUM ANDREAM.

Corsino Episcopum Fesulanum. Carmelitam. Ejus Mater prægnans dum partum præstolatur, visa est in quiete nocturna continere lupum, qui Deiparæ templum ingressus commutatus est in agnum. Exitus visum comprobavit; adolescens enim Andreas declinans ad vitia conversus est ad meliorem frugem dum Virgineas intrat Aras, & illicò Carmelitico indutus est habitu, & præclarissimis effulsit virtutibus, præcipuè in dirigendis animabus ad Cœli adeptionem. Ejus dies natalitius 4. *Februarii.*

CARMEN.

VIrginis antè fores, niveum mutatur in Agnum
Andreas, ater qui fuit antè lupus.
(Viderat hoc genitrix, vel se vidisse putavit
Cum prægnans somno lumina victa dedit.)
Is subitò mores, & vestes arripit albas
Lilioli species intus, eratque foras.
Non illi poterat componi Cœlifer agnus,
Qui vernos terris reddit ab Axe dies.
Alter humum foliis, & floribus ornat, & Alter
Innumero superos sidere ditat agros.

AD DIVAM AGATHAM.

Virginem, & Martyrem, æternum decus Trinacridis; ad cujus encomia, ipsa martyrii supplicia, fuerunt præcones, & Ætneæ flammæ linguæ à suo velo non semel extinctæ. Ejus dies natalitius 5. *Februarii.*

CARMEN.

PUlchrior es Tu Agathè, gemmâ cui nomen Achates
Quæ primùm Siculas splenduit inter aquas.

Vulsit

Vulſit ubi mammas Te fecit Amazona, Lictor
Ad pugnas citior quà tua dextra foret.
Cæderis ut colaphis, pretioſior emicat oris
Purpura, Virgineis picta pudore genis.
Sed tunc uberiùs pietatis lacte, mamillæ
Manabant, quando præda furoris erant.
Te nihil igneſcens hoſtiliùs Ætna revidit
Accidit, ad nutus penè perire tuos.
Quin ſtupor! undantes flammas tua vela refrænant.
Compeſcit rabidos linea tela rogos.
Quid tam grande patens, vel toto clariùs Orbe,
Quam tua pro victo gloria Mulcibero?
Detegit hanc, ipſum tegmen, velumque revelat;
Dum facit ut latitent, quæ patuere faces.

AD DIVAM DOROTHEAM.

Victricem plurium ſuppliciorum, & ſuæ conſtantiæ exemplo revocantem binas ſcrores, quæ à Chriſti fide deſciverant. Inſuper proxima morti, meruit obſequium Angeli trahentis cartallum, onuſtum fructibus, & floribus, tempore hyemali. Ejus dies natalitius 6. Februarii.

CARMEN.

DOrotheæ vires animi, diriſſima moles
Frangit? ad exitium machina ſtructa ſuum?
Non; Sed equuleus atteritur, te vincere fictus
In pœnis equitas, ſuppliciumque domas.
Tu victrix, Fidei revocas ad caſtra Sorores,
Quæ pridem Chriſtum deſeruere ducem.
Cùm ferro, cædenda venis: Tibi cœlica dona
Affert è ſuperâ plumiger arce Puer.
Scilicet Autumni ſub brumæ ſidere poma,
Mixtaque purpureis alba liguſtra roſis.

Quem

Quem tumulum, floris, fructus es adepta feracem!
Inferias Æther, poma, rosasque dedit.

AD DIVUM ROMUALDUM.

Institutorem Ordinis Camaldulensis. Fuit hic eximius nemorum cultor flagravit desiderio martyrii, quā ob causam ad Peonas populos transmigravit. Conspexit instar Jacob, suos Alumnos, per scalam Cœlos petere. Ejus dies natalitius. 7. Februarii.

CARMEN.

CAstra licet sylvis Monachus metaris opacis;
Te tamen hostiles non latuere doli.
Pro turris speculâ, spelæa fuere ferarum,
Herbida pro Martis gymnade, terra fuit.
Spes tua floridior verno fuit usque smaragdo,
Sed fore purpuream te stimulabat amor.
Hoc erat in votis pro Relligione, cruorem
Fundere, nec vitæ parcere velle tuæ.
Sed non Peoniæ secuerunt stamina gentes
Lethales siquidem Peonas esse nefas.
Gens tua visa tibi est per scalam scandere Cœlos
Tecta peplo, scythicâ candidiore nive.
Sed tibi non opus est gradibus; Super astra volasti
Jam pridem pennâ remige, canus Olor.

AD DIVUM PETRUM.

Cardinalem Confessorem. Cognomentum habuit Ignei, quia per ignem illæsus transivit. In Monasterio Vallis umbrosæ beato fine quievit. Ejus dies natalitius 8. Februarii.

CARMEN.

VIvidior cunctis ignescit purpura Petri,
Cardineos inter qui numeratur Heros.

Illa notat, Dii quàm ſint incendia cordis,
Spiritus ad ſuperos dum volat uſque lares.
Pes ſuus accenſam calcavit lampada plantâ,
Auſa nec eſt lampas lædere torre cutem.
Major in hoc Petrus, fulgeſcit Principe Petro
Hic ſuper it flammas, Is ſuper ivit aquas.
Naufragium timuit mediis in fluctibus Ille
Huic dat lucicomum preſſa favilla decus.
Aſtra petant alii criſtallina: tranſilit ignes
Ætheris Empyrei Purpura ſola Petri.

AD DIVAM APOLLONIAM.

Virginem Alexandrinam, cujus fervor divini Amoris, adeò fuit grandis, ut ſpontè ad accenſum ignem cucurrerit, martyrio præparatum. Ejus dies natalitius 9. Februarii.

CARMEN.

ILluſtris Virgo, dederunt ab Appolline nomen,
Et tibi congenitum Fata tulere jubar.
Sed Tu plus mediis micuiſti ſplendida flammis
Quam radians proprio fulget Apollo cyclo.
Veſtalis devota foco, tibi cedat honores
Quæ cuſtos ignis deficientis erat.
Namque immortales Tu tutas jugiter ignes
Queis divinus Amor, pectora caſta cremat.
Hos ergò ut ſemper ſerves, Te fortiter eſcam
Sufficis. O' talis pabula digna rogi!

AD EAMDEM.

Conſtantiſſimè, & fructuosè paſſam dolorem excuſſionis dentium. 9. Februarii.

CAR-

C A R M E N.

ANtè voratrici quàm Tu raperere favillâ
Evelli dentes, forcipe, Virgo finis.
Non fuit hoc casu, nec sola voce Tyranni,
Sed potius supero consiliante polo.
Quippè ubi constantem te vidit mole dolorum
Odit mendaces Plebs stupefacta Deos.
O' benè divulsi dentes, si prælia falsis
Egistis Divis, cum cecidistis humo.
Veriùs hoc, quam Cadmi fabula jactat. Ab illis
Dentibus, armati prosiliere Viri.
Ex istis Gens orta venit, cœlestibus armis
Prædita, queis vanos fas superare Deos.

AD DIVUM GUILLELMUM.

Ducem Aquitaniæ. Adhæsit hic prius Petro Leoni Pontifici schismatico, postmodum resipiscens, & sequutus verum Pontificem, ævum in spelunca sanctè finivit, plorans assiduè anteacta peccata. Ejus dies natalitius 10. Februarii.

C A R M E N.

HIc qui tartartareo malè adhæsit Athleta Leoni
(Schismata nam peperit Numinis æde Leo)
Dux melior, jam calce terit generosior Heros.
Dogmata, quæ rugiens fuderat ore fera.
Quemque Petrum, dudum vomitarat fauce venænum
Carceris inferni, prædicat esse Petram.
Se Piscatori gaudet conjungere Petro.
Tarpeja semper qui jugat arce Polum.
Insuper ut lacrimis tergat patrata piacla
Horrificum penetrat sub nigra tesqua specum;
I' Guillelme, Petro bene vertens terga Leoni
Esse specu socius quandò leonis amas.

AD DIVUM CASTRENSEM.

Episcopum. Capuanam rexit Ecclesiam, & in tempore tumultuum hostilium acrem se prætulit Antistitem, contra fidei adversarios. Non minus fuit satus ad pacem cum tempus serenum requireret. Ejus dies natalitius 11. *Februarii.*

CARMEN.

CAstrensis sua castra movet, resonantia bellum
Adversus Ditis tartara castra Ducis.
Pugna fit: una phalanx, pro Divum Principe certat,
Pro phlegetontæis altera certat hydris.
Sed mox castratas acies, mutilosque maniplos,
Aspicias Orci, strataque castra solo.
Agmina pro Superum Domino pugnantia vincunt
Pro quibus & Pœan, & canit Axis io.
Reddit victores fœlici Marte cohortes
Castrensis Pastor, Dux Capuæque facer.
Is satus ad pacem, Castrensibus utilis armis
Exanimat totam, voce, manuque stygem.

AD DIVAM EULALIAM.

Virginem, & Martyrem. Coronata est Barcinonæ in Hispania, & est passa omne tormentorum genus, scilicet ungulas, fasces, equuleos flammas, demum Cruci affixa Martyrii palmam est assequuta. Ejus dies natalitius 12. *Februarii.*

CARMEN.

ASpicis Eulaliam, quæ prodiga labilis ævi
Fertur ad æternum per necis omne genus.
Illa per obstantes gladios, per lora, per uncos
Per flammæ linguas, cœlica regna petit.
Assequitur dum fixa trabi, dum pendula querno
Stipite, Nazarei Numinis instar obit.

Anne

Anne ſequi melius poterat veſtigia Sponſi
Sponſula? non poterat: verbere; morte, cruce.
Exanguis jacuit; fuſus ſed ſanguinis imber
Grandiùs Hiſpanam magnificavit humum.
Quin reor, hos terris Æthram invidiſſe pyropos,
Oſtraque velle aſtris inſeruiſſe ſuis.

AD DIVAM FUSCAM.

Virginem, & Martyrem. Hæc Decio imperante, multa ſub Quintiano Præſide perpeſſa eſt tormenta, demum Ravennæ gladio transfixa, ad Cœlos gloriosè evolavit. Ejus dies natalitius 13. Februarii.

CARMEN.

NOmine fuſca licet vincis tamen oſtra, niveſque
Innuba dum Virgo, dum ſacra Martyr ovas.
Purpura Te decorat, venarum ſanguine manans,
Impertit ſpeciem Virginitatis ebur.
Oſtra genas ornant, ſed & inſita lilia membris
Demonſtrant animi candida texta tui.
Te penès Eoâ non pulchrior exit ab Aula
Memnonis Idaliâ Mater operta roſâ.
Te ſecus, argentum perdit Latonia Phœbe
Creſcenti quamvis evibret ore jubar.
Fuſca, nihil Tu noctis habes, tua luce niteſcunt
Omnia, vel medio ſplendidiora die.
Non mors ipſa, ſuo potis eſt fuſcare nigrore.
Tunc magis æternùm Te decet axis Eos.

AD DIVUM VALENTINUM.

Martyrem. Hic adductus eſt ad Mercurii ſimulacrum, ut illud adoraret, at tantum facinus, reſpuit patrare; Quin facundo ore increpuit falſum Numen, idcircò maximos eſt paſſus.

Cru-

cruciatus; & tandem occisus, & via Flaminia sepultus. Dies natalitius 14. Februarii.

CARMEN.

MUsa Valentini celebret tua tibia robur,
Flectere Mercurio noluit ille genu.
Maluit omnigenos membris tolerare dolores,
Quam talarigero thus adolere Deo.
I Præses furum dixit, meditare rapinas,
Non Ego divini fractor honoris ero.
Atlantis finxit te Vatum turba Nepotem
Qui fortis, tergo fulciit astra suo.
Te Genium fateor, sobolem Plegetontidis antri
Mersus ubi semper, furta, dolosque lues.
Quos Caducæo defert tua dextra dracones
Eluctibus in stygiis hi tua corda vorent.
Vade tuas abscondе genas sub fronde galeri:
Absit ut hoc fano nunc tua signa colam.
Dixit, & innumeris cruciatibus obtulit artus
Donec Flaminiam morte sacraret humum.
I nunc & non Mercurii simulacra refelle?
Non fur, Mercator sanguine sidus emis.

AD DIVOS MARTYRES. FAUSTINUM, ET JOVITAM.

Brizianos perillustres. Hi per diversas Urbes, cum fuissent tormentis agitati; semper tamen sunt inventi suppliciorum victores. Eorum orationibus, simulacrum Solis, & Jovis aræ ceciderunt. Dies natalitius 15. Februarii.

CARMEN.

QUot loca sanguineo sacrastis fonte, quot Urbes?
Tu Faustine tuo, Tuque Jovita tuo?

Eau-

Fausta minus, numquam Solis simulacra stetere,
Quam cum per vestros dedecorata sonos.
Non aliter fusis precibus, viduata nitore
Templa panomphæi deperiere Jovis.
Versus in Æthiopem caruit Sol luce, Tonansque
A' vocis tonitru proruit ictus humo.
Sprevistis fulmen, sprevistis tela diei.
Fas quoque Carnificis spernere gæsa trucis.
Brixia, Lugdunum, scit tellus insubra, Roma
Pœnarum quales ore vorastis aquas.
Partenopen pariter mortis jubet esse Tyrannus
Sedem: Tyrrhenis vos ubi mersit aquis.
Reddit at incolumes vos suprà littora Siren,
Nec patitur Divos naufraga fata pati.
Non nece Cœlituum fit clara Neapolis: ævo
Quin potius Superûm se super astra levat.

AD DIVAM JULIANAM.

Virginem, & Martyrem. Nicomediæ suum passa est martyrium, in quo palam cum Dæmone conflixit, eumque prostravit, aperiendo ejus astus. Indè superatis ignibus lateri appositis, gladio coronata est. Tyrannus tamen mox in medio mari naufragium pertulit. Demum Cumis in Campania suum corpus translationem est nactum, & magno honore cultum. Dies natalitius 16. Februarii.

C A R M E N.

FOElix quæ cineres Campania cœpit Julæ,
Auxerunt tituli Busta beata decus.
Hæc est illa potens, stygiis infensa maniplis,
Virgo, tartareos ter populata Duces.
Quippè palam vafros aperit Cacodæmonis astus
Antè suos pronum mandat, & esse pedes.

Utque

Utque reum multi contundit verberis armos;
Et nodis vincit, compedis ære ligat.
Erubuisse reor Cocitia monstra; sed illa
Pallida sunt semper, pallidiora croco.
Luxerunt Erebi proceres Plutona, puellæ
Imperio, sceptris, & caruisse throno.
Sed chorus Aligerum risit, plausitque triumpho
Fœmineâ capto de Phlegetonte manu.
Post hæc extinxit flammas: iràque Tyrannum
Flagrantem medio fecit obire mari.

AD DIVUM FAUSTINUM.

Martyrem. Romæ celeberrimum obtinuit triumphum, ad cujus exemplum quadraginta quatuor Viri martyrium sunt amplexi. Dies ejus natalitius 17. Februarii.

CARMEN.

TE Faustine quaterdeni, quatuorque, sequuntur
Athletæ, ad palmam quam prior Ipse capis.
Fausta quidem tua palma fuit, tot adepta coronas
Tot fortunatos comere nata Duces.
Omnes Semideos, omnes capita alta tenentes.
Pectoribus fortes, integritate pios.
Viderunt talem Capitolia nulla triumphum:
Virtuti Numerus gestiit esse comes.
Unius exemplo cumulantur sidera Cœlo
Additur Aligeris, murice picta cohors.
Spectatrix Tu Roma, diem ne visere spera,
Quæ mage purpureum proferet indè jubar:

AD DIVUM SIMEONEM.

Christi Consanguineum, qui cum esset ætatis centum, & viginti annorum, crudelissimum sustulit Martyrium, tandem in cruce mortuus est. Dies natalitius 18. Februarii.

CAR-

C A R M E N.

AGnatum Christi Simeon Te ritè probasti
Cùm veritus Christi non es amore mori.
Sancte senex, niveis ætas rugosa capillis,
Virtuti pondus non fuit illa tuæ.
Sic alacer celsæ properasti mortis ad oras,
Ocior ut senium nulla juventa petat.
Mira fides! (quibus es cœsus) Te, virga, bacillus
Firmum fecerunt absque tremore Senem.
Post annos centum, post lustra quaterna peracta
Quadrifidæ pendes hostia nupta Cruci.
Exiguum vitæ cursum peragrare putasti:
In vitæ ligno ni tua meta foret.
Tunc Te, maturum novit sibi Gloria pomum
Cum tempestivum stipite vidit onus.

AD DIVUM BARBATUM.

Episcopum Beneventanum. Suâ pietate convertit ad Christum Longobardos, & eorum Ducem. Alluditur ad nomen Urbis à Diomede conditæ, quæ prius Maleventi nomen habuerat, postmodum facta Romanorum Colonia, Beneventi agnomen suscepit. Ejus dies natalitius 19. *Februarii.*

C A R M E N.

HIc pietatis Amans, Pastor Barbatus, ovilis
Est Beneventani, Norma, decorque gregis.
Quàm nivei moris! superæ quam mentis abundans!
Quàm dives meriti, quod super astra levat!
Muneribus structas cœlestibus induit Aras,
Exuviis spoliat tartara fana suis.
Insubriæ populos ad Christi flectit amorem
Belligerum sacro lustrat in Amne Ducem:

Præsule sub tanto, Bonitatis percipe nomen,
Priscum pelle Mali; Tu Diomedis ager.
Nil reputes tantum Romana Colonia, quantùm
Barbati nactam cum probitate mitram.

AD DIVUM NILUM MARTYREM.

Sua exhortatione roboravit innumeram multitudinem ad arripiendam coronam Martyrii, in Tyro, Urbe Phœniciæ. Ejus dies natalitius 20. *Februarii*.

C A R M E N.

PUrpureos tempsit fœlix Phœnicia succos
Ostra videns Tyrio nobiliora solo.
Non hæc manabant de conchæ murice fractæ;
Exibant venis, sed reserata virûm.
Quæ lux illa fuit, cùm Christi tactus amore
Innumerus mortem Grex tulit, Urbe Tyri!
Haud poterant Tyrii tantam numerare catervam;
Nam Cœli stellas quis numerabit homo?
Uudabat sanguis: tellus locuplesque pyropis
Solum de fluidis ibat operta rosis.
Auctor Nilus erat pretiosi fluminis, Idem
Divitis adjutor colluvionis erat.
Scilicet ore suo, septeno pleniùs ore
Excurrebat agens spernere Suada neces.
Laus tibi Nile pater, celebrique celebrior Amne
Ditante Ægyptum fertilitatis ope.
Ille facit cursu, messes flavere Canopi
Per Te fœcundo purpurat imbre Polus.

AD DIVUM SERVULUM. MARTYREM.

Dum Wandalica sæviret persecutio in Africa, Servulus, Adrume-

metica in Urbe confortans suos Cives ad Martyrii aureolam, simul cum illis coronatus est. Dies natalitius 21. Februarii.

C A R M E N.

BArbara Vindelicis Gens transfuga saltibus, omnem
    Pœnorum rabido Marte, vorabat humum.
Arma, faces, strages, inopinaque fata vomebat,
    Plebs ubi, vota poli templa dicabat Hero.
Non tamen à Christi Nasamon fugiebat ovili
    Fidus erat Lybicus, fidus, & Afer erat.
Servule Tu princeps, radiabas inter Athletas,
    Ut stellas inter, Delia nocte micat.
Eloquiis, gestisque tuis, animosior ibat
    Ad palmæ sortem Turba sacrata neci.
Civicus hinc Adrumes, tecum conscendit Olympi
    Culmina, sidereis ut potiatur agris.
Servule tu cunctâ Cœli ditione frueris,
    Nomine si Servus, Re Dominator abis.

AD FESTUM CATHEDRÆ.

Sancti Petri Antiochiæ. Civitas Antiochena meruit principatum Christianæ Cathedræ, in qua D. Petrus fundamenta jecit Religionis. Dies solemnis 22. Februarii.

C A R M E N.

QUæ fuit Urbs primùm Petro dignata docente?
    Qui nescis, sapias: Antiochæna fuit.
Illic Relligio nacta est exordia Vitæ:
    Principis hinc Cathedræ nomina servat adhuc.
Fundamen jecit Petrus, petra viva, Sionem
    Ædificaturus protinus Orbe novam.
Incrementa tamen Christus dedit, ille cacumen
    Fecit ad æthereos surgeret indè tholos,

Esse sibi voluit Sponsam, cui cederet Orcus,
    Panderet atque suas Numinis Aula fores.
Clara dies, Fidei recolens Natale quotannis
    E' Cœli valvis clarior usque redi.

AD DIVUM LAZARUM.

Monachum, pictorem eximium. Huic cum inusta esset dextera, mandato Iconoclastæ, quia Sanctos pingebat, est illi manus cœlitus restituta, undè acriùs ad suam pingendorum Sanctorum consuetudinem rediit. Ejus dies natalitius 23. Februarii.

CARMEN.

NE solos turgens sibi Græcia jactet Apelles,
    Hoc decus & nostrâ Relligione micet.
Cernis, ut umbratis se tollat ad astra tabellis
    Lazarus! ut pictum vivere mandet ebur!
Ævum dat cineri, sua linea recta pugillo,
    Atque animæ flamen dat sua dextra fimo.
Sed non hic Veneres, cœcos nec pingit Amores;
    Quin hostes Veneris pingere palma studet.
Ad Cœli proceres, ad Numinis agmina, pollex
    Atque suus gaudet jugiter ire color;
Decolor Impietas, sed sanctas invidet artes
    Nempè colorari hos, Iconoclasta vetat.
Iconoclasta vetet, jubeatque ut lamina candens
    Pingentem Divos torreat igne manum
Succurrit Cœlum: subitò pars usta salutem
    Haurit, & ad munus non secus ante redit.
Lazare par sorti, tua sors sit Quatriduani
    Illi vita fuit, dextera dempta tibi.
Reddita vita illi, tibi reddita palma, fuitque
    Amborum, supero Gratia fluxa polo.

Vivat

Vivat is, ut Gallis vitam det: Tu quoque vive,
Ut Deus abrasus, mox redivivus ovet.

AD DIVUM MATTHIAM.

Apostolum. Suffectus est hic in locum Judæ proditoris, & sors bona dedit, ut Barsabæ cognomento (Justus) præferretur. Dies natalitius 24. Februarii.

CARMEN.

FOElix Matthiades, sellæ suffectus Judæ,
Qui modico Numen vendidit ære suum.
Sordide, cur falsâ lusisti pace Magistrum?
Oscula, molitam cur præjère necem?
Scilicet hoc addis signum, non turpiùs excors
Quam cùm sub duplici corde requiris Herum.
Post epulas Divum, post sacræ munera mensæ.
Accensa est auri pectore, sacra fames.
Supplicium meritò tetigit te gutture: Nummi
Tanta sitis, faucis quàm bene clausit iter.
Matthiadi, casus dedit ast hic, conscendere culmen;
Quo solio cecidit proditor, Ipse salis.
Compositus Justo, Justo præponeris: ultrò
Pro te lance sua tendit ad ima Themis.
Sors bona, Si majus te vellet adire cacumen:
Altiùs ut tollat, non habet illa gradum.

AD DIVUM AVERTANUM.

Ordinis Beatissimæ Virginis de Monte Carmelo. Fuit natione Gallus, & dum pro sancta peregrinatione Jerosolymitana iter aggreditur, Lucæ pestilentiæ morbo moritur. Ejus dies natalitius 25. Februarii.

CAR-

CARMEN.

LEvomici, lux clara poli, flos candide, campi
Liliferâ nati se redimire comâ.
Avertane sacer, Carmeli gloria Montis,
In quo Diva Parens, gestit habere thronum.
Dum Solymas ardes, venerari poplite flexo
Sanguinei madidum Numinis amne solum:
Tu moreris Lucæ confictus cuspide pestis
Ausoniæ totas tabe cremante plagas.
Claude Pater Lucæ pereuntia lumina, lucem
Perpetuam, melior si tibi spondet Eos.

AD DIVUM NESTOREM.

Martyrem. Confertur cum prisco Nestore, & Martyri tribuitur laurea; quandoquidem hic illustriùs è venis fuderit sanguinem, quam Ille, ex cujus ore manabat dulcedo eloquentiæ. Insuper, alter post tria sæcula præda fuit mortis, alter quàm citiùs vitam est adeptus æternam. Ejus dies natalitius 26. Februarii.

CARMEN.

GRæcia quid nostro contendis Nestore? laudes
Cede tuas, famam supprime, pone decus.
Ne memorare juvet quantum de Nestore prisco
Meonides scripsit, concinuitque tubâ.
Ecce recens Nestor dulcescit nectaris amne,
Eloquio plusquam dulcuit ille suo.
Si linguâ fuit ille potens, hic sanguine fuso
Clarior, Indigetum sacra per ora volat.
Alter ter centum vixit longævus in annos,
Sed tandem stygiis est adopertus aquis.
Hic domitor mortis, pernix ea sæcula vivit,
Quæ semper vitæ dedidicere modum.

AD

AD DIVUM LEANDRUM.

Antistitem Hispalensem. Recensentur ejus merita, quibus Hispania non est mersa in Ariana procella, adstruiturque diversitas ab altero Leandro, qui cœci amoris infortunio naufragium pertulit. Ejus dies natalitius 27. Februarii.

C A R M E N.

Hispalis Antistes, Præsulque Leander Ibere,
 Ulla ne Fama tuis laudibus æqua sonet?
Nulla; nec antiqui tibi quadrant gesta Leandri,
 Qui periit rabido naufragus Oceano.
Illum demersit Venus, & natalibus undis
 Dum nimius temerè pectore flagrat amor.
Tu cælebs, Tu veræ Relligionis Amator
 Arces navifrago Bætica regna freto.
Puppe sedes, cautus ceù tempestate Magister
 Exploras ventos, carbasa tensa regis.
Te Duce, non mergit populos, Euripus Arii,
 Et Reges ipsos ad tua castra trahis.
Morte tuâ, non prompta mori super astitit Ero;
 Adfuit at Cœli Christus ovator Herus.
Personet ergo tuos Hispania tota triumphos,
 Hesperii Solem nec neget esse soli.

AD DIVUM CEREALEM.

Martyrem. Alexandriæ post innumera passionum monilia, martyrio coronari meruit. Alluditur ejus Nomini. Dies natalitius 28. Februarii.

C A R M E N.

Æthereas hodiè mensas, Cerealia dona
 Ornant, Convivas exhilarantque suos.

Quàm

Quàm panis mundus! Superûm quàm faucibus aptus!
His epulis pasci, gaudet & ipse Deus.
Sed triturari decuit laniantibus antè
Lictorum manibus, nec minus igne coqui;
Post laceras fibras, post flammas artubus ictas
En manet Indigetum gutture, digna Ceres!
Tu Cerealis, es ista Ceres, quam barbarus ensis
Dum metit in terris, collocat Astra super.
Hostia viventis sis hinc optatior Agni
Rorantis totum nectaris amne polum.
Nunc ò, pone tuum, spicâ Cereale coruscum
Stella jubar, melior fulgurat Axe Ceres.

AD DIVUM ALBINUM.

Episcopum. Andegavensium. Fuit in se rigidus, nec minus Ecclesiasticæ disciplinæ vindex acerrimus, præsertim contrà incæstas nuptias, quas in Concilio Aurelianensi damnavit. Ejus nativitas 1. *Martii*.

CARMEN.

ASpicis Albinum, mutilis ut lumina somnis
Irroget! ut longâ torqueat ora fame.
Ut tundat rigidis innoxia membra flagellis!
Ut roret rigui sanguinis imbre solum!
Hic manet Andegavi Præsul, quo fortior alter
Non est, hæreseos qui pede colla premat.
Hoc Duce, non incæsta Venus connubia jungit,
Nec vetitus thalami fœdera, fœdat hymen.
Legibus æthereis castos tutatur amores.
Inviolata tori jura pudica fovet.
Annuit his Cœlum, plaudunt Comitia: scribunt;
Perpetuo Patres has adamante notas.
Nunquam sub tenebris, Albini fama nigrescet
Æternùm niveos hauriet Axe dies.

AD

AD OCTOGINTA MARTYRES.

A' Longobardis cæsos in Campania, quia edere noluerunt carnes in eorum immundis sacrificiis coctas, nec adorare caput capræ. Eorum dies natalitius 2. Martii.

CARMEN.

SAlvete Heroes, bis quadragena propago
Sanguine Campanam, qui decorastis humum.
Salvete ò iterum, quantùm numerosa corona
Corporibus, tantùm mentibus una cohors.
Respuitis coctas carnes gentilibus aris
Mandere; pollutos & tetigisse scyphos.
Respuitis Capræ capiti, persolvere honores,
Nec placet hædinæ flectere colla feræ.
Dedecus hoc letho pejus, vitare putastis
Vel si funeribus durius esse queat.
Tu Pagane miser Divos venerare petulcos:
Christiades, Cœli Numen, adorat Herum:
Quale nefas, Superi Cuneus sectator ut Agni
Immundæ libet non sua dona Capræ!

AD DIVAM CONEGUNDEM.

Henrici Cæsaris conjugem. Hæc intra connubialem torum, integrum servavit Virginitatis florem, cujus virtutis fuit testimonium ambulasse impunè super ignitum vomerem, & præfertur Vestali, cui idem testanti, remansit aqua pendula in cribro. Dies natalitius 3. Martii.

CARMEN.

O' Cui Virginei sertum componit honoris
Ipse maritales lampadas inter Hymen.
Quippè tuos decorant plus candida lilia crines,
Induperatricis quam redimicla comæ.

Quod tedas inter non Cæſaris arſeris, ignis
Eſt poſitus teſtis, flammaque præco fuit.
Vomeris igniti calcaſti impunè favillas
Auſa nec eſt niveos fax violare pedes.
Scilicet ex illo, voluit tibi Gloria meſſem
Largiri decoris, fertiliore manu.
Par facinus Romæ, Veſtalis Tucia fecit
Quæ cribro fluidas ſiſtere fecit aquas
Tu Major: pedibus ſubſternis fortius ignem;
Ut tuus ex illo plus micet igne pudor.

AD DIVUM CASIMIRUM.

Filium Regis Poloniæ. Fuit Sanctus juvenis ſtudioſiſſimus in fundendis precibus ad Deum, & cum pro vitanda mortali infirmitate, ſuaſiſſent Medici, indulgere connubio, reſpuit amore Virginitatis. Fuit & mortuus infenſus Turcis. Dies natalitius 4. Martii.

CARMEN.

IN ſacras Caſimire preces, reſolutus abibas
Nox etiam medium cum peragraret iter.
Conſcia feciſti pietatis ſidera, quamvis
Palluit ad fuſas barbara Luna notas.
Vividiùs rubuit regalis purpura, quandò
Candore evictam ſe ſtupet eſſe tuo.
Æger propoſitam Venerem, medicaminis ergò
Reſpuis, utque foret virus, abeſſe jubes.
Nudari potius ſceptro Te juvit, & ævò,
Quam removere tuis lilia dia comis.
Quæ laus, velle rogum præferre Cupidinis igni!
Et pheretrum, Veneris propoſuiſſe toro!
Sed vivens Cypridos ſuperas ſi tela: ſepultus
Aſpiceris Martem non domuiſſe minus.

Dum

Dum tumulo latitas, Otomannica proteris arma
Teque nihil contrà; Marſque, Venuſque valent.

AD DIVUM LUCIUM.

Pontificem, & Martyrem. Expulit hic hæreſim Novati, qui aſſerebat, veniam,& indulgentiam. reis nullimodè debere dari. Ejus dies natalitius 4. Martii.

CARMEN.

UT Sol exoriens, nebulas, tenebraſque Novati
Luce ſuâ, toto Lucius orbe fugat.
Ferreus ille Cyclops, veniæ ſpem denegat olli
Qui ſemel eſt culpæ, flagitiique reus.
Aureus Antiſtes, duriſſima dicta refellit,
Neve carere docet mobilitate ſcelus.
Qui non dum metam tetigit, curſumque peregit
Ille capax Dii ſemper amoris erit.
Cerne ſeneſcentes maleſvade Novate ceraſtes
Vere novo ſpolium non veniente novant?
Cur hominum ſemper veteraſcat culpa neceſſe?
Inferior colubris, eſt ne propago virûm?
Lucius hæc igitur mala verba releget in Orcum:
Areſcant, veniæ ſpes ubi nulla viret.

AD DIVUM GERASIMUM.

Anachoretam. Dederat hic Leoni cuſtodiam ſui aſelli, ſed cum beſtiola, clam fuiſſet rapta, & ipſe leo ſuffectus in aſelli labores, mox leo invenit, furē, aſellum, & tres Camelos, quos omnes lætanter Sancto ſeni fecit obnoxios. Dies natalit. 5. Martii.

CARMEN.

EReptus furto, vigili data cura Leoni
In Domini limen lætus aſellus abit.

Huic comes estque Leo, sequiturque Camelus onustus:
Gerasimi meritis fœnerat alma Charis.

AD DIVUM CIRILLUM.

Carmelitam. Huic conficienti sacrum in Monte Carmelo, apparuit Angelus revelans illi statum futuri proximi sæculi. Dies natalitius 6. Martii.

CARMEN:

TU ventura procul lustras Cirille Sacerdos
Tempora, Carmeli dum facis arce sacrum:
Et referat sortes pennatæ gentis Ephœbus
Fluxus ab æthereis nuperus Ales agris:
Aligero tibi fante, potes prænoscere sæcla
Non dum Solaris ducta sub orbe rotæ.
Nunc omnis cedat Vates, tibi cedat Aruspex,
Scrutantes, pecudum fata futura fibris.
Fatidicos illi malè contigit esse prophetas
Inter libamen Dæmonis, inter haras.
Numinis interpres Tu sis cœlestibus aris.
Deiphobe melior, cum paris ore Deum:

AD DIVUM THOMAM AQVINATEM.

Inclusus in castro relligionis amore, mulierem impudicam ignito torre fugat, tentantem de pueri virginitate tropheum ferre. Dies natalitius 7. Martii.

CARMEN.

AGgreditur castro captivum fœmina Thomam;
Fuscet ut intactæ Virginitatis ebur.
Mille sono, totidemque manu ciet arma pudori,
Ut cadat Idaliis hostia fœda lutis.

Ast

Aſt invadentem niveus Puer, igne refellit,
Et facit arrepto torre, ſtet illa procul.
Subdola tunc ſtupuit, flammas Citherea repertas,
Ah dixit pelago nata, ſub igne cadam?

AD EUMDEM

SUPER EADEM MATERIA.

Dies idem 7. Martii.

CARMEN.

NOn rapto Thomas comptam fugat enſe puellam;
Serpentem Ditis, ſed titione fugat.
Agnovit quoniam ſepteni verticis Hidram,
Cui necis exitium ſola favilla daret.
Obtigit: Infernam ſtravit facis impete peſtem
Alcides Thomas viſus ut eſſe puer.
Sed Venus ingemuit, rupitque noviſſima verba
Væ mihi ſi Sponſus Mulciber ipſe nocet!

AD SANCTAM PERPETUAM.

Martyrem. Hujus glorioſum Martyrium perfectum eſt Tuburbi in Mauritania, comitemque habuit Sanctam Fœlicitatem. Dies natalitius 7. Martii.

CARMEN.

NOn eſt perpetuo ſub Luna gloria ſtatu,
Nec celebris noſtrâ Fama perennat humo.
Troja ruit, Babylon periit, decus occidit Afrum,
Noveruntque ſuum Perſica ſceptra modum.
Sed quod Perpetuæ præcingit tempora ſertum
Vivit, & æterno vivet honore ferax.
Dic Tu ſpectatrix mortis, Teſtiſque, Tuburbe
Vis in fœmineo pectore quanta fuit?

Num

Num tremuit, visi nudum Lictoris ad ensem?
Num cecidit prono poplite fracta solo?
Non pavet, aut nutat Mulier benè conscia, terris
Non duraturas ducere Fata moras.
Hæc tibi majorem Tingis dat Fœmina laudem
Quam dedit ætherei portitor axis Atlas.
Non semel ille poli gemuit sub pondere fessus
Tergoris Herculei sæpè vocavit opem.
Hæc mortis ridens pondus, super ardua Cœli
Robore perpetuo cum nece Sidus adit.

AD DIVAM FOELICITATEM.

Præclarissimam Martyrem, comitem in martyrio Sanctæ Perpetuæ, quod evenit Tuburbe in Mauritania. Hæc cum pareret paulò antè martyrium dolebat, objecta feris, in passione gavisa est. Ejus dies natalitius 7. Martii.

CARMEN.

FOElices faciens, fœlicia nomina, Numen
Dat tibi, quà fœlix postmodò sorte fores.
Assequeris fatum, quod præbet Nominis omen
Pro Christi quandò Nomine, Martyr obis.
Expectare prius decuit, sed tempora partus;
Nam prægnans justo pondere venter erat.
Dum paris ò quantos infert Lucina labores!
Ingemis, & magnis questubus exit onus.
Facta parens, & vota neci, lætaris ut una
Ad thalamos placiti ducta puella proci,
Marmaricis objecta feris, procul exulat horror,
Et das lætitiæ, das choreisque locum.
Dic age cur ploras enixa puerpera prolem?
Et cur exultas dum tua vita perit?
Tunc aderas Evæ genimen, sobolesque doloris
Nunc Æthræ pignus, te facit esse Charis.

AD

AD DIVUM HADRIANUM.

Martyrem. Jussu impii Judicis, propter constantem Fidei Catholicæ confessionem in mare Ægyptio mersus est. Attamen mox delphini obsequio ejus corpus ad littoream oram delatum est. Ejus dies natalitius 8. Martii.

C A R M E N.

Fluctibus æquoreis Hadrianus mergitur: urnam
Dant illi liquidam marmora salsa Phari.
Inconstans tumulat constantem Tethys Athletam
Dum scopulus Fidei, dum pietatis obit.
Sed non flamma diù, defuncto corpore vivens
Sub pelagi potuit delituisse specu.
Dius Amor jubet, ut superas tollatur ad undas,
Et mereat piscis non onus esse grave.
Quandoquidem Delphin super armos portat ad actam
Littoreæ fidens pondera capta plagæ.
Nunc Ego quo digno Delphin te carmine laudem?
Te certè sidus non decet esse poli?
Ille lyrâ mulsus, gestavit Ariona; Nullo
Fœnore Tu gestis, bajulus esse mari.

AD DIVAM FRANCISCAM.

Romanam, familiari Angeli tutelaris consortio dignatam, de qua etiam dicitur quod in Tiberim lapsa prodigiosè sospes flumen transilierit. Ejus dies natalitius 9. Martii.

C A R M E N.

Te Francisca novum sidus, pia Roma fatetur.
Obscurans facibus sæcula prisca tuis.
Penè nihil visæ, Lucretia, Porcia Caja,
Vel quæ Vestales antè fuere focos.

Te

Te in Tiberim lapſam venerata eſt fluminis unda,
Trans fluvii ripas incolumemque tulit.
Charius hoc illi, quàm ruptis Clelia vinclis
Albuleas ſoſpes cùm ſuperavit aquas.
Ad Te Plumigeri volitarunt Axe relicto
Ut tua Mens ſuperas curreret uſque plagas.
Nactùs es Aliferum, quo Ditis monſtra domares,
Illeque ſidereus non niſi Veles erat.
Nec tot tartareâ veſtivit imagine formas,
Dæmon, quot lætas præſtitit ille faces.
Quam benè vincebas Franciſca: fugare draconem
Alitis hoc Aquilæ nobile munus erat.

AD SANCTOS MARTYRES.

Quadraginta, qui cũ eſſent noctu conjecti in ſtagnum rigens, mediâ hyeme, fortiſſimè de frigore triumpharunt. Cum autem unus ex numero defeciſſet, ſuffectus eſt in illius locum Janitor carceris, qui quadragenas coronas deſuper viderat coronaturas Sanctum agmen. Eorum dies natalitius 10. *Martii.*

CARMEN.

Tot pugiles inter, glaciali Najade merſos:
Omnibus una fides, ardor & unus erat.
Par iſtis bellum, par & conſtantia mortis
Undè fluit cunctis æqua corona polo.
Atque licet miles defecerit Agminis unus
Suffectus, numerum Janitor ecce replet:
Qui frendunt dentes, ſtragem minitantur in Orcum
Quæque manus brumâ contremit, arma jacit.
Illo conteritur phlegetontis Turma tremore
Hique magis ſolidi, cùm cojere gelu.
Quis non excubiis votos, hos credat Athletas
Algendo noctis ſuſtinuiſſe nives?

Sic

Sic eſt: exuviis vicerunt Hoſtis Onuſti,
Exuti ſpoliis cum caruere ſuis.

AD EOSDEM MARTYRES:

Qui cum eorum cineres in fluentum conjecti eſſent, mirabiliter in unum confluxerunt, & collecti ſunt. Eorum dies natalitius 10. Martii.

CARMEN.

QUadragenorum cinis eſt illapſus in unum:
Pulveream maſſam cùm bibit amnis aqua.
Quos religarat Amor, poterat non ſolvere flumen
Fortiùs eſt fluidâ gluten Amoris aquâ.

AD DIVUM CANDIDUM.

Martyrem. Non abs re meruit nomen Candidi, propter innocuos, & niveos mores, poſtmodum in morte purpurei ſtemmate Martyrii inſigniter decoratus eſt. Ejus dies natalitius 11. Martii.

CARMEN.

CAndide Te niveum, niveis cum moribus ævum
Candoris dignum nomen habere patrat.
At Mors purpurei tribuit quoque ſtemma decoris
Tùm cum ſanguineo flumine merſus obis.
Vita tibi miro confligunt, Morſque duello
Illa liguſtra gerit, geſtat & iſta roſas.
Cui demus palmam? vult hoc, vult illa coronam
Eja agè non diſcors utraque fœdus alat.
Candide ſis Cœlo flos candidus, & rubicundus
Tale decus præhabet Numen, & iſtud amat.

AD DIVUM GREGORIUM MAGNUM.

Pontificem Maximum Romanum. Suffectus est ad supremum munus in locum Pelagii defuncti. Se abscondit in sylva, ut illam dignitatem vitaret, sed manifestatus est ab ignea columna illum comitante. Anglorum Apostolus est appellatus, & Romam mirificè exaltavit quà spirituali gloria, quà temporali. Ejus dies natalitius 12. *Martii*.

CARMEN.

PElagio navis sublato peste Magistro
Illicò temonem dat tibi Roma ratis.
Sed Tu Matre satus, cui nomen Sylvia, sylvâ
Ceú utero Matris, nocte, dieque lates.
Niteris at frustra; te prodit namque columna
Ignea, quæ profugos pandit ubique gradus.
Quam benè recludi tantâ fas lampade lumen!
Cujus post radios Anglica regna bibent.
Exereris meritò sub imagine Dive columnæ;
Nam solii Petri Tu modò fultor eris.
Dux fuit Hebrigenæ promissa ad prædia genti
Per labyrinthæas atra Columna vias.
Clarior hæc, cursus Patris demonstrat euntis
Ad superæ populos qui reget Arcis iter.

AD DIVAM EUPHRASIAM.

Virginem Carmelitanam. Obedientiæ gratiâ, grandiores lapides, viribus imbecilla Virgo super humeros vectabat. Passa est vulnus à Dæmone, quod fecit esse irritum, & sua virga rebelles genios fugabat. Ejus dies natalitius 13. *Martii.*

CARMEN.

ILle labor, saxis, ultroque, citroque vehendis.
Virtutis molem tollit ad astra tuæ.

Dif-

Difficiles dum dat jussus Antistita, tum Tu
    Carmeli facilis culmina celsa petis.
Infligit quandò stygius tibi vulnera Pithon
    A' plagâ cernit prosiliisse decus.
Euphrasides non tàm rubuit de vulnere passo,
    Quàm rubuit Pluton proditus arte suâ.
Horre Virgineam meritò Rex tartare virgam.
    Confer cum virgâ, nunc tua sceptra Draco?

AD DIVAM MATHILDEM.

Reginam. Fuit assidua in meditationibus Dominicæ Passionis, propter quod à Christo Sponso ad altissimas cognitiones rerum cœlestium est elevata. Ejus dies natalitius 14. *Martii.*

C A R M E N.

TE Christi meditante necem Regina Mathildis
    In cor mille jacit spicula, Dius Amor.
O' quot compatiens suspiria pectore fundis!
    Decidit ex oculis plurima gutta tuis.
Mox at amatus Amor, Paradisi arcana revelat.
    Dat Superùm tractus, dat penetrare lares.
Enatat ambrosiæ Reginæ Spiritus amne.
    Dissolvi, & Sponso concupit esse suo.
Sed dum vità negat, sic fatur amanter Jesum
    Arceor à visa Tantalus Ipsa dape.

AD DIVUM LONGINUM.

Martyrem. Hic postquam lanceâ aperuit mortui Numinis latus: videns portenta Cœli, & terræ, confessus est esse verum Deum, hominem Crucifixum, acquisivitque lumen, oculo orbo, & lucem menti cœcæ. Ejus dies natalitius 15. *Martii.*

CARMEN.

HOrrebat Titan, tenebroso tectus amictu,
Nutabant montes, & titubabat humus.
Tu firmam, firmo fudisti pectore vocem.
Infixumque Cruci fassus es esse Deum.
Inclite Centurio, linguâ præclarus, & hastâ
Fauce, manuque potens, panderis ecce pugil!
Si latus extincti reserasti Numinis ære,
Illius ad laudes non minus ora cies,
Hebraicum scelus execraris, lumen ocello
Acquiris cœco, Mentis & umbra fugit.
Qui feriat Numen, rapiat qui lumine Cœlum
Non Orbus melior Signifer alter erit.

AD DIVUM PAPAM.

Martyrem. Licaoniæ insignem martyrii palmam promeruit: Nam prius est flagris cæsus, ungulis ferreis dilaniatus, mox clavatis calceis jussus est incedere, demum arbori alligatus, pretiosa sua morte Cœlum lucrifecit. Arbor verò in qua vinctus obiit, ex sterili protinus facta est fructuosa. Dies natalitius 16. Martii.

CARMEN.

PApa Licaonias spolias turpedine mensas
Hostia pacifici dum cadis ipse Jovis.
Sed prius innocuos verber crudescit in artus
Sanguineoque madent corpora tunsa flagro.
Jussus es æratis incedere compita soccis
Pes tamen ad superum promptior ibat iter.
Ungula quin etiam laniabat ferrea costas,
Tuncque poli raptor, quilibet uncus erat.
Arboreo demum trunco religatus, Olympum
Lucrifacis, pretio sanguinis astra rapis.

Sed

Sed ſtipes ſterilis, nec germine ſ fertilis antè
Fructiferas ſubitò cortice ſenſit opes.
Cerne papè, defers quæ dona, Lycaona tellus,
Quos fructus menſis dat modo Papa tuis!

AD DIVAM GERTRUDEM.

Virginem. Excelluit fervore charitatis, & viciſſim tanto affectu, eſt à Chriſto redamata, ut dixerit. Qui quærit me, inveniet me in corde Gertrudis. Ejus dies natalitius 17. Martii.

CARMEN.

O' Amor, Indigetumq; Hominumq; Deique voluptas
Imperio nullus jactet abeſſe tuo.
Cum ferias homines divine Sagittifer: unà
Numinis auratâ cuſpide corda feris.
Uritur intenſo Chriſti Gertrudis amore,
Gertrudem Chriſtus non minus uſtus amat.
Virgo ait: ut fluvii Cervus deſiderat undas
Sic mea proximior Mens avet eſſe Deo.
Numen ait: Qui me quærit, me corde requirat
Gertrudis, tali me juvat eſſe domo.
Tanta tuo pharetrate Puer vis eminet arcu
Alter ut alterius pectore vivat Amans.

AD DIVUM PATRICIUM.

Primum Hyberniæ Epiſcopum. Erat bujus Sancti aſſidua oratio, & Inſulam inſciam divinæ legis, fecit decoratam nomine Inſulæ Sanctorum. Exeruit puteum refertum igne purganti. Ejus dies natalitius 17. Martii.

CARMEN.

PAtricius Proceres inter numeratur Olympi,
Incola terreni quandò vel Orbis erat.

Biſcen-

Biſcentum fundit, noctùque, diùque precatus
Non ſecus ac carnis ſarcina nulla foret.
Spirituum plenas hinc colligit undique meſſes
Idolis ſternens templa dicata ſolo.
Tùm primùm Dias præſenſit Hybernia flammas,
Quæ gelido nullas hauſerat axe faces.
Dedidicit tellus angues, caruitque veneno,
Eſtque vocata ferax, Inſula ſancta bonis.
Exerit at puteum, quo Manes igne piantur,
Terreret fontes viſus ut ille rogus.
Scilicet edocuit reſtingui poſſe favillas
Cum lacrimis, ſi Cor pœnituiſſe velit.

AD DIVUM GABRIELEM.

Arcangelum. Prompta ejus executio exprimitur in agendis Dei mandatis, & in legatione ad Virginem Mariam. Demonſtratur cohærentia ſummi operis, cum Angelo ſummæ dignitatis. Dies feſtus 18. *Martii*.

CARMEN.

MAgna Dei virtus Gabriel, ad munera promptus,
Quæ jubet ut ſuperi Conditor Axis agas.
Nunc tua fert elate fumantis thuris acerram
Quà Daniel templo fundit ad aſtra preces.
Nunc ad Zachariam ſeræ fers nuncia prolis
Pandens, venturus qui foret Orbe Puer.
At major tibi ſurgit honos, cum pronubus Ales
Virgineos ſupplex ſiſteris antè lares.
Numinis hic mandata refers, pavidamque puellam
Hortaris, pellat cordis ut arce metum.
Aſtruit illa fidem dictis, quà fæta Tonante
Noſtræ cum Cœlo fœdera ſancit humi.
Gloria quanta tibi Gabriel! non aptior ullus
Ad ſummum, ſummus ni Paranymphus opus.

AD

AD DIVUM JOSEPHUM.

Sponſum caſtiſſimum Mariæ Virginis. Expenditur ejus dignitas in munere putativæ paternitatis habitæ de Deo. Collatus cum priſco Joſepho, qui Ægyptum ſervavit, major invenitur iſtius excellentia. Ejus dies natalitius 19. Martii.

CARMEN.

NUminis alme Parens Joſeph. Quod Nominis hujus
Augmentum majus? mens ſtupet! ora tremunt!
Te coluit Patrem, Natus genitore Tonante,
Nec tibi Cunctipotens ſubditus eſſe negat.
Fortunate ſenex, cunas fabricatus es illi,
Qui faber eſt terræ, Conditor eſtque poli.
Artificem ſuperâ conflantem ſidera dextrâ
Vidiſti dolabrâ ligna polire tuâ.
Excępit data juſſa Puer, nutuque pependit
Ad commendati mane laboris opus.
Es major priſco Joſeph, qui regna Canopi
Servavit culmis, eripuitque neci.
Illum Tu nutris, dono cereale daturum
Mox ſeſe, toto vivat ut Orbe ſalus.

AD DIVUM JOACHIMUM.

Genitorem Genitricis Dei. Aſtruitur ejus dignitas ſat major Philippo Macedone cujus gloria fuit generaſſe Alexandrum. Ejus dies natalitius 20. Martii.

CARMEN.

AUguſtæ genitor Regis Genitricis Olympi
O' Joachim, Regum tu quoque ſtirpe ſatus.
Qui ſonus, Aonio quamvis uberrimus imbre
Tale decus meritâ tollere laude queat?

Glo-

Gloria si Macedum Regis fuit alta Philippi
Martis Alexandrum progenuisse jubar.
Quàm tibi major honos sobolem meruisse Mariam
A' dextris Nati, quæ sedet una Dei?

AD DIVUM BENEDICTUM.

Patriarcham gloriosissimum. Laudatur à numerosâ prolis nobilitate, à pudore purissimæ vitæ, ab Apollinis luco destructo. Ejus dies natalitius 21. Martii.

CARMEN.

QUid pariet tanto dignum mea Musa Parente?
Ille suæ gaudet prolis honore coli.
Stipatur Regum cuneo, legione Dynastum
In manibus lituos, sub pede sceptra tenet.
Extulit à puero Benedictum mascula Virtus
Dumetis viruit, floruit inter agros.
Ne florem tereret primæ Citherea juventæ
Purpureum fecit sanguinis imbre sui.
Dejecit Phœbi lucos, oracula solvit
Titànis, tripodum comminuitque dolòs.
Quis stupor est? fregit quæ tela Cupidinis, Arcum
Non potuit Phœbi vel superare manus?

AD DIVAM LEAM.

Viduam. Fuit natalibus Romana, & in omni virtutum genere præstantissimam fuisse testatur Divus Hieronymus. Ejus dies natalitius 22. Martii.

CARMEN.

UNde tibi nomen decet hoc, Lea gloria Romæ;
Quandò leoninæ nil feritatis habes?
Debueras Agnæ mitissima nomina ferre,
Agnæ si mores si tua gesta sonant.

Ecce

Ecce libens, duras Metaneæ pergis ad Aras,
Pœnarum calicem victima spontè bibis.
Te juvat in lautis jejunam vivere mensis,
Inter & illecebras subdere membra flagro;
Et nunc undè sonus, titulusque ferinus adhæret?
Ah sunt Nominibus dissona facta tuis.
Fallor: Sectatrix cum sis Lea cœlitis Agni
Cum sis Sponsa sui: Nomen, opusque jugas
Agnomen Judæ tenet is de stirpe Leonis,
Et simul innocui sanguinis Agnus adest.
Sic benè Tu nectis generosæ stemma Leenæ,
Et genios Agni pectoris arce foves.

AD DIVOS FRUMENTIUM, ET FRUMENTIUM

Martyres. Ambo unica die, & simul in Africa, insigne Martyrium, lætantibus Angelis copularunt. Eorum dies natalitius 23. Martii.

CARMEN.

TU ne dies, Frumentalis bis dives honoris?
Te decorat diphabo murice dupla Ceres?
Ornat te certè Frumentius alter, & alter
Et dat mirificas alter & alter opes.
Colligit ò quantam Nasamonia Gloria messem!
Has nunquam fruges Africa terra tulit.
Binis, in falcem ferrata novacula cessit.
Messorumque acies hostica turba fuit
Sanguineo parta est hæc copia semine: duplo
Fœnore, frumenti vasit ad Astra valor.
Proh stupor! ubertate Ceres pretiosior extat!
Aurum vile facit, creta cruore seges!

AD DIVUM SIMEONEM.

Martyrem. Cum esset puer trium annorum, trucidatus est sævissimè à Judeis, in odium Christianæ religionis. Tridenti urbe, suus est consumatus agon; & dies natalitius 24. Martii.

CARMEN.

JUdaico Simeon cadis hostia vota furori,
Quæque pusilla magis, victima cara magis.
Perfida gens, tenerum cur contrà sævis Ephœbum?
Ah quià Nazaream noscis habere fidem.
Serpentum genimen, jam non suffecit, Jesum,
Quadrifidæ letho sacrificasse Crucis?
Vis etiam pupam de Christi germine prolem
Cultriferis acubus dilaniare fibras?
Ista recrudescunt Infantis vulnera, quæ jam
Addicto morti cruda fuere Deo.
Fac quodcumque libet manus impia; funus ob illud,
Et puero, & Christo, pullulat altus honor.
Hac nece, non oculos avertit Phœbus, & umbris
Haud tegitur tellus, nec juga summa tremunt.
Lætatur potius, Mundi memor Æthra redempti,
Pandit bissenas, & tibi Trime fores.

AD ANNUNCIATIONEM.

BEATISSIMÆ MARIÆ VIRGINIS.

Dies festivus 25. Martii.

CARMEN.

VIrgineam Cœlo lapsus Deus occupat alvum,
Ceù vitreas penetrat Sol radiosus aquas.
Pronubus est Gabriel, non nuncia mittitur Iris
Ne vano maneat lusa colore Dea.

Dum

Dum ros ex aſtris ſtillat, ſis concha Virago
　　Unio fit proles, Divus, & unus Homo!
Scilicet ignaræ Veneris connubia conchæ
　　Prætereunt; prolis ſed nec honore carent.
Hac etiam Natura favis ſoboleſcere lege
　　Juſſit Apes, mellis quas ciet almus amor.
Et Tu Diva parens, tanto dignata favore
　　Non turges: imâ te magis abdis humo.
Haud inflare ſinit Divini Flaminis Aura,
　　Et vetat efferri turgida vela Charis.
Quàm benè, terreni faſtus ubi detumuere,
　　Cœleſtes ſubitò poſt tumuere ſinus!

SUPER EADEM MATERIA.

Dies idem 25. Martii.

C A R M E N.

CErnis ut Hæc legum tabulas legat avrea Virgo!
　　Ut concluſa domo permeet aſtra prece!
Officiis votam, Gabriel intercipit Ales,
　　Juſſàque Siderei nunciat ore Patris.
Scilicet Æterni Genitricem mox fore Verbi,
　　Quod non denigret Virginitatis ebur.
Aggreditur Mariæ faciem, pallorque, ruborque,
　　Ut ſolet ad ſubitum Sponſa pavere procum.
Attamen obſequitur verbis, depreſſaque vultu,
　　Ut Domino placuit ſic mihi fiat ait.
Gaude: Non faciet Te defloreſcere Fructus;
　　Eſt etenim, fructus, flos & odorus, Idem;

AD DIVAM THECLAM.

Martyrem. Romana fuit natalibus, & Romæ paſſa, incredibilem animum in ſuperandis tormentis exeruit. Demum glo-

riosa morte, Tiberinæ gloriæ, decus adjunxit. Ejus dies natalitius 26. Martii.

CARMEN.

O' Super ætatem fortis, sexumque Virago
Romulei mulier gloria summa poli.
Te septem celebrant colles, Capitolia laudant,
Piramides tollunt, Amphiteatra stupent.
Pectoris invictas monstras Thecla pupula vires
In te cum Feritas arma cruenta jacit.
Illa jacit frustrà: ferro est Constantia major,
Et tua cultriferi Vis terit æris acum.
Dat tibi Dia Fides animos, ut spicula temnas,
Vulcani flammas ut nihil esse putes.
Hæc Tiberis cernens, lauro redimitus ovanti
Sic inhibens cursus ad mare, verba dedit.
Thermòdon solùm, ne jactet Amazonas, actâ
Has etiam nostri possidet Amnis aqua.

AD DIVUM JOANNEM.

Eremitam. In Ægypti desertis, in quibus incolatum habuit magna edidit virtutum insignia. Prophetico spiritu, Theodosio Imperatori, victoriam de Tyrannis, Maximo, & Eugenio prædixit. Ejus dies natalitius 27. Martii.

CARMEN.

VIvis Joannes, nemorosas inter eremos,
Et tibi dant patulas scrupea saxa casas.
Hoc nisi patrasses, non nomen habere merères,
Illius, ad sylvas qui Coriphæus iit.
Antra pater sapienter ama, descendit ad antra
Fusa sub ambrosiis Ætheris aula favis.
Zacharides scivit, melius quem nectar Olympi
Pavit, quam longâ vesca locusta die.

Expe-

Experiere etiam ſuperas Tu docte placentas
Cum mens ſidereos advolitarit agros.
Non Ego decipior. Tu conſcius ecce futuræ
Lucis es, ante oculos & venienda patent.
Auguſto Vates, palmas prædicis ovales,
Et comptura ſuum laurea ſerta caput.
Hæc Ego ne ſtupeam, cum ſit fatale Joanni
Intus maternos eſſe Prophæta ſinus.

AD DIVUM SPEM.

Abbatem. Fuit in virtutibus theologalibus apprimè vir perfectiſſimus. Ejus anima, cum ex hac vita migraret viſa eſt ab aſſiſtentibus Fratribus letho, in Columbæ ſpecie Cœlum aſcendere. Ejus dies natalitius 28. Martii.

C A R M E N.

SPes Abbas, tua Dia Fides, tuus Ardor ad Æthram
Virtutis quantùm ſit tua ſumma, notat.
Impavidum Te nulla ciet terrena procella
Te Cœli mediis anchora fundat aquis.
Nam neque fallaci vanam ſpem ponis in auro;
Hærent labilibus nec tua vota bonis.
Sed tua Spes virides meditatur ad aſtra volatus,
In quibus æternas fidis habere domos.
Contrahit exilii tua Spes mortalis agones,
Utque voles, pennas dat tibi Diva citas.
Ergo ubi Tu moreris, inſtar petit aſtra Columbæ
Pneuma tuum, geminos Spes rapit una polos.
Et licet Elyſios non incolat Illa penates
Per Te illic Nomen gaudet habere ſuum.

AD DIVUM BERTHOLDUM.

Carmelitam. Duplici motivo feſtivus eſt dies D. Bertholdi; ſic proprio triumpho, & ad Cœlum acceſſu, ſic quia lux bexterna hujus

diei, fuit sacra nativitati S. Matris Teresiæ, Carmeli reformatricis. Dies natalitius 29. Martii.

CARMEN.

LUx quæ Bertholdi festis est vota triumphis
Qua de Carmelo scandit ad astra Pater.
O' quanto fulgore micat! queis ignibus ardet!
Vix retulere parem lampada, Solis equi.
Sideribus sidus jungi lætatur Olympus
Plaudit & assumpto cœlica Turba Seni.
Aligeri pennata phalanx, epinicia cantant
Victor io, pœan, laurea serta cape.
Hæc lux, hesternâ fulget quoque luce decora
Cœpit natales undè Teresa dies.
Gratia bina tibi, pro quo præcessit, & extat
Astris quandoquidem Terra Polusque nitent.
Te veniente polum scandit Stella una, notasque
Hesternò Sidus Te peperisse solo.

AD SANCTAS MARTYRES

Anonimas. Constantinopoli, jussu Macedonii, impii Tyranni excruciatæ sunt in Torturâ Mamillarum. Earum enim ubera compressa fuerunt sub ferreis arcis, itaque secta, dolorem immanissimum, & demum mortem parturierunt. Dies natalitius 30. Martii.

CARMEN.

URbs Constantini, viden ut muliebre trophœum
Exuperet palmas, & decus omne virûm!
Ille ferus Macedon, truculento sævior Angue
Fœmineum crucians tollit ad astra genus.
Pro re Cœligenûm, pro Relligione fatendâ
Imbellis sexus fata nec ipsa timet.

Hor-

Horreſco meditans! teneris tormenta mamillis
Ah patitur diris fida puella modis.
Ubera ſub clauſis compreſſa tenaciter arcis,
Sunt, & ſanguineo dilaniata flagro.
Lactea poma cadunt, ligno, ferroque reſecta,
Ipſaque cum mutilo pectore, vita fugit.
Vive ſuper Cœlos, aſtris redimita Corona
Veſtibus in niveis, purpureiſque genis.
Neſcio Num fuerit præſtantior unda cruoris,
An quæ de trunco pectore, lactis iit.
Si de ſanguineo decoraſtis fonte Corollas
Effuſum Fidei lac alimenta dedit.

AD DIVAM BALBINAM

Virginem. Romana fuit genere nobiliſſima, & filia Quirini Martyris. Ab Alexandro Papa, imbuta eſt myſteriis Chriſtianæ religionis, à quo etiam curata eſt morbo ſtrumæ, virtute vinculorum, Divi Petri, in quo officio aſtitit Angelus portans facem in manu, tamquam pronubus nupturæ puellæ cum Chriſto Sponſo. Ejus dies natalitius 31. Martii.

CARMEN.

PRomptior ad linguæ munus vocalior exit
Dum Te Balbinam noſtra Camena canit.
Num tua Nobilitas, oriens ex Patre Quirino,
Ad laudes primò conciliabit ebur?
An tua Virginitas, plectrum, numeroſque laceſſet?
Funeris aut ſacri gloria, poſcet epos?
Nullus in his ordo, ſeries taceatur honorum,
Tantùm conjugii fœdera, Fama ſonet.
Scilicet ut Chriſti meruit ſponſalia Virgo
Applicuit quandò vincla Hierarcha ſacer.
Nam tunc Nupturam ſuper, aſtitit Aliger Æthræ,
(Adventu tenebras diſcutiente ſuo.)

Ge-

Gestabatque facem dextrâ, ceù Pronubus esset
Divini lectus Numinis Ales amor.
Teda jugalis erat, qua vincta puella Tonante
Ad Cœli thalamos duceret alma Fides.
Tantum vittatos oculos, Amor ille negabat
Ut sua mulceret lumina, Dius hymen.

AD DIEM FESTIVUM CINERUM.

Est solemnis hic dies, quia in eo Sancta Eccclesia incboat jejunia. Festum mobile.

CARMEN.

ESto Damasceni memor, ò Homo pulveris: illâ
Cunctiparens primùm Te fabricavit humo.
Idem, pulveream resolutus abibis in urnam
Cum Mors funereo clauserit ore dies.
Si tua mens sapiens, cum finibus orsa jugabit
(Qua fruitus Cœcus) luce fruèris eà.
Pulvis, & umbra licet, non vana superbia tollet,
Nec Te mortalis perdet imago boni.
Quin cinis, hac capiti quem nubit luce Sacerdos
Servator quo nos vivimus, ignis erit.

IN SOLEMNIIS CÆNÆ DOMINICÆ.

Occurrentibus feria quinta majoris hebdomadæ.

CARMEN.

CArmen sint epulæ, non quas putrescere luxus
Efficit, at Dius quas struit Orbis Amor.
Is nostri generis, nostro de sanguine sanguis
Victima pro nobis sacrificandus abit.

Agnus

Agnus edendus erat (ceù lex mandabat) ab Agno
Tersuro humanum sanguinis imbre scelus.
Ultima nox fuerat, Cœlo cum lumina figit,
Et Patri grates compos amoris agit.
Tum simul in Comites se se dispertit amatos
Idem qui munus, muneris Ipse dator.
Sub panis specie proprium dat corpus edendum
Fitque caro Domini, quæ fuit antè Ceres,
Indè mero pateram replens, jubet esse cruorem.
Vina suum, tanti vis fuit illa soni!
Christi quantus amor! linquit moriturus, amoris
Quà Cruce, qua Cœnâ pignora bina sui.

SUPER EADEM MATERIA.

C A R M E N.

QUam magnum fabricasse fuit virtute potenti
Artificem rerum, cærula, sidus, humum!
Quàm magnum Cœlo fuit exiliisse Tonantem,
Et nostro Verbum se glomerasse solo!
Major at Orbiculo Cereris, qui condidit orbem
Ars fuit occludi, quà foret esca suis.
Prodidit Is cordis, tùm cum prodendus, amorem.
Empyrei vænum fudit iturus opes.
Fella parabantur, cum nectaris ille paravit
Pocula, plumigeris vel cupienda choris.
Antè cruoriferam quam fundere gestiat undam
Prodromus ad venas, Cor reserare studet.
Auri dona dedit Christi manus illa, priusquam:
Esset ferratis adjicienda feris.

AD MORTEM CHRISTI

Dolorosissimam. Expenditur sensus irrationabilium Creaturarum pro ejus transitu, & humani cordis duritia.

CARMEN.

HÆc eſt illa dies, divinæ conſcia mortis,
Heù Cœlis ipſis vel metuenda dies!
Proh quantum in terris Lybitina ſuperbiit, auſa
Numinis in ſobolem pila rotare ſua!
Inſtitit hic pharetratus Amor, ſacriſque miniſter,
Præcipiens tantâ ſternere cæde Deum.
Senſerunt fatum montes, cortinaque templi,
Et tenebris vultus texit Apollo ſuos.
Pro quibus haud moritur franguntur ſaxa, dolet Sol,
Sed pro quo moritur, non lacrimatur homo.

SUPER EADEM MATERIA.

Recenſentur pœnæ Chriſti Domini, quæ cedunt in humanum decus.

CARMEN.

ET laudi locus eſt inter ludibria Chriſti
Non probra, non refugit jurgia noſter honos.
Nate Deo, quot turba procax convicia jactat
Non ea ſunt noſtrum Te patiente decus?
Quos toleras colaphos, qui manat vulnere ſanguis
Quam benè Chriſtiadum purpurat ille genis.
Sic quod ſentigerum figit tua tempora ſertum
Auguſtum noſtris eſt diadema comis.
In trabe potandum quod fel apponitur ori.
Non mel humanis eſt medicina malis?
Crux etiam noſtri Ducis ad ſuſpendia recta
Nos pugiles propero vectat ad Aſtra gradu.

AD LONGINI LANCEAM.

Attingit Longini factum, lanceâ Chriſti mortui latus perforãtis.

CAR-

C A R M E N.

TArdior ad pugnam, tamen opportuna triumpho
Lancea Longini venit adacta manu.
Hæc lateris referans duro penetralia ferro
Sanguinis, ac laticis bina fluenta trahit.
Noluit illa prius, præcordia pandere Christi,
Pro nece perpessâ quàm patuisset amor.

AD SOLEMNIA SEPTEM DOLORUM.

Beatissimæ Virginis, juxta Crucem stantis, ingementisque fatum filii.

C A R M E N.

ASpice complexam gremio lacrimabile pignus
Diviparam: quantis ingemit illa modis!
Septenus sua corda ferit lethalis acinas,
Et facit immensus vivere posse dolor.
Quàm fera, cum morti parcendo Parca ferocit!
Quam pia, si gladio, si foret usa sparo!
Abstulit heù plusquam vitam, cum sustulit illum,
Qui vitæ columen Filius unus erat.
Quod tibi martyrium superest mœstissima Virgo
Pectore cum Natus triste recumbit onus?
Quot sunt sanguineo liventes corpore plagæ
Tot fontes oculo collacrimante fluunt.
Muta diù: tandem dictis sic ora resolvis,
(Auriferam tenebris Sole tegente comam.)
Talia Nate tuæ dederas promissa Parenti,
Ut sine ea velles funeris esse reum?
Spreviſti Matris Fili dulcissime votum
Te sine non unquam vivere, velle mori.
En tuus æthereas jam liquit Spiritus auras,
Et me mortalis non sopor urget adhuc.

Cur ſociam refugis, ſociam quæ tempore vitæ
Es Tu dignatus conſtituiſſe tuæ?
Cum puer Ægyptum, ſeptena vel oſtia Nili
Vidiſti, tecum non comes ipſa fui?
Nazareos iterum Galilea per oppida ſaltus
Es tuitus Fili cum Genitrice tuâ.
Cur non & tecum mihi claudere lumina juvit?
Quid non ad Manes pergere ſubter humum?
Ecce quod orba tui, nec vivo, nec occido; ſpectrum,
Sed vitæ videor, vel necis umbra levis.
Vos qui tranſitis per calles, cernite num ſit
Pœna meæ ſimilis, par dolor, æquus agon?
Sic imò clauſit Virgo ſub pectore queſtus
Quique tulit lacrimas verba, repreſſit amor.

AD DOMINICÆ RESURRECTIONIS

Feſtiviſſimum diem, in quo Chriſtus de morte triumphavit.

CARMEN.

COnflixit miro, quà Mors, quà Vita duello,
In Cœlos Dominus dum redivivus abit.
Non Libytina diù, ſpoliis eſt uſa ſuperbis,
Quin ipſa exuviis eſt viduata ſuis.
Victori Ditis ceſſit ſua caſtra Sepulchrum
Eſt & Victorem turba ſequuta Patrum.
Cede triumphales Vitæ, Mors ergo coronas:
Mors, Surrectus Herus mors tua clamat ero.

SUPER EADEM MATERIA.

CARMEN.

IN ſceptrum jam tempus adeſt ut cedat arundo;
Ut pariant vernas Spinea ſerta roſas.

Vi-

Vivat qui Moriens, defunctos vivere jussit,
Qui Vivens, vitæ reddidit exanimes.
Cetus ut evomuit Jonam sic evomat Orcus
Fracturum Ditis ferrea claustra Ducem.
Eversum imperium, Pluton geme perdita regna
A' telo pateris vulnera cuncta tuo.

AD DIVAM THEODORAM

Romanam Martyrem. Soror fuit illustrissimi Martyris Hermetis, cui cum par esset in gloria passionis superior Fratre fuit propter sexus imbecillitatem. Ejus dies natalitius 1. Aprilis.

CARMEN.

HErmes, & Theodora Soror, duo Sidera, tractu
Sanguineo Albuleis dantia lumen aquis.
Germanos uterus, Germanos funus, & Una
Vos consanguineos efficit esse Fides.
Te Mulier majora decent encomia, quippè
Vicisti sexum fœmina, corde viri.
Obvia crudeli stas imperterrita ferro
Pectinibus mediis absque pavore rubes.
Sic facis ut potent rubicundos lilia fontes,
Inque natent liquidis alba fruteta rosis.
Non Hermes ergò certet tibi laudibus æquis
Splendidior Fratris fama Sororis ovet.

AD DIVUM FRANCISCUM DE PAULA

Portentis inclytum, tam super mare, quàm super igne, illud enim sine navigio trajecit, hunc impunè calcavit. Ejus dies natalitius 2. Aprilis.

CAR.

C A R M E N.

PAr Ducis imperio Miles non paruit ullus,
Ut Natura tuis eſt famulata ſonis.
O' viſu mirum! quò Tethyos ocius undas
Trajiceres, malum, remigiumqne negas.
Sed Te Scyllæo fidis generoſior ori,
Eſtque ſat, ad Cœlum tollere voce, manus.
Sublevat aſſeſſum ponto ſinuoſa Charybdis
Non udum, Siculæ reddidit atque plagæ.
Tangere vel leviter timuit Cithereja ſpuma
Quem telo Dius corda cremabat amor.
Es ſimilis Franciſce Petro, ſuper æquora greſſus
Ducenti, faciens tu quoque marmor aquam.
Sed tu calcaſtis flammas, etiam pede nudo,
Nec nocuit talis torrida pruna tuis.
Atlantis taceatur honos præſtantis in igne
In lucem tibi Fax cedit, & imperium.

AD DIVAM MARIAM ÆGYPTIACAM

Breviter admirabilis ejus vitæ curriculus deſcribitur.
Ejus dies natalitius 2. Aprilis.

C A R M E N.

PEccatrix, fœlix, ſolimo priùs pulſa ſacello
Indè panomphæam viſere digna Crucem.
Ad Jordanis aquas, veſtigia flectis, & illic
Crimina fles vitæ tacta dolore reæ.
Denudata peplo, ſolis & tecta capillis
Cum lacrimis auges ſacra fluenta tuis.
Nunc concreta gelu, Phœbi nunc uſta ſagittis
Plus ſimulacra feræ quam Mulieris habes.

Naja-

Najades quandòque tuam timuere figuram,
Seque fluentisonis occuluere vadis.
Sed Tu mox Syriæ vastos aggressa recessus
Vesceris hic herbâ graminis, instar equæ.
Lustra decem tanto per inhospita lustra rigore
Ducis, & infernis semper adacta dolis.
Sed Te Dia charis victorem reddidit Orci,
Siccata est gemitu tænara flamma tuo.
Intereà Zosimas te prospicit obvius, Ille
Pectoribus mestis aura secunda venit,
Tu super undantis graderis Jordanidis amnem
Præscia jam mortis, speque potita poli.
Te reficis Zosimæ manibus, de cœlite Pane,
Et penetras priscas horrida saxa plagas.
Teque triumphantem de Mundo, collocat astris,
Mors; sub humo corpus condidit ungue Leo.
Mausolea solo tellus Ægyptia vidit
Strata, brevi vixit Piramidalis apex.
Ipsa Pharos cecidit, signum dans lampade Nautis,
Ast Ægyptiacæ Fama perennis erit.

AD DIVUM BENIGNUM

Martyrem. Tomis in Scythia regione asperrima, & exulibus ferè destinata, Benignus illustrem Martyrii coronam est adeptus. Ejus dies natalitius 3. Aprilis.

C A R M E N.

URbs quæ Menaliæ rigidissima subjacet Ursæ
Jam dudum scythico nomine dicta Tomos.
Cum fuerit ventis, nivibusque immitis Olympi
Plus fuit inclemens asperitate virûm.
Hic ceù Fama refert discerpsit membra Medèa
Fratris, ut hac Patri necteret arte moras.

Hæc

Hæc tamen ut Nati potavit terra Benigni
Sanguineum laticem, facta benigna citò est:
Hausit cœlestem latebrâ gremiale calorem
Sapphiris crines pinxit & ora rosis.
Desiit exilium proscriptis omnibus esse
Exilii finis Martyris, undè fuit.

AD DIVUM PLATONEM.

Monachum. Strenuus fuit decertator pro cultu sanctarum Imaginum, contrà hæreticos, & astruitur sapientiorem esse prisco Platone, qui rerum ideas in Lunæ concavitate collocavit. Ejus dies natalitius 4. Aprilis.

CARMEN.

IDeas rerum laribus Plato contulit alter
In queis Luna solet menstrua damna pati.
In cultu sacræ decertat Imaginis alter,
Est quæ Cœligenæ picta figura viri.
Et templis statuit, firmans probiore Mynervâ
Sanctorum tabulas omne merere decus.
Quam melior novus Hic: supero dum donat honori
Effigiem Indigetis qui super astra micat.
Hujus in ore quidem construxit mellea tecta
Ingeniosarum dulcius agmen apum.
Plutonis furit ira, videns virtute Platonis,
Cœlituum terris & simulacra coli.

AD DIVUM VINCENTIUM FERRERIUM

Ordinis Prædicatorum. Alluditur ad suum nomen, & cognomen, ex quibus quasi ab omine victor extitit fraudum Kacodemonis sub specie Æthyopis præcipuè in lucta puritatis. Ejus dies natalitius 5. Aprilis.

CAR-

C A R M E N.

NAsceris ad palmæ, pugnæque renasceris omen,
Sors tua cum ferro vincere semper erit.
At quamvis ferro totos circumtegis artus;
Ad palmam pernix curris amoris avis.
Cœcus amor quoties in Te sua spicula torsit
Irrita prospexit tela vibrasse sua.
Ferrum non figunt aurata Cupidinis arma,
Stultum est, Vincenti bella movere Duci.
Cumque dolos alios Pluton meditetur & astus
Tu stygis Æthiopi vertere terga facis.
Candorem frustrà expertus temerare nigrore
Ne tibi mancipium post erit ille, fugit.

AD FESTUM TRANSLATIONIS. SANCTI ATHANASII

Civis, Præsulis, & Patroni Neapolitani. Impietate Sergii sui nepotis, coactus est exulare; undè Verulis obiit. Corpus ejus prius in Montem Cassinum delatum, mox Neapolim solemni supplicatione translatum, cujus memoria nonis Aprilis anniversariâ festivitate recolitur.

C A R M E N.

VOlvitur illa dies Athanasi dicta triumpho
Exere splendidiùs de mare Phœbe caput.
Lætitiâ gestit Siren memorare meatum
Depositi, gaudens, illud habere sinu.
Cassini colles, pia Præsulis ossa tenebant,
Posteà Partenopes accubuere plagis.
Quem prius expulsum gemuit dum vita maneret
Jubilat, Exanimo tempus in omne frui.

Indixit celebrem circumsona buccina lucem
    Inclytus è patriâ sede Senatus abit.
Attollunt humeris Proceres venerabile pondus
    Immiscet citharis carmina sacra Cohors.
Agmina templares scandunt glomerata penates
    Sistit ibi bustum, templaque thure calent.
Ambigeres esset num tota Neapolis Ara?
    Sic densat sani compita turba frequens.
Annuus extat honor, nonis recolendus Aprilis:
    Florum Natales, hæc monumenta merent.

AD FESTUM SPINEÆ CORONÆ DOMINI

Solemnia hujus festi celebrantur regulariter à Carmeliticâ Religione Excalceata, hac die, quæ evenire solet feriâ sexta post octavam Paschatis, nisi ab alio impedimento, vetetur celebratio. 6. Aprilis.

CARMEN.

NUminis ò sertum, decus immortale Tonantis
    Sanguine divinæ lota corona Comæ.
Olim sentigerus capiti labyrinthus Jesu
    Omnibus ò quanti vena doloris eras!
Nunc es lætitiæ superillita murice vitta
    Virgaque purpureæ parta cruore rosæ.
Non tibi Minôæ certet fax illa coronæ
    Nec Berenicæi temporis alter honos.
Par tibi sidereus non servat lumen Olympus
    Quælibet ex stellis est tibi flamma minor.
Quippè pedum Christi vix extant Astra scabellum;
    Vertice sed Christi Tu Diadema micas,

AD

AD DIVUM CALLIOPUM MARTYREM

In Cilicia illustrem complevit agonem, quippè affixus Cruci, & capite ad terram verso promeruit coronam. Ejus dies natalitius 7. Aprilis.

C A R M E N.

Ullm Te Calliopè parili modulabitur æstro
Calliope? haud æquum Musa sonabit epos.
Es Tu purpureæ gentis fortissimus Heros
Inter palmiferos acer Athleta Duces.
Replesti Cylicum campos virtutis odore,
Plus illo florens quo redimitur humus.
Quippè feros passus, truculentæ mortis agones
Tandem quadrifidæ das tua membra Cruci.
Sed capite ad terram verso, pedibusque supinis
In trabe deflexâ fata suprema bibis.
Quid funus nocuit? pes sublimatus in altum
Promptior æthereum cœpit, & egit iter.

AD DIVUM ALBERTUM

Patriarcham Jerosolymitanum, Confessorem. Arctissimo amoris vinculo, fuit Carmelitis conjunctus, eisque regulam tradidit observandam, quibus tandem se adjunxit, & eorum Cœnobio Christum visibili specie habere meruit. Ejus dies natalitius 8. Aprilis.

C A R M E N.

ANtistes Solimæ clarissimus antè Tiaræ
Postmodò Carmeli Montis, odorus Amor.
Dum loca Thesbitis laribus sacrata prophetæ
Incolis, & Pastor desinis esse gregis.
Te pascit superus dapibus melioribus Agnus,
Et dat melliflui lactea dona poli.

Te faciente ſacrum, ſpecie ſe monſtrat Jeſus
Viſibili, inque tua ſic amat eſſe manu.
Nec ſtupor eſt Natum reperire Parentis in Æde:
Eſſe ſua Genitum cum Genitrice decet.

AD DIVAM MARIAM CLEOPHE

Sororem Deiparæ Virginis. Incubuit parentalibus pietatis officiis in Chriſto vitæ authore mortuo, per quæ immortalitatem eſt adepta. Ejus dies natalitius 9. Aprils.

CARMEN.

HÆc eſt Diviparæ germana Maria, Mariæ
Funeribus Cleophe tota dicata Dei.
Aſpicis ut myrrhâ perfundat Numinis artus!
Ut divina novo ſyrmate membra tegat!
Ut tumulo nubat! tumulo ſeſeque recondat
Corpore non equidem; mentis at obſequio
Officium fateor lacrimoſum; aſt pignus erotos
Fœmina non poterat pandere majus amans.
Tu tamen ut vitæ Authoris jam morte perempti
Exequiis inſtas Ingenioſa piis:
Crede mihi immortalis honos, æternaque vita
Ponè ſequi, paſſu Te citiore nequit.

AD DIVUM POMPEJUM.

Martyrem. Sub Decio Cæſare illuſtrem martyrii palmam, eſt conſequutus; ſpreto enim Idolorum cultu ſuo ſanguine purpuratus, glorioſius priſco Pompejo triumphavit. Ejus dies natalitius 10. *Aprilis.*

CARMEN.

TEmporibus Decii, qui Romula ſceptra regebat
Emicuit grandis paſſio magna Ducis.

Huic

Huic nomen Pompejus erat præclarior illo
Albuleas palmis qui redimivit aquas.
Nam non Tigrànem non Reges vicit Jarbam,
Nec vectigalem fecit in Urbe Tagum.
Vicit at Augustos pro Christi lege Tyrannos
Risit & evomitas Cæsaris ore minas.
Post angues domitos, post monstra venefica spreta
Se major, propriâ de nece victor ovat.
Eugè Deci, Decies victa est tua gloria Cæsar
De te Pompejus dena trophæa tulit.

AD DIVUM LEONEM.

Romanum Pontificem. Occurrit hìc Attilæ, in Italiam venienti & vastanti omnia bellorum incendio, & sua eloquentia suasit, ut à cædibus, aliisque facinoribus abstineret, quod obtinuit, Ejus dies natalitius 11. *Aprilis.*

CARMEN.

OCcurris generose Leo fatalibus armis,
Quæ fert Ausoniis Attila crudus agris.
Non Te fax terret, gestans incendia belli
Quin fandi extinguis flumine Mulciberum.
Inter venantum tot spicula, vulneris expers
Non solum graderis; vadis at absque metu.
Torpet ad auriferam ferri seges aspera linguam
Nectareo cedunt saxea corda sono.
Non solum extincti mel fluxit ab ore Leonis,
Ast & Viventis mellea vena fluit.

AD DIVUM VICTOREM

Martyrem. Coronatus est Bracharæ in Lusitania cum adhuc esset catechumenus, proprio enim sanguine meruit baptizari. Ejus dies natalitius 12. *Aprilis.*

CAR.

CARMEN.

TU non in dubiam descendis Victor arenam
Quippè trimphalis Nominis, omen habes.
Inque fide quamvis Tiro, lustrante nec imbre
Lotus adhuc, miles ceù veteranus ovas.
Pro Divum tabulis, pro relligione fatendâ
Morsque, cruorque tuus, crimina tergit Adæ:
Occasurus in Hesperiis Sol mergitur undis,
Et ruiturus aquis, ora genasque lavat.
Sed Tu dum moreris proprio decoraris in ostro,
Et parit æternum purpura fusa jubar.
Hæc sit Victoris victoria, vincere quandò
Omnis sanguineo vena madore vacat.

AD DIVUM HERMENEGILDUM

Martyrem. Hic cum esset primogenitus Regis Visigothorum à Patre conjectus in vincula, mox est necatus, quia nunquam Arianæ impietati potuit cor apponere. Ejus cadaver, cum inhumatum remansisset, Cœlituum pompa, & cantu, est dignatum. Ejus dies natalitius 13. *Aprilis.*

CARMEN.

HErmenegilde tibi bellum quàm prætulit acre
Relligio, menti semper inhæsa tuæ!
Illa Fidem docuit regno præponere, Tuque
Tutando temnis patria regna Fidem.
Cum Patre bellaris, qui jam sectator Arii
Ingenito Genitum denegat esse parem:
Qui finis belli? Stygio Pater improbus ausu,
Carnificisque manu, regia colla secat.
Corpora quin jussit terris inhumata relinqui
Exiguo veritus nec fore digna fimo.

Sol-

Solvit funereos at lapsus Olympus honores
Visaque sunt superâ tecta repleta face.
Aligeri cecinere tui pœana triumphi
Astra sepulchrales & subiere vices.

AD DIVUM TIBURTIUM

Equitem Romanum, Agnatum Divæ Cæciliæ. Meruit hic præcibus Divæ Cæciliæ recipere Baptismum, & postmodò martyrium, in cujus passione Carnifices admirati constantiam, etiam ipsi Christiani sunt effecti. Ejus dies natalitius 14. *Aprilis.*

CARMEN.

MOrte tuâ patrios Tiburti Tibridis amnes
Currere patrasti nobiliore gradu.
Albula sanguineos ubi vidit abire pyropos
Argenti tempsit cuncta fluenta sui.
Nex tua, non solum tribuit tibi carpere palmam
Tortores etiam fecit ovare tuos.
Quippè tui vertit constantia cordis in agnos,
Qui dudum fuerant asperitate tigres.
Carnifices, lethi socios sortitus habere
Vincla, rotæ, fasces pompa fuere tua,
O' visu pulchrum sequitur solemne triumphi
Lictor victrici qui nece Victor eat!

AD DIVUM VALLERIANUM.

Sponsum castissimum Divæ Cæciliæ propter visum ab eo Angelum. Cùm hujus Equitis fuerit illustre martyrium Romæ, traxit sibi constanter suos satellites, qui unanimiter refugerunt adorare Jovem. Dies natalitius 14. *Aprilis.*

CAR-

CARMEN.

COnjugiis castis, castissimus adfuit Auspex
  Quandoquidem Cœli pronubus Ales erat.
Non tulit Hic manibus torrentes pectora tædas
  Pro face, pro jaculo, florea serta tulit.
Altera Cœciliæ flavos comptura capillos
  Altera masculeas circumitura comas.
Non locus est Cypridos thalamis, ubi Sponsa meretur
  Argumentosæ nobile nomen Apis.
Scilicet æthereis est delectata corollis
  Non est sentiferis saucia facta rubis.
Tu Capitolinum refugis coluisse Tonantem
  Quid tibi cum spurco Valleriane Jove?
Si cadis ense, comes sequitur Te stella satelles
  Hæsa tibi melius, quam sociata Jovi.

AD DIVUM PAUSILIPUM

Martyrem. Myræ in Lyciâ pro Christi confessione sanguinem fudit, & purpurata est tellus illa, novo decore. Accepit postmodum Pausilipi nomen, collis amenissimus Neapolitanus, & verisimile est ab hoc Martyre nomenclationem sumpsisse. Ejus dies natalitius 15. Aprilis.

CARMEN.

POstquam Pausilipus gladio sua colla dicavit
  Sanguine Nazaream fassus ab ore fidem.
Tellus quæ lyciâ substat regione: cruorem,
  Ut bibit, est majus nacta repentè decus.
Flora novo, Pomona novo se compsit amictu
  Utraque prosiliit fertiliore sinu.
Phœacum campos, & amena vireta putares,
  Aut hortos, tutat quos vigil ore Draco.

Exin

Exin Paufilipi nomen, Crateridis ora
Cœpit, ubi Colli jungitur Acta maris:
Hic quoque perpetuum ver, Autumnufque perennis;
Taliter ut Cœli pars quota, dicta fuit.
Ne ftupeat laudes, nec Olympica fata retundat
Quifquis: Ab Indigetis Nomine fluxit honor.

AD DIVUM THURIBIUM

Epifcopum Afturicenfem. In omni virtutum genere, exeruit fefe odoriferum Antiftitem adeò, quod de ipfo fpecialiter clamabatur, quod erat Chrifti bonus odor. Ejus dies natalitius 16.Aprilis.

C A R M E N

NOn fic ambrofios effundunt thura vapores
Cum de facrificâ fumigat Ara face
Ut flat Thuribius fuperæ Virtutis odores
Afturico Paftor dum regit Axe gregem.
Præfulis ò quantum penetrat fragrantia Cœlos!
Hac melior nufquam mulfit acerra polos.
Vas hoc incenfo mixtum concludit amomum
Omne quod & genium captat, aroma fovet.
Non eft Thuribulum quod dulcius allicit Æthram
Thuribio, Chrifti qui bonus extat odor.

AD DIVUM ANICETUM

Pontificem Maximum, & Martyrem. Statuit inter alias ordinationes, ut Clerici comas non nutrirent, eorumque caput in figuram coronæ tonderi deberet. Huic ftatuto alluditur. Ejus dies natalitius 17. Aprilis.

C A R M E N

PResbiteris templi, lectifque ad facra Miniftris
Tonderi longas præcipis ære comas.

Indignum reputas, quod longâ vefte Sacerdos
Non etiam crines nutriat aure breves.
Immeritus vertex tibi vifus Daphnide lauro
Si non cincinnis area tonfa vacet.
Quos apicem fpolias fluidis Anicete capillis
More coronati Tu facis ire gregis.
Das illis tonfas fuperent ut fortius æquor
Mortalis vitæ, fidus eantque fuper.
Quæ parit æthercam terrena Corona Coronam
Nobilior Lunæ fulgurat Orbe cyclus.

AD DIVAM ANTHIAM

Martyrem. Greco idiomate Anthia fonat flos, & verè in Viridario cœlefti effloruit Beata ifta, cujus fanguis fuit frugifer religionis agro, & ignis paffus fertilis noftræ Fidei; non etenim ferrum, & ignis arefacere potuit tam purpureum florem, fed pulchriorem illum reddidit. Ejus dies natalitius 18. Aprilis.

CARMEN

Frugifer eft fanguis, lacero quem corpore verfas
Anthia, Nazareo Relligionis agro.
Frugifer eft ignis paganâ accenfus ab ira
Jugeribus Fidei, qui tua membra cremat.
Anthia, cum flos fis, oftendat Nomen & effe
Non arere tamen, fica, rogufque facit.
Lucigeram potius foliis Tu lampada præfers
Imo purpureus caudice furgit honos.
Qui dudum Veneris clarus, vel Adonidis oftro
Flos fuit, huic flori cedat herile decus.
Dia Charis fi fortè comas ornare decebit.
Te precor, haud alio comere Flore velis.

AD DIVUM CRESCENTIUM

Confefforem. Florentiæ magnârum virtutum laudibus effloruit, adeò

adeò ut celebrem Civitatem numero Sanctorum, & suis sanctis gestis, & beatæ vitæ compendio accreverit. Ejus dies natalitius 19. Aprilis.

C A R M E N.

CRescite virtutum segetes florentibus arvis
Crescit ut accretâ spumeus amnis aquâ.
Gliscite Justitiæ flores beneolentibus hortis
Gliscit ut appositâ vivida flamma dape.
Hos parit influxus Crescentius ille colonus
Jugiter augmentum qui probitatis amat.
Nulla dies transit Cœlorum muneris expers,
In qua Divorum nec coalescat Amor.
Sidereos cumulos stupet Urbs Florentia, nunquam
Ascetis mores non venerata sui.
Usque adeò incrementa dabit Crescentius, Arno
Semper ut Indigetum floridus Altor erit.

AD BEATAM AGNETEM

Virginem ordinis S. Dominici. Propter suam charitatem, & Virginitatem prægrandes meruit favores à cœlesti Sponso, & miraculis clara, in monte Politiano obiit. Ejus dies natalitius 20. Aprilis.

C A R M E N.

AGgnes est Virgo, niveo quæ vellere tecta
Apparet, vernis, & redimita rosis.
Hanc Agnus quantùm Divinus diligit Agnam!
Delicium cordis, pectoris extat amor.
Consortem thalami fecit cœlestis, & illa
Possidet ætherei fœdera casta tori.
Portentis itidem famosam jussit & esse
Quà rerum Dominam penè fuisse putes.

Quid supereſt Sponſæ niſi gloria ſanguinis Agnæ?
Hoc etiam meruit Politiana decus.
Ara manet pectus, quod Cœlifer ignis adurit,
Et melior Lictor viſcera ſindit Amor.

AD DIVUM ANSELMUM

Epiſcopum Cantuarienſem. Natus eſt Auguſtæ in finibus Italiæ. Inſectatus eſt ſuis ſcriptis errores Pelagii. Villelmus qui erat infenſus hoſtis Anſelmi, inter venandum confoſſus eſt ſagitta. Ejus dies natalitius 21. *Aprilis*.

CARMEN.

Auguſtâ natus puer eſt Anſelmus in Urbe
Finibus undè ſuis deſinit Auſonia.
Urbe ſed eſt Civis proh quantum Auguſtior unus!
Plus decoris patriæ quàm tulit, Ipſe dedit.
Pelagii inſectator atrox, calamoque, ſonoque
Uſus, in hæreſeos prælia movit hydram.
Semper Victoris tamen eſt redimitus honore
Fortior & clavâ, penna diſerta fuit.
Anſelmo infenſi Villelmi, vindice Cœlo
Inter vænandum fixit arundo jecur,
Quis Duce cum tanto non decertare timebit,
Cui calami ſervit bis geminata ſeges?
Cum velit ille ſuis affert certamina pennis
A' Cœlo calamos cum velit ille vocat.

AD DIVUM CAJUM

Pontificem Maximum, ex genere Imperatoris Diocletiani Scelere hujus obtruncatus eſt, media in Roma; ſed renovata ejus memoria ab Urbano VIII. dante illi titulos, & dicante Eccleſiam. Unde ad hoc alludit Apis inſigne hujus Maximi Pontificis. Ejus dies natalitius 22. *Aprilis*.

CAR-

C A R M E N.

AUgusti generis Cai, Pater inclyte Romæ
Dat tibi natales Illiris ora dies.
Cæsaris effrænes veritus vitasse furores
Conderis extremi sub cavitate speci.
Jussit at in campum fidei constantia Christi
Cæsareas temnens prosiliisse minas.
Tu cadis antè diem, scelerati victima ferri
Romuleam fuso sanguine pingis humum.
At manet in fatis, quòd post tot sæcla, Coronæ
Pompa triumphalis sit renovata tuæ.
Urbanus titulos, & sacras dedicat Ædes.
Erectis pendet multa tabella tholis.
Mortis honor rediit, cinis est redivivus ab urna,
Et structæ florens est fabra Molis Apis.

AD DIVUM GEORGIUM

Laude bellicâ insignem, illustriorem tamen martyrii palma eò quod constantissimè rotam ferream laniantem, sua passione superarit. Dies natalitius 23. Aprilis.

C A R M E N.

TU belli fulmen, Tu Martis fama Georgi
Quot cinxere tuas laureas serta comas!
Non tamen est uno tua laus contenta Gradivo
Te vicisse Rotam, gloria summa fuit.
Quæ rota? membrorum compages scindere structa
Dum Christi diam fassus es ore fidem.
Orbita quot cultris horret! qua cuspide sævit!
Illius ad giros carnea massa cadit.
Sanguineo totus roras de murice, potat
Stillantes lacero corpore terra rosas.

Tu tamen impavidus Miles, Virtutis agellos;
Purpureâ cultos alluvione rigas.
Te ſtupet immotum Fortuna volubilis: orbe
Quo peris, Æthra ſuas dat ſuper ire rotas.

AD DIVUM LEONTIUM

Martyrem. Glorioſiſſimi Martyrii coronam nactus eſt ſæviente Diocletiani perſecutione in Chriſtianos. Ejus dies natalitius 24. Aprilis.

CARMEN.

RUgitus timuere tuos nigra Regna Leonti
Cominus ut tales aure bibère ſonos.
Divorum Statuæ procul hinc, procul indè nothorum
Illis tartareæ ſint locus aptus haræ.
Unum Magnanimus Numen Leo novit: Olympi
Quod tellus, Æther, quod mare clamat Herum.
Pro Cœli Domino lucrum eſt vale dicere Vitæ
Quælibet haud renuit fata ſubire Leo
Cui ſi fortè mori dabitur, Rex præſtò ferarum
Mellitos fundet rurſus ab ore favos.
Fallor: Signifero vomitabit in Orbe favillas
Igniferi Dium Sidus amoris erit.
Sic ais, & ferro corpus generoſe Leonti
Sacrans, divitias Ætheris ungue, rapis.

AD DIVUM MARCUM EVANGELISTAM

Patronum ſingularem Reipublicæ Venetæ, cujus inſigne eſt Leo alatus. Sanctus hic Evangeliſta figuratus eſt à Prophæta ſub typo Leonis, & ipſe fuit Anteſignanus inſtitutor vitæ Eremiticæ, quam poſteà amplexi fuerunt Paulus, & Antonius,

nius, unde deserta illa cesserunt in Paradisi hortos. Dies natalitius 25. Aprilis.

CARMEN.

ALati decorant Te stemmata Marce Leonis
Se subdunt omnes ad tua jura feræ
Ægyptus cessit quod bruti bruta colebat
Ex quo rugitus ebibit aure sacros,
Mugiit haud Apis, tacuit latrator Anubis,
Et non ulteriùs Vacca boavit Io.
Desiit Isiacus sistro strepitare Colonus
Cœpit ut audiri vox tua fœta favo.
Nil Nili tellus Mareotica debuit undis
Cum frugi fruges altera culta Viro est.
Et nunc Barbaricas inter vagus Hadria prædas
Venatu gaudet, quem capit ungue Leo.
Qui Leo Zodiaci flammas jacit igneus orbe
Per Te Marce, Maris vel dominatur aquæ.

AD DIVUM CLETUM

Romanum, Pontificem Maximum. Multùm hic incumbit Religionis augmento, & cum Romam sacram suis ordinationibus reddidisset, sacram fecit tandem suo Martyrio. Ejus dies natalitius 26. Aprilis.

CARMEN.

EMiliâ de stirpe satus, capis Urbis habenas
Augusto Romæ, sceptra gerente Tito.
Tu lectos Proceres, sarrano murice dignos
Efficis, ut tabulis sanxerat ante Petrus.
Auspice Te vidit Tiberis laurentibus arvis
Multiplicata suis laurea serta comis.
Crevit Relligio, fluidum quam Martyris ostrum
Egit, ut in Latio luxuriaret agro!

Ru-

Rubra Cohors, fato major de funere paſſo
Teſtantes palmam vidit habere lares.
Non titulis Statio caruit, non carmine tumba
Illius ut fuſus ſtaret honore cruor.
Reddita Roma ſibi eſt, & poſt hæc inclyte Clete
Sanguine purpuream Tu facis eſſe tuo.

AD DIVUM MARCELLINUM

Pontificem Maximum. Is timore tormentorum adolevit thura Diis, poſteà facti pœnitens Tyrannum authorem facti increpat, & fortiori animo martyrium ſubit, Ejus dies natalitius 26. Aprilis.

CARMEN.

QUâm doluit pia Roma, lupæ nimis oſſa mamillas
Poſt ubi Paſtorem vidit in ore lupi!
Ingemuit certè cum Marcellinus ad aras
Obtulit indignis thura nefanda Diis.
Aſt ea quæ tragicos dederunt proſcænia queſtus
Feſtivos Tibridi poſt retulere ſonos.
Antiſtes Nemeſis compos, monet ore Tyrannum
Is quia mortiferæ labis origo fuit.
Quandoquidem, gabalos, ignes gladioſque timebat,
Et mala quæ Sanctis dat ſine fine Viris.
Non tamen alma Fides Chriſti, de corde receſſit
Pro qua mille cupit nunc ſubiiſſe neces.
Sic Pater, Euripi medio tremefactus ab æſtu
Tutius æquoreas mox ſuperavit aquas.
Conſultò Natura Polo trepidare dediſti
Ne terrore, Poli Claviger ipſe vacet.

AD DIVUM CASTOREM

Martyrem. Tarſi in Cilicia, multis affectus eſt ſuppliciis demum

mum gladio animadversus, illustrem Martyrii coronam est adeptus. Ejus dies natalitius 27. Aprilis.

CARMEN.

Pollux, dimidium cum Castore partiit ævum
Contentum Sidus vivere dimidium.
Tu melior Castor, melius Tu sidus, habes hoc
Non intermissâ fundere luce jubar.
Contigit hoc fatum, cum Tarsi faris in Urbe
Veram Nazarei Numinis, esse fidem.
Eloquium peperit, fragilis dispendia vitæ;
Ast immortales egit inire dies.
Si modò Tu Castor piratica damna repellis
Illis velivolum, qui salis æquor arant.
Respice me fluctus inter, furumque pericla
E' Cœli nostram sede tuere ratem
Est siquidem pelagus, mortalis vita, procellis
Subdita, naufragiis vota, propinqua neci.
Tu de prædantum me solve timore latronum
Fac Duce Te, portus sit mihi præstò Polus.

AD DIVOS DIDIMUM. ET THEODORAM

Martyres. Ducta Theodora Virgine Alexandrina ad lupanar, quia Christiana, erepta est à tanto discrimine, opere Didimi Militis, qui commutatis vestibus, ansam dedit, ut Puella virginitatem servaret, & ille remaneret sacrificandus impietati cultorum Idolorum: postmodum exortâ contentione inter duos de morte subjenda, laudabiliter simul percussi sunt, & coronati. Dies natalitius 28. Aprilis.

CARMEN.

Vota lupanari se Militis induit armis
Virgo, puellares Vir recipitque peplos.

Huic Didimi nomen, Theodoræ nomen & Illi
    Sexu diſſimiles; at fatis ore pares.
Ars bona, qua fugiens Mulier fit tuta pudoris,
    Vir remanens, Fidei nobilis eſca cadat.
Nullibi deriſus meliùs, Mauorſque, Venuſque:
    Fingendo, geminos luſit uterque Deos.
Sed pugil ad pœnas tractus, ferroque ſacrandus
    Excipit optatæ non citò vota necis.
Obſtat ei Mulier, lethi ſibi præmia poſcens
    Hic pro Me dixit victima mortis obit.
Ipſa Ego, vel Chriſti ſum Relligionis Alumna,
    Et nos unus Amor fibulat, una Fides.
Mox dirimit litem gladius, conceſſus utrique
    Vir cadit, & Mulier non minus enſe perit.
Diſſidium fœlix, fortunatiſſima lucta
    Vicerunt Ambo, cum periere ſimul.

AD DIVUM PETRUM MARTYREM

Ordinis Prædicatorum. Ortus eſt ex infidelibus Parentibus, ipſe tamen mirè orthodoxam fidem coluit, pro cujus bonore necatus eſt. Dies natalitius 29. Aprilis.

CARMEN

INfidi fidum Te progenuere Parentes
    Quis credat! nitidum protulit umbra jubar.
Inſtar Apollinei radios Tu Petre Planetæ
    Spargis, Quàque migras, lux venit aucta comes.
Nox cadit errorum, noxæ ferus exulat horror,
    Et dat ſplendori victa tenebra locum,
Hæreſis infremitat, Sobolem ſpectare fugantem.
    A' quo proſiliit fertile labe genus.

Sub-

Subjicitur Manichæa cohors, & ſaucia petris
    Mortua, Veronæ ſub tumulatur humo.
Non Aquilam fortem, naſci de imbelle Columbà
    Res eſſet cunctis prodigioſa Viris?
Plus eſt quod clarè generarit Talpa Videntem
    Innocuam coluber quodque crearit Ovem.

AD SANCTISSIMAM VIRGINEM
CATHARINAM SENENSEM

Ordinis Prædicatorum. Elegit ſpineam corollam deſpecta florida. Corpus catenis ſubjecit, meruit virgineis artubus, Chriſti vulnerum inſignia. Elevata fuit ſæpiſſimè, & facta digna Divini Sponſi conjugio. Ejus dies natalit. 30. Aprilis.

C A R M E N.

IN Te omnes Pindi jaceret Polihymnia flores
    Ni plus diligeres ò Catharina rubos.
Præfers æratas mordentes membra catenas
    Floræ pignoribus, vertice quotquot alit:
Pallida purpureo placuiſti Fœmina Sponſo
    Abjeciſſe aurum regia Gaza fuit.
Quinquè faces præjere tori feſtiva jugalis,
    Quæ de Vulneribus quinque fuere notæ.
Conjugis ad thalamos veheris non ducta quadrigis
    Sed Te ſublimem corpore fecit Amor.
Hinc cordi reſilire fuit repetita poteſtas
    Non ſecus impatiens carceris eſſet humi.
Fœlix qui ſentes, ſpinaſque tripudiat inter
    Cui venit ad Choreas ipſe Choragus Eros.
Nil Veneri gravius, quàm vepribus hiſce feriri
    Ah cordi vulnus Spinea fecit acus.

AD DIVUM SEVERUM

Civem, & Patronum Neapolitanum. Splenduit Antiſtes, omni virtutum genere, & in càſtigatione ſui corporis fuit eximius. Mortuum è ſepulchro revocavit, ut confiteretur ſolutam pecuniam, quam mendax Creditor à Vidua quærebat. Inſuper pius, adverſus ſontem, vetuit ne falſus calumniator de hoc crimine plecteretur. Tempore mortis ſuum cubiculum à terræ motu eſt concuſſum. Ejus dies natalitius 30. Aprilis.

CARMEN.

MOribus, ò quantùm mitis, qui voce Severus
Eſt Præſul! Sonti nec pius eſſe negat.
Implacidam mulcet Mortem revocatque ſepulchro
Defunctum, veros reddat ut ore ſonos.
Exanimus, nummos habitos Muliere fatetur
Nullius Viduam fœnoris eſſe ream.
Creditor ah mendax, Tu mox perjuria ſolves
Mulctèris pœnâ, quam tua noxa meret.
Non: vetat Antiſtes, pietas cui pectore vivit
Patratum dixit ſit ſibi pœna ſcelus.
Qui lenis cunctis, eſt in ſua membra Severus
Corpore torquendo ferrea corda fovet.
Diſplicit Aſtreæ nimius cruciatus, humoque
Ter motâ, ſic ait, Jus petit, Aſtra pete.

AD DIVUM PHILIPPUM APOSTOLUM.

Attulit Fidem Scythicis regionibus. Vetuit ne Phryges viperam adorarent, & cũ mirificè Chriſtianam Fidem propagaret lapidibus eſt obrutus, ſed prece impetravit ne terra ſuo motu fuiſſet nocua perduellibus. Dies natalitius 1. Maii.

CAR-

CARMEN.

EN ubi vernantes afflat modò Majus odores.
Nil mihi plus libeat quam memor esse Tui.
Tu Fidei Christi ver dulce, Philippe tulisti
In Scythiam, passam solstitiale gelu.
At Colubræ cultum renovari Dive vetasti
Cum renovat spolium vipera vere novo.
Vipereis hinc turba odiis Te percutit, imbre
Saxorum, jactis durior Ipsa petris.
Tu lapides inter, lapidis Solidissimus instar
In Christi obduras mollia corda Fide.
Dum peris, ecce tremit Tellus commota piaclo
Ulcisci tantum quippè parata nefas.
Sed prohibes, terræque negas aperire sepulchrum,
In silices scissum nec sinis ire solum.
Saxea Tu potius cupiebas pectora frangi,
Atque dari lapidum carnea Corda Viris.

AD DIVUM JACOBUM APOSTOLUM.

Cognominatum Fratrem Domini, cui & in ore assimilabatur. Fuit primus Præsul in Hierosolyma pro Christi Fide martyrium passus. Dies natalitius 1. *Maii.*

CARMEN.

FLoriferis Maii tibi nunc Jacobe Kalendis
Martyrii surgit verna corona sacri.
Fratris habes Nomen, magni vultumque Parentis
Hinc propè divinæ stat tibi Sortis honor
Antistes palmam meruisti primus habere
Frater ubi Solimis de nece victor iit.

Cul-

Culmine dejectus templi, clavâque petitus
In præceps casus te super Astra tulit;
Dissimili Fratris fato; nam Christus in altum
Pro Genitore, Cruci victima vota fuit.
Vertice Tu templi jactus, pro Fratris honore
Est tua fullonis Vita sacrata trabi.

AD BEATUM PIUM V.

Pontificem Maximum. Ordinis Prædicatorum. In hoc eluxit cùm eximia vitæ pietate, grande desiderium propagandæ Christianæ Religionis; hinc contrà Selimum Turcarum Imperatorem classem comparavit, & plus piis precibus, quam fœderatorum armis, insignis illa victoria navalis obtenta est, cujus postmodum memoria, die assignata festivitati Sanctissimi Rosarii Beatissimæ Virginis est. Ejus dies natalitius 1. Maii.

CARMEN.

ORnari Pietas, Feritas tabescere cœpit
Cum Pius in rabidum contulit arma Scytham.
Candida Threjiciæ nigruerunt cornua Phœbes,
Luna mari periit, quæ dominatur aquis.
Vox pia, Christiadum, classem redimivit ovantem
Impia sed Thracum carbasa capta tulit.
Scilicet adversos compescuit aere Cauros,
Et Zephyros fausto murmure flare dedit.
Pontificis votum palmæ fuit omen, Ibero
Sic Marti favit, Jusque, Piumque suo.
Allicuere polos celebrata piamina ponto,
Ut fuit Odrisia labe, piata Thetis.
Vive Pii pietas, ob odora rosaria Victor
Quindenæ referent hæc monumenta Rosæ.

AD

AD DIVUM ATHANASIUM

Ecclesiæ Græcæ Doctorem, & Alexandrinæ Episcopum. Habuit contrà se conjuratum penè totum Orbem. Ipse tamen fuga suos vicit Adversarios. Calumnias, & insidias Arianorum detexit, & veteri cisterna delituit, in qua libros scripsit Catholicam Fidem mirificè confirmantes. Ejus dies natalitius 2. Maii.

CARMEN.

TU ne fugâ superas Athanasi fortiter Hostes?
Sic olim Parthus vincere suetus erat.
Non fuit Augusti tibi par constantia, quamvis
Illi Constantis de Patre nomen erat.
Æmulus insidias in Te quot cudit, inanes
Efficis, ut fumos dissipat aura leves.
Ante Patres, manus Arsenii, Muliercula plorans
Credita ridiculi signa fuere doli.
Tu puteo latitans pugnas indicis Ario
Arcanus calamus, buccina tacta fuit.
Ingenii nusquàm fluxit magè gemmea vena,
Quam tua, quæ superi cœperat imbris aquas.
Immortale decus meruere Volumina scripta:
Inter cupressos, digna fuere Cedro.

AD SOLEMNIA SANCTÆ CRUCIS.

Ejus dignitas, & festiva Inventio commendatur, & vivificæ arboris gloria recolitur. Celebris dies festivitatis 3. Maii.

CARMEN.

SAlve splendidior cunctis Crux splendida Stellis
Sanguineo Domini murice picta tui.
In Te Rex Regum, quia fictus amore pependit
Servatrix Orbis diceris esse Salus.

Jam

Jam tibi tolluntur pariis fabricata columnis
    Fana, ſuperpoſitis ignibus Ara calet.
Defunctos revocas ad Vitæ munera Manes
    E' tumulis ſurgunt oſſa ſepulta cavis.
Quin validis ſtygium loris Plutona flagellas
    Quippè catenatum ſub tua jura trahis.
O' fœlix Arbos ulnis complexa Tonantem
    Dans Mundo vitam, cùm perit ille trabe.
Elyſii lignum nemoris, præcluſit Olympum
    Hoc Lignum, Cœli dat reſerare fores.

AD DIVUM ALEXANDRUM

Pontificem Maximum Romanum. Aſſumptus eſt ad Pontificatum penè juvenis, ſuſtulit præceptos cruciatus, catenarum, & ignis; ſed nec catenæ, nec ignis voracitas, vitam amputarunt. Repertor fuit fontis luſtralis. Ejus dies natalitius 3. Maii.

CARMEN.

DIgnus Alexander pyliam complere ſenectam
    Mors illi ſtadium dat peragrare breve.
Cum regeret Petri juvenili robore Navem
    Non canus, canas præpes it inter aquas.
Clavo incumbentem dejecit puppe, Tyrannus
    Pontificis veritus mergere poſſe Fidem.
Fallitur: & fruſtrà cruciatus æris, & ignis
    Mandat; Alexandro, flamma, chalybſque favet.
Spontè ſuâ, manibus nexæ cecidere catenæ
    Auſa nec eſt tantum flamma vorare Patrem.
Magnus es in Flammâ fateor; ſed major in Unda
    Nam tibi luſtralis debita fontis aqua eſt.
Mirum! quæ ſtygiis coquitur ſtirps ſacra caminis
    Sacratos latices, Najadaſque timet!

AD

AD DIVUM EVENTIUM MARTYREM.

In passione comitem supraenunciati Pontificis, qui fortiter passus est flammas, & est securi percussus. Ejus dies natalitius 3. Maii.

CARMEN.

FOElix; eventus tribuit Cui vita secundos;
 Postque datur fato prosperiore mori.
Illi mortalis vitæ, mare Trajicienti
 Flat Ventus, leni qui movet ore Thetyn.
Donec securi delatus ad ostia portus
 Terminat æquoreum nautica pinus iter.
Contigit hæc tibi sors Eventi: vita peracta
 Passaque mors terris, utraque fausta fuit.
Exanimis flammâ, pro Christi munere, Ventus
 Flans, Superas tribuit velificare plagas.

AD DIVUM THEODULUM

Presbiterum, Martyrem consortem, pœnæ, & martyrii Alexandri, & Eventii, in Urbe Româ passi. Alluditur ad numerum ternarium trium Heroum martyrio coronatorum. Ejus dies natalitius 3. Maii.

CARMEN.

TU quoque Martyribus binis, superadderis alter
 Presbiter ingenuis ô Theodule stolis.
Gaudia morte tuâ triplicas ridentis Olympi,
 Se ternâ visi plus adolesse face.
Cum ter lanificæ, Divorum stamina Parcæ
 Truncarunt, Furiæ ter gemuere stygis.
Tres etiam Charites, triplo plausere canori.
 Quem quasi sacrifico Tres cecinere foco.

Qui poterit melior fulgere Triangulus Axe?
Hac trinâ fauſtus Juppiter, uſque domo eſt.

AD DIVUM JUVENALEM

Epiſcopum Narnienſem. Multa in ea Urbe patravit ſanctitatis portenta, illamque mirè adjuvit, præſertim cum ſimulacra Ethnica, Bacchi, & Phœbi protrivit quapropter innumeras Deo, lucrifecit animas. Dies natalitius 3. Maii.

CARMEN.

NArnia ſulphureis mihi dic Urbs clara ſcatebris
Adjuvit quantâ Te Juvenalis ope?
Non fuit Antiſtes tam præſtò juvantior Illo
Unus erat cunctis certa medela malis.
Portus in Euripo, dans lumen nocte Diana,
In latratrici tegmen, & umbra face.
Æternâ fortaſſe tibi florere juventâ
(Cum Phœbi, & Bacchi fana ruère) dedit?
Sic equidem, Cui redde pares Nar munere grates
Si Te Phœnicem, Præſulis egit Amor.

AD DIVAM MONICEM

Matrem Divi Auguſtini, Doctorem Eccleſiæ auguſtiſſimum. Rememorantur lacrimæ bujus Sanctæ Matris, quibus lucrifecit Chriſto filium. Ejus dies natalitius 4. Maii.

CARMEN.

HEliadum fletus, quibus edita ſuccina, quandò
Ditarunt Itali glauca fluenta Padi:
Haud Monices certent lacrimis, quas elicit imo
Pectore, dum Natum plorat ubique ſuum!
Sed neque Matutæ gemitus, plorantis Achillem,
Baccha quibus ponto creditur eſſe ſata.

Neu-

Neutræ rorifero ſtillantes lumine guttæ
Vitali Manes reſtituere faci.
Tu Monice pluſquam defunctam corpore prolem
Adjicis illi ævo, quod ſine morte fluit.
Auguſtinus humi velut arida planta vireſcit
E' Genitricis aquis, quæ ſine fine ruunt.
Cedite Vos Divæ, baccas, electraque terris
Enixæ: planctu dona dediſtis humo.
Edidit hæc Mulier ſapphirina Sidera luctu
Lacrimulæ, gazas & peperere Polo.

AD DIEM FESTUM TRANSLATIONIS RELIQUIARUM SANCTI JANUARII MARTYRIS

Civis, & præcipui patroni Neapolis. Solemnitas hæc patrio nuncupatur vocabulo, Proceſſio coronatorum Sacerdotum ſitque die 4. Maii, in qua ab Archiepiſcopo defertur Sanguis Divi Januarii liquefaciendus ad occurſum Capitis, quod eſt inauſpicatio, ferè infallibilis rerum proſperarum in Civitate, & Regno Neapolitano.

C A R M E N.

PRodige de Cœlo nimbos Matuta roſarum
Fac oriantur humo Tu quoque Flora croci.
Eſt opus ornetur verno de flore Sacerdos,
Sertaque ſint tonſas implicitura comas.
Ecce viam longo Præſul capit ordine: Clerus
Anteit, antiqui ceù docuere Patres.
Ille ſub Umbellâ concretum Sanguinis oſtrum
Januarii defert, ſub penetrale vitri.
Scilicet occurſu Capitis liquefiat & omen
Lætitiæ Siren Partenopea ferat.

Festa dies certè, qua non rimamur in extis,
Aut pecuduum fibris, quæ venienda manent.
Sanguine sed vivo, Civis scrutamur amantis,
An nobis rerum det bona signa Sator.
Sancte Cruor, totiès Vesævi mortifer igni
Ure semel, Dio pectus Amore meum.

AD DIVUM ANGELUM MARTYREM

Ordinis Carmelitici. Leocatæ in Sicilia illustre martyrium consumavit: quia publicum crimen incæstus Fratris cum Sorore increpaverat; Undè ab amenti Sicario occisus est quando vidit Sororem resipiscentem à malo ex efficacibus verbis Angeli. Ejus dies natalitius 5. Maii.

CARMEN.

INcæstum Fratris crimen, crimenque Sororis
Prodebat centum territa Fama tubis.
Horrebat facinus, flammarum Mulciber altor,
Condere sub facibus vellet, & Ætna suis.
Perculit Angelicas tantum scelus ociùs aures
Ad Siculos quandò pes suus ivit agros.
Undè palam carpit Veneris commercia fœdæ
Increpat & meritis fulchra nefanda notis.
Vincula sed solvit Mulier conversa Loquenti
Vir furit in Sanctum, cœcus amore probri.
Arripit hic gladium, festinoque impete costas
Illius & pectus terque, quaterque forat.
Tu cadis antè Aras, scelerati victima ferri
Angele, Sidereæ Virginitatis amor.
Te mox Aligerum tollunt super astra phalanges
Supremis Socium sufficiuntque Choris.

An-

Angelus in terris, qui manserat: Axe potitus
De Solis Seraphim fas erat esse Comes.

AD DIVUM JOANNEM EVANGELISTAM

Pro festivitate ante portam Latinam. Missus est Apostolus in dolium ferventis olii à quo vegetior exivit, quàm cùm intravit, & illud tangitur dictum à Christo, quod Discipulus ille non moritur. Dies festivus 6. Maii.

CARMEN.

Mittitur in dolium ferventis Palladis Ille
Dignatus Matris filius esse Dei.
Fomite quantumvis calido, bulliret oliva
Lædere Virgineum non fuit ausa Virum.
Exiit incolumis, vegetique potentior ore
Non secus à vitreâ prosiliisset aquâ.
Sic tres Isacii flammas risere Puelli
Accendit rabies quas Babylonis Herus.
Ignes extinxit cœlestis flamen amoris
Quem contrà Veneris non valuere faces.
Mulciber, & Pallas vires cessere, parumque
Si fuit, En telum Mors quòque novit hebes.

AD DIVUM STANISLAUM

Episcopum Cracoviensem Martyrem. Obtruncatus est manu Regis Boleslai quem jam Sanctus Præsul prodigio terruerat excitationis defuncti à sepulchro, confitentis solutionem pretii de agro ab ipsò empto, de quo tabellæ non erant veritatem testantes. Suum Corpus in frusta dissectum repertum est integrum. Ejus dies natalitius 7. Maii.

CAR-

CARMEN

URbs quæ Sarmatici propriùs colit aſtra Boothis
Hæſit prodigiis ter ſtupefacta tuis.
Stanislae : tuâ trimum de voce cadaver
Surgit, quod tumulo pulvis eratque cinis.
Fit Fidei teſtis, de quo non ulla tabella
Manſerat, & pretium ritè fatetur agri.
Vivus ad Humanum Vir ſiſtitur iſte tribunal,
Qui jam Divinum mortuus antè ſtetit.
Te ne Boleslae hæc minimè miracula terrent?
Inſanit rurſus cordis in arce furor?
Inſanit Rex impius : Ah mortis domitori
Intentans mortem, diſſecat enſe ſuo.
At mirum! ſectum corpus ſe nectit in unum
Effuſus ſanguis glutinis inſtar abit!
Cur non vitales redivivum venit ad auras?
Alterius teſtis non opus inde fuit.

AD DIVUM FLAVIUM MARTYREM

Coronatus eſt Martyrio in Urbe Nicomedienſi cum duobus ſuis Fratribus Auguſto, & Auguſtino. Ejus dies natalit.7.Maii.

CARMEN.

AUguſtos inter tibi dat Victoria Flavi.
Biſgeminos Fratres, imperiale jubar.
Tu trahis ad palmas germanâ voce ferentes
Induperatoris nomen ovale duos.
Flavius an potiùs fluvius portator honorum
Eſſe videris? habes Martyr utrumque decus.
Evehis ad Cœlos junctos tibi ſanguine, quando
In te viderunt ſanguinis eſſe nihil.
Exemploque tuo flavi meruere metalli
Ambo, circumiens mox diadema caput.

Sed

Sed tibi ne Regum defit Chlamys : ecce cruore
Fraterno, & proprio, Purpura picta tua eft.

AD DIVUM MICHAELEM ARCHANGELUM

Tutelarem totius Apuliæ, fed præfertim montis Gargàni, in quo apparere dignatus eft. Dies natalitius 8. *Maii.*

C A R M E N.

Lapfus ubi Michael Princeps, ex Ætheris arce
Eft mare concuffum, contremuitque folum.
Hæc olim. Nunc quà Gargàno vertice fidit.
Pacantur Thetidis regna, quiefcit humus.
Daunia Barbaricas deridet Apulia prædas
Signiferi gladium, Thracia vela pavent.
Dejice Palladii tutamina prifca Sipontum
Tutius Aligeri Numine, fofpes ades.
Afflant Angelicæ tibi mollia flamina plumæ
E' truncis adigunt crefcere manna tuìs.
Furari tu Luna cave vada cærula cornu.
Sique negas, cafum perpetiere freto.
Luciferum ftygias mifit qui Sidus in undas
Non poterit Lunam fub tumulare mari?

AD DIVUM GREGORIUM NANZIAZENUM

Doctorem cognomento Theologum. Commendatur divina ejus doctrina. Pugnam habuit cum Macedonio, & Apollinari, quos ftrenuè devicit, præcipuè Julianum Imperatorem Apoftatam fuis carminibus illufit. Dies natalitius 9. Maii.

CAR.

C A R M E N.

OS ubi Gregorii, Superosque, Deùmque reclusit
Posthabuit veteres Græcia docta scholas.
Mente parum fuit Orbem conclusisse peritâ
Illi divinas ni reseraffet opes.
Ex æquo robur calami, roburque loquendi
Ambiit hinc sacras dupla corona comas.
Scit Macedo pugnax imbellis factus: Apollo
Scit pariter per Eum postmodò lucis hebes.
Plus aliis, vires agnovit Apostata Cæsar
Gregorii ad carmen fabula mansit humi.

AD DIVUM ANTONINUM

Archiepiscopum Florentinum Ordinis Prædicatorum. Fuit insignis Ecclesiasticæ historiæ excarator, & vitæ sanctitate strenuus Operarius, in vinea Dominica. Imperium exercuit in Dæmones, & adhuc contra ipsos pro Tutelari agnoscitur. Ejus dies natalitius 10. *Maii.*

C A R M E N.

O' Flos Pontificum, florentis Legifer Arni
Par tibi cùm lituo, par calamoque decus.
Dum tabulis renovas veterum monimenta Parentum
Themata das aliis, qui tua gesta canant.
Orci Tu domitor, phlegetontidis Agminis horror
Pellis ad obscuros tartara spectra specus.
Umbrarum fugiunt simulacra, nec occupat ædes
Per te tænarius qui stetit antè timor.
Uritur Imperio Pluton, furit arsus ab ira
Aspiciens Regni sceptra caduca sui.
Antonine, aliis calamo das lampada vitæ
Manibus infernis addis at ore rogum.

AD

AD DIVUM GORDIANUM

Martyrem. Hic cum Januarium Presbiterum antè ſe ductum, ut Chriſti fidem abnegaret, & audiviſſet veræ fidei documenta pandentem: extemplò Evangelii veritatem amplexus eſt, cum tota ſua domo. Quod ubi reſcivit Julianus Apoſtata capite plecti imperavit. Dies natalitius 10. Maii.

CARMEN.

DUm Vindex, legum ſiſti petis ante tribunal
Januarium, leges Te docet Ille ſuas.
Judicis exueris ſpolium, fit & Arbiter æqui
Presbiter ore potens, qui reus antè fuit.
Tu non detrectas amplecti Cœlica jura,
Quæ labiis Nati proſiliere Dei.
Curris ad æthereum qui tergit crimina fontem
Seque luit lymphâ ſtirps tua tota ſacrâ.
Iratus Cæſar cui nomen Apoſtata Julus
Vertice te plecti perfidus ore tonat.
Solveris à gladio ceù nodus Gordius alter
Mortalis vitæ vincula nulla manent.
Quam melius de Te ipſo impleta oracla fuerunt!
Gordias haud Aſiæ, regna ſed Axis habes.

AD DIVUM EPHIMACHUM

Martyrem. Poſt diuturnum, & pœnoſiſſimum carcerem, in Urbe Alexandrinâ, eſt conjectus in ignem, ubi laurea Martyrii eſt coronatus. Ejus dies natalitius 10. Maii.

CARMEN.

EPymachus pugnax, unàque Feretrius Heros
Dum certamen init, laurea ſerta capit.
Non illum frangit manibus religata catena,
Nec torquens geminos ænea ſpira pedes.

Haud animum turbat tenebrosi carceris horror
Vel diuturna putri tempora victa solo.
Durior in medio sua fit Constantia ferro
Ex umbris Illi clarior exit Eos.
Vivus Alexandri tandem cum flagrat in Urbe
Tunc magis illustrem torrida flamma facit.
Non unum vidit tellus nabathæa flagrantem
Surgere Phœnicem: Credidit esse duos.

AD DIVUM ILLUMINATUM

Confessorem. Hic ab omnibus Civibus dilectus erat, ab uno Æmulo tantùm spretus. Ejus dies natalitius 11. *Maii.*

CARMEN.

DIve (sonat nomen) de lumine diceris ortus
Utque micet lumen Numinis, usquè studes
Invidus ast odiis id temnit amabile Nomen
Quem reor è stygiâ nocte fuisse satum.
In mediis tenebris oriuntur lumina Rectis
At contrà, reprobos lumen obumbrat idem.

AD DIVUM NEREUM

Martyrem. Passus est hic Romæ tormentum equulei, & flammarum, postmodò securi percussus martyrio est laureatus. Ejus dies natalitius 12. *Maii.*

CARMEN.

QUem tellus priscum celebravit Romula Nereum
Cui maris imperium credidit esse datum
Risit, cum vidit potiorem postmodò Nereum
Morte suâ, superos advolitare polos.
Quæ fuit illa dies, qua flammæ victor & ensis
Nereus ad Cœli limen ovalis iit!

Illi

Illi, Templa, Domos, ſolemnes obtulit Aras
Abſtulit Æquoreo Turba quirina Deo.
Dum Tiberis, Nereo cenſum perſolvet aquarum
Huic meliùs, laudum ferre tributa volet.

AD DIVUM ACHILLEUM

Martyrem. Romæ conſecutus eſt laureæ coronam, & confertur cum Græco Achille cum præeminentia Martyris ad Militem. Ejus dies natalitius 12. *Maii*.

CARMEN.

NOn ſic Æacides, Trojæ ſub mœnibus altis
Fulmineo profugos terruit enſe Phryges.
Alter ut Indigetes genios tremefecit Achilles
Martia quos tellus eſt venerata Deos.
Hujus ab auſpiciis Idola quirina dehiſcunt
In Capitolina Juppiter Arce pavet.
Et Pallas, fuerat cui Nomen amabile quondam
Nunc nimis adverſum novit adeſſe ſibi.
Ergò Pelidis lethæum Gloria flumen
Potet: Achillæi Martyris aſtra petat:
Ille quidem natus, ſtygio fuit amne lavatus;
Sed cœſus ſtygio vortice merſus obit.
Iſte ſalutari poſtquam fuit imbre renatus
Lucratur Cœlum flumine Sanguineo.

AD DIVAM FLAVIAM DOMITILLAM

Virginem, & Martyrem. Suæ ſtirpis traditur nobilitas. Præ deſiderio virginitatis, reſpuit Aureliani, filii Conſulis Romani nuptias. Poſt paſſum exilium, pro Chriſti confeſſione, in cubiculo clauſa, & flammis circumdata, eſt incenſa. Ejus dies natalitius 12. *Maii*.

CARMEN.

CÆsaridum Domitilla genus, Tu spernis Avorum
Augustos fasces, Imperiale decus.
Te unus honor tangit Christi famulatus, & angit
Solus Nazareæ Relligionis Amor.
Conjugium Aurelii, & genitoris Consulis aurum
Respuis, & quidquid possidet Orbis opum.
Hac bene Virgineo quàm consulis arte nitori
Lilia quà serves viluit omnis hymen.
Teque licet claudant ignita cubicula, splendet
Plus flammis ipsis, Integritatis Eros.
Fax tua, non renuit consortia: Scilicet illa
Viderat accensas antè pudore genas.

AD DIVUM PANCRATIUM.

Martyrem. Adolescens quatuordecim annorum è Phrygiâ Romam venit. Baptizatus est à Summo Pontifice, & cum nollet Diis sacrificare gladio percussus est. Ejus dies natalitius 12. Maii.

CARMEN.

ASpice Pancratium, phrygio de sanguine germen,
Quem decorat primæ Nobilitatis honor.
De quina desunt septem trieteride menses,
Et Romam, Romæ captus amore venit.
Accipit à summo sacras Antistite lymphas
Perfusus Charitum rore, novatus abit.
Sed mox, Christiadum cum cresceret Assecla magnus
Respuit indignis sacrificare Diis.
Damnatus letho, negat ore rogare Sorores,
Tardiùs ut vitæ mollia pensa secent.
Pactus pro Jesu mortem, virtute virili
Annis longævum se putat, ense mori.

AD

AD DEDICATIONEM ECCLESIÆ

SANCTÆ MARIÆ AD MARTYRES

Hanc ſupremus Antiſtes Bonifacius, expiato Deorum omnium veteri fano, quod Pantheon vocabatur, in Deiparæ bonorem, & omnium Martyrum ſacravit. Ejus dies ſolemnis 13. Maii.

C A R M E N.

ITe foras, ſimulacra Deûm, modò quotquot adeſtis
Maturate fugam, lurida ſigna ſtygis.
Expiat Antiſtes, veſtras Bonifacius aras
Omnis Romana factor in Urbe boni.
Succedant Cœli Proceres, qui ſanguine fuſo
Purpureas Agni promeruere ſtolas
Omine ſub Mariæ, delubrum labe piatum
Fulgeat Aligerum, Cœlituumque domus.
Non erit ulla dies hac luce nocentior Orco
Signabunt nigrâ Tartara monſtra petrâ.
Exuvias luge raptas Acherontica Pubes
Tantaque momento ſtrata trophæa ſolo.
Quem diſperſiſtis funeſta clade cruorem
Ille cruor vobis talia fata parit.
Purpureos hæc palma, poli decet eſſe Dynaſtas
Dedecus at Diti, perpetuuſque rubor.

AD DIVUM BONIFACIUM

Civem Romanum Martyrem. Diù cum Agla impudicè verſatus eſt; ſed facti pœnitens, Martyrum corpora conquirit, ut tumulet. Hoc in opere deprebenſus ſuſtinuit calamos inter ungues, ferreas ungulas coſtis, & plumbum liquatum in ore. Ejus dies natalitius 14. Maii.

CAR-

CARMEN

COllis Aventini Bonifacius ortus in hortis
Illecebris Cypridos, tempora prima dicat.
Matronam dilexit Aglam, quo tactus amore
Impurè longos vixit in Urbe dies.
Pertæſus crimen, Tarſum peregrinus oberrat
Quà tumulet ſacris Martyris oſſa locis.
Incumbens operi capitur, carnem inter & unguem
Perpetitur calami ter terebrantis acum.
Ungula diſcerpit manantes ſanguine coſtas
Sunt infuſà ori plumba liquata pio.
Non labat in tantis ſua ſed Cònſtantia pœnis
Illi dat grates, qui mala tanta patrat.
Miratur lictor cùm plumbea guttura ſentit
Fundere mellifluis aurea verba ſonis.
Pluſque Cupido ſtupet jaculis armatus ahenis;
Plumbo hebeti vinci dùm ſua tela videt.

AD DIVUM POMPONIUM

Civem, & Pontificem Neapolitanum. Sex ſacra erexit domicilia, inter quæ præcipuum fuit illud dicatum Beatiſſimæ Virgini, ſub nomine Divæ Mariæ Majoris. Tempore Theodorici Gothici regnantis, multas Neapoli paſſus eſt perſecutiones ab Arianis. Mortuum corpus, oleo manavit ſaluberrimo corporibus, & animabus medendis apto. Ejus dies natalitius 15. Maii.

CARMEN.

POmponum Cœli pompam, Patriæque nitorem
Laus decet illa, ſacros ſex fabricaſſe lares.
Præcipuum fuit illud opus, Majoris honori
Devotum Mariæ, ſceptra tenente Gotho.

O' quot

O' quot Temporibus duris ne flaret Arii
    Hæresis, ærumnas sustulit atque cruces!
Præsulis at Vicit virtus crepitantia monstra
    Illa suum nunquam læsit ovile lues.
Cum perit, è tumuli saxis liquor effluit uber
    Omnigenæ visus pestis, adesse salus.
Quid ni? lampas erat fulgens, foret utque perennis
    E' fibris oleum sufficit Ipse sibi.

AD DIVAM DYMPNAM

Virginem, & Martyrem. Pro Virginitate tuenda, & pro Christiana Fide fatenda, jussa est à Patre decollari. Pretiosa hæc mors similis fuit fato Barbaræ Nicomediensis. Ejus dies natalitius 15. Maii.

CARMEN.

INclyta Virginei cadis hostia Dympna pudoris,
    Et tibi dat victrix laurea serta Fides.
O' sanè geminis decoranda puella coronis
    Non unum meritis est diadema satis,
Plaudite Dympneæ bis tympana plaudite Divæ,
    Et duplices inflet Fama canora tubas.
Barbara Te expectat, quæ fata sororia tecum
    Gratatur, casu commeruisse pari.
Amplexus junget, non oscula multa negabit
    Indè panompheum te feret antè Thronum
Excipiet tenero venientes Christus amore
    Porriget ostrinis lilia mixta rosis.
Inquiet. A' dextris sta Barbara, Dympna sinistris
    Sum Genitor vester, Sponsus & almus Ego.
Vivite concordes Animæ, benè noscite, quantùm
    Pro me Carnificem juvit habere Patrem.

AD

AD DIVUM UBALDUM

Episcopum Eugubiensem. Respuit nuptias ut Deo inserviret. Factus est Episcopus, & illicò suum patrimonium pauperibus distribuit, liberavit obsessos à tyrannide Dæmonum. Ejus dies natalitius 16. Maii.

CARMEN.

HIc est Eugubii prognatus Ubaldus in Urbe
 Non passus collo connubiale jugum.
Cui sacras rerum Numen concessit habenas
 Tunc melior Sponsus, Pan melioris ovis.
Cum Lituum cœpit, gazam profudit egeno,
 Fulcimentum inopis fecit & esse Pedum.
Hinc non pauperies fisso stabulavit ovile,
 Quin procul à caulis monstra fuere stygis.
Ter quater Eumenides, Antistitis ora paventes
 Corpora tortorum destituere virum.
Miror quod luci dederit jubar Umbria tantum
 Phœbæis micuit clarior Umber equis!

AD DIVUM SIMONEM STOK

Carmelitam Confessorem. Poscente illo à Beatissima Virgine, genuinum signum ut posset demonstrari, Carmelitas esse filios Deiparæ, meruit habere scapulare illius manibus, dicendo. Accipe hoc, quod erit pignus meæ Carmeliticæ filiationis, fœdus amoris, & in quo quis moriens æternum non patietur incendium. Ejus dies natalitius 16. Maii.

CARMEN

DA Genitrix, da signa precor, sumus unde Tonantis
 Nos soboles Matris, pignora pande Parens.
Ede notam generis, per quam tua vera propago
 Credamur, Solis lux ubi cuncta patet.

Sic

Sic Mariæ Simon. Non abnuit Illa; sed ore.
Sidereo, fanti talia verba tulit.
Accipis hanc vestem, Matris fer munus amantis,
Et dorsum, & pectus conteget illa tuum.
Testis erit sanè, prolem vos Virginis esse
Nec minus ingenui fœdus amoris erit.
Quos habitus teget, haud stygius populabitur ignis
Dediscet Pluton peste vorare suâ.
Hæc illa: At tali Tu gaude stemmate Carmel
Vix Sidus tanti, totus & Axis erit.
Arrham cum cœpit Phaeton de Sole fuisse
Progenitum, trifidi fulminis esca ruit.
Nos quia Virgineæ signavit Tessera prolis
Cociti nunquam tænara flamma coquet.

AD DIVAM RESTITUTAM

Virginem, & Martyrem. Nata est hæc Africana Virgo Ponizarii. Propter Christi fidem, & virginitatem tuendam, destinata est in incendiaria navicula certo naufragio; Sed Deo protegente ab utroque periculo est erepta. Deprecante Virgine Deum, ad Cœlos evolavit, & corpus cum nave incendiaria ad Ænariam insulam appulit. Ibi primum Angeli monitu à Gente illa condita est sepulchro. Mox à Constantino Imperatore translata est Neapolim, ubi in magnifico templo ab eodem Cæsare constructo sub Ara maxima quiescit. Ejus dies natalitius 17. Maii.

CARMEN.

Africa, restituit raptos tibi Vulgus honores
Fama, vetus delet sæcla per acta probrum;
Scilicet edideris colubros, & monstra perennè,
Et fueris solis Mater opima feris.
Ecce Ponizari pulcherrima Virgo, sub Afro
Exoritur Cœlo, digna sedere polo.

Non ſic ardeſcit Meroe Procionis ab æſtu
Quantum, cor Dio flagrat amore ſuum.
Conjurata furit fruſtrà maris unda, roguſque
Artubus ut noceant bina elementa ſacris.
Virginis auxilio ſtetit Æther: non perit Illa
Ignibus in mediis, nec ſalis eſca ruit.
Sicque preces fundit. Fac oro Rector Olympi.
Ad te perveniam, Tu mihi portus eris.
Deſiit his dictis ſua vita, ſic exiit ævo
Non ſecus afflaret membra quieta ſopor.
Appulit Inarimem theſauro Navis onuſta
Datque ſepulchralem Gens venerata domum.
At mox Auguſtus Sireni credidit Arcam
Addidit & templum quo monimenta forent.
Proſit Partenope: Detur tibi Gratia, tales
Parthenidas, panſo ſæpè fovere ſinu.

AD DIVUM VENANTIUM

Martyrem. Juvenis quindecim annorum objectus eſt leonibus à quibus nil læſus. Innumera prætereà ſubivit tormenta, ſed inter illa mirabilis ſua fortitudo. E rupe venam aquæ elicuit, mollivit ſaxa ſuis genibus, & ſecuri percuſſus ad Cœlos evolavit. Dies ejus natalitius 18. *Maii*.

C A R M E N.

AMphitheatrali ſpectacula reddis arenâ
Cum Tu Venanti ſiſteris antè feras.
Hic tibi ſtat ludus magnis illudere pœnis
Marmoricæ rictus neve pavere leæ.
Non benè venantem ratus eſt ſine mente Tyrannus
Eſſe Adoleſcentem cui tria luſtra manent.
Decipitur: Juveni tradit venabula Virtus
Quà ruat antè ſuos victa leena pedes.

Præ-

Præfidis at feritas, Venantis præda remanfit
Cum fua fanguineis vena vacavit aquis.
Sancte Puer, rupes juffifti rore madere,
Factaque funt genibus mollia faxa tuis.
Judicis haud etiam poteras lenire rigorem?
Non femel ah petris plus lapidefcit Homo!

AD DIVUM PETRUM COELESTINUM

Summum Antiftitem. Admirandæ humilitatis præbuit exemplum, cùm fponte à fuprema dignitate fe abdicarit, & ad fuum eremum redierit. Dies natalitius 19. *Maii.*

CARMEN.

SUcceffor Petri Petre, cui funt cœlica Curæ,
Et parent fceptro terraque, ftyxque dato.
Cur triplices meritâ deponis fronte Coronas,
Nec finis, ut canis ftet diadema comis?
Roma gemit Vaticano nudata Parente
Sponfa Sion facro flet viduata proco.
Tu tamen offenfus tumidæ rumoribus Aulæ
Ad prifcos faltus ad pia luftra redis.
Præfers purpureis viridantes Cœtibus agros
Aufugiens Famæ plus dare vela tuæ.
Macte: Illos, Terræ queis funt faftigia pœnæ
Inferit Empyreo non periturus honor.

AD DIVAM PUDENTIANAM

Virginem Romanam. Incubuit femper pietatis ad opera. In fua domo, Pius Pontifex, facrificiorum ritus, & cætera Sacramenta celebrabat. Dies natalitius 19. *Maii.*

C A R M E N.

NE pudeat Te Roma vetus cessisse recenti
Si conferre velis pignora pignoribus.
Vestales omnes præit una Pudentia Virgo
Magnâ pudicitiâ, major amore poli.
Quod pietatis opus, quod non amplectitur Illa?
Christicolis tamquam fert bona Mater opem.
Liminibus patriis ubi sunt propè tecta Suburræ
Hic Pius Antistes devocat axe Deum.
Aris assistit, lustralibus eluit undis
Erudit ereptum de stygis ungue gregem.
Una viden sedes, pietati, & sacra Pudori
Æneadum cunctas anteit Urbis opes.

AD DIVUM JUONEM

Confessorem. Vivens Patronus fuit disertus in causis pupillorum, & viduarum. Mortuus, & Cœli incola, est adjumento illis, qui ad Ipsum confugiunt, ne forensibus judiciis à Potentiore opprimantur. Ejus dies natalitius 19. Maii.

C A R M E N

JUo decus Cœli, spes pauperis alma clientis
Inque procelloso stella benigna foro.
Per Te non odit terras, rostrisque moratur
Æquo quæ librat pondere jura Dea.
Dum vitæ lumen potabas, exul in orbe,
Sub te pupillus confugiebat inops.
Munere deque tuo non conculcabat egenum
Dives, sed meritæ cuique dabantur opes.
Infantis Patronus eras, viduæque puellæ
Quorum suppetiis, ore disertus eras.
Et nunc astrifero dum fulges Indiges axe
Judicii columen niteris esse pii.

Te

Te vocat auxilio, qui gemmis nudus, & auro
Non ultrò litis bella forensis agit.
Protinus agnoscit vacuas non fundere voces
Certum votivæ Numen adesse preci.
Auspice Te Judex, æqui fit Tutor, & ære
Corrumpi, numquam sancta statuta sinit.
In Solis radios mutas Ixionis orbem
Orbita fit Cœli, quæ stygis ante fuit.
Astreæ super ergò rotas ò Juo triumpha
Prospera Causidicis irradiabis Eos.

AD DIVUM BERNARDINUM ALBIZESCA.

Ordinis Minorum. Commendatur ejus Virginitas, cum amore ad Nomen Jesu. Corpus ejus adhuc viget incorruptum. Ejus dies natalitius 20. Maii.

C A R M E N.

Bernardine, minùs Junonis lactea candent
Lilia, virgineus quàm tuus albet honor
Quippè nives superat, quas nec vestigia tali
Calcavere, Noti nec soluere flabra.
Cum candore tamen se miscet Gratia rubræ
Chloridis, ut vernas pandit in arva comas.
Hæc est purpureum fundens Rosa mane colorem
Scilicet est Jesu Nominis almus amor.
Sicque micas, Animæ micuit ceù Sponsus amantis,
Qui facie niveus, qui rubicundus erat.
Quis stupor esse tuum dein Bernardine cadaver
Vermibus intactum, nec putruisse fibras?
Inter Sidereæ consortia vivida Floræ.
Non abit in cinerem, fragrat odore caro:

AD

AD DIVUM HOSPITIUM

Confessorem. Hæsit perenniter rerum cœlestium contemplationi; idcircò propbætiæ spiritu,& aliarum virtutum exercitio fuit insignis Heros. Niciæ in Gallia desiit terræ esse hospes,& ad Beatorum patriam avolavit. Dies natalitius 21. Maii.

CARMEN.

HOspitius, terras omnes, colit hospitis instar
Vivit & in totâ ceù peregrinus humo.
Esset ut ætherei sic degit Civis Olympi
Sidereis adeò flagrat inesse plagis.
Illuc Mens solùm præcordia dirigit, illùc
Ut Genii centrum pervolat acer amor.
Ecce beatus homo! simul ecce Viator! & antè
Supremum vitæ Cœlifer ecce diem!
Non secus Elias, qui longi conscius ævi
In Paradisiacis tempora ducit agris.
O' vis virtutis, Charitisque potentia Divæ
Inferiore solo nectere scire polum!
Quis non Hospitii veneratur fata, potiti.
Indigetum patriâ, dum manet hospes adhuc?

AD DIVUM BASILISCUM

Martyrem. Ferreas crepidas ignitis clavis confixas pedibus est perpessus, & post innumera alia tormenta capite obtruncatus in flumen est projectus. Duplex igitur babuit Sanctus bic officiosum elementum, ignem scilicet quem calcavit, & aquam, quæ fuit ejus tumulus: idcirco non dissonum nomen Basilisci, quod latinè sonat Regulus tam pro corona Martyrii, & imperio exercito, quàm pro ejus virtute evacuante, omne venenum serpentium Idolatriæ. Ejus dies natalitius 22. Maii.

CAR-

C A R M E N.

Juſſus in ardentes veſtigia ponere prunas
Accenſos calcas Tu Baſiliſce focos.
Pes tuus igniti ſpernit carbonis ahènum;
Dius Amor, flammas temnere navat opus.
Regule, nonne meres potius Salamandra vocari
Si gaudes faculis, Mulciber ipſe lubet?
Fallor: ſerpentum virus non pellis Averni
Tu niſi (ſed Cœli) Regulus eſſe velis.
Quidquid id eſt, fluvialis aquæ te Gratia major
Mox ſequitur; Fluvius nam tibi dat tumulum.
Obtruncos lugens Najas complectitur artus
Inque dat arcano cara ſepulchra ſinu.
Auxit Nympha vadum lacrimis è lumine fuſis!
Grandius accretis ut ſepeliret aquis.

AD DIVUM EUPHOEBUM

Epiſcopum, Civem, & Tutelarem Neapolitanæ Civitatis. Tenerum Chriſti gregem, ab Ethnicorum ſuperſtitione, & hæreſeos venæno, in vita tutatus eſt. In morte, Neapolim à Saracenorum irruptionibus liberavit. Ejus dies natalitius 23. *Maii.*

C A R M E N.

Crederis Euphœbi, Sirenis ut Ales Ephœbus
Protegis, irradias, Partenopenque pias.
Tunc grex pullus erat, rabieſque lupina, tenellum
Urgebat rabido dente vorare pecus.
Tu vigilans Paſtor, tutaris ovile, nec ullas
Ad præſepe feras appropiare ſinis.
Ethnicus Idolis, Chriſti non inquinat Agmen
Septemplex fidum, nec necat hydra Gregem.
Hoſtes quid referam Sirenis ab Urbe fugatos?
Barbaricos pepulit non tua dextra metus?

Ah

Ah Siren, quantum bellis obnoxia semper!
Dicam, si nescis, hoc tua forma facit.
Ubertas terræ, Cœli speciesque sereni
Concitat armatas ad tua damna manus.
Sed Tu tuta manes tanti sub Præsulis alis
Is vincit Numidas, is subigitque Getas.
Ausoniæ Te Helenam clamant, si talis & esses
Euphœbus, potior fert tibi phœbus opem.

AD DIVAM PALLADIAM

Martyrem. In Istria illustri martyrio coronata est; resplenduit enim valor, & fortitudo in superandis dirissimorum Carnificum pœnis, frustrà ejus fidem, & constantiam tentantium. Ejus dies natalitius 24. Maii.

CARMEN.

OMnis Palladiam veneretur Amazona Tellus
Fœmineæ plaudant Sidera cuncta Duci.
Luctatura viden Mulier cum Ditis Athletis
Unguine palladio quomodò lota venit!
Omen vincentis, nomen dat Palladis: ecce
Cum Fidei clypeo dimicat, arma rotat!
Certa manet victoria Palladis, atterit hostes
Dextra levat palmam, ter populata stygem.
Ast & Palladiæ, textricis Palladis artes
Conveniunt, magnum visite quod net opus!
Immortale sibi contexit pectine peplum
Purpureum proprio deque cruore facit.
Vertice nata Jovis, fuit altera (fabula) Pallas
Hanc Ego sed vero juro Tonante satam.

AD DIVAM MARIAM MAGDALENAM

De Pazzis, Florentinam, Virginem Carmelitanam. Adeò cor
hujus

hujus Virginis purissimæ, igne divino ardebat, ut injectâ aqua, opus erat, ut pectus refrigeraretur. Ejus dies natalitius 25. Maii.

CARMEN.

MAgdala Florentis germen florentius Urbis.
Et Carmeliaci fama suprema jugi.
Te tueor totam Diis ardoribus ustam
Non plus ignescit thurea mica foco.
Ah frustrà pluvius compescet pectoris æstus
Juppiter: has flammas nulla retundit aqua;
Qualiter in media vivit Salamandra favillâ
Sic Te inter prunas vivere Virgo decet.
Adde faces, revoca latices, stet longius unda
Ardenti melius vive pyrausta rogo.
Sis memor Eliæ prolem Te virginis esse
Quem tulit ad superas ignea biga plagas:
Te quoque Divinus rapiet super Æthera fervor
Illic Tu lampas Solstitialis eris.

AD DIVUM URBANUM

Pontificem Romanum. Probibuit ne donaria vota Ecclesiæ; usibus propbanis deservirent. Hujus opere Vallerianus, & Tiburtius Fratres, unà cum Sancta Cœcilia Martyres illustres fuerunt. Ejus dies natalitius 25. Maii.

CARMEN.

URbani Vultus, Romanæ Antistitis Urbis
Aspicis, ut vivos mortua cera refert!
Est Hic, qui vetuit templis anathemata vota
Usibus haud sacris prostituisse sacra.
Sic inopi argentnm, atque inopi deserviit aurum
Munera muneribus dicta fuere piis,

Hujus ab hortatu, Fratres meruere Coronas
  Quos verè tales fecerat una Fides.
Cœcilia auſpiciis etiam ſub Præſulis Orbis
  Urbe, favum Cœli mellificavit Apis.

AD DIVUM PHILIPPUM NERIUM.

Hujus pectus, adeò divini Amoris uber erat, ut pro effervescentia diruptæ ſint ejus coſtæ. Ejus dies natalitius 26. Maii.

CARMEN.

FLoribus ò fulci, quia languet amore Philippus
  O' ſtipa malis, nam ſua vita perit.
Angele: nonne vides rumpantur ut ilia flammis
  Frangatur ſuperâ coſtula bina face?
Non eget his fulchris Nerius, ſua vita vireſcit
  Quò plus ſunt Dio corda cremata rogo.
O' ſtupor, augeri ruptis fornacibus ignem.
  Intus & excuſſam firmiùs eſſe domum!
Credite manſit amor, veteri pubentior æde
  Tùm cùm diffrictum per latus egit iter.
Factus jacturâ coſtæ eſt uxorius Adam
  In Nerio eſt auctum Virginitatis ebur.
Scilicet ille rubos habuit, meruitque vepreta
  Huic data ſunt plenâ lilia cana manu.

AD DIVUM ELEUTHERUM

Pontificem Maximum. Ab ipſo, Lucius Rex Britanniæ habuit Chriſtianæ Fidei Prædicatores, ob quos illa Regio veræ Religionis hauſit lumen. Dies natalitius 26. Maii.

CARMEN.

CErnis ut à noſtro ſejunctos Orbe Britannos
  Jungat Eleutherus, Sideribuſque juget!

Ex

Ex hoc ſplendorem primò Rex Lucius hauſit
    Huic cùm Legatos mittere, cura fuit.
Tunc veræ Fidei lumen, plaga frigida vidit
    Quæ ſteterat tenebris antè ſepulta ſuis.
Anglia non Dominos, non paſſa Britannia Reges
    Suppoſuit Chriſti colla ſuperba jugo.
Margaritis olim regio pretioſa refulſit
    Piſcator patriis quas capiebat aquis.
Poſt ubi Eleuthero connecti Lucius arſit
    Evaſit tellus unica Bacca poli.

AD DIVUM JOANNEM

Pontificem Maximum Martyrem. Fregit audaciam Theodorici Regis Ariani, à quo poſteà necatus eſt. Fuit inter cætera prodigia in hoc admirabilis, quod cum illi eſſet equus commodatus ad equitandum, indè equus ille, alios excuſſit. Dies ejus natalitius 27. Maii.

CARMEN.

Quis Theodorici victor fuit? Ecce Joannes,
    Qui vel Arianam ſub pede calcat hydram.
Hic tamen immitem fecit de mite Caballum
    Amplius indocilem velle lupata pati.
Acer equus Majeſtatis ſub pondere preſſus
    Fœmineum renuit tam leve ferre genus.
Appetiit tantùm populos Moderantis habenas
    Eſſeque ſub ſacro totius Orbis Hero.
Bucephalus cedat: Dominorum eſt gloria diſpar
    Ille ſuis magnus, Maximus iſte fuit.

AD EUMDEM PONTIFICEM

Qui necatus à Theodorico, viſus eſt miſer Rex, poſt mortem, medius inter Joannem, & Symmachum interfectos, ab ipſis

quasi Judicibus, sententiam habuisse, subjendi scilicet ignem Lyparitanum. Ejus dies nataiitius 27. Maii.

CARMEN

Visus Joannes, & visus Symmachus unà
(A' Theodorico victima vota neci.)
Non secus, ac Judex existeret alter & alter
Regem, Tartareis constituisse focis
Protinus ille miser Lyparensi mergitur igne,
Ex æquo, Flammæ, Judiciique reus.
Non est inventus, culpæ rogus, aptior illi,
Mons nisi perpetuas qui jacit ore faces.

AD DIVUM JUSTUM

Episcopum Vrgellæ in Hispania Tarraconensi. Floruit laude justitiæ, & pastoralis sollicitudinis. Ejus dies natalitius 28. Maii.

CARMEN.

Justiùs ecquandò terras Astræa revisit.
Ni cum sub Justo Præsule, lapsa polo est?
Tunc fora Justitiam melius didicereque rostra,
Tunc Themis ad rectum promptior ivit iter.
Pontificis baculo se fulciit, aure tiaram
Imposuit, vittæ vinxit honore comas.
Justa sed injustum tulit exequialia crimen
Omne scelus, stygias irruit inter aquas.
Tarraco tu referas, dic non Antistite Justo
Leges lance pari semper jere simul?
Quid superest, nisi quod Cœli Moderator, Justo
Pro meritis tribuat prœmia justa suis?
Assequitur Justus moriens. Examine justo
Debetur Cœlum cui nihil hæsit humi.

AD

AD DIVUM MARTYRIUM

Martyrem. Cubans in horto templi, raptus est ad mortem, quo in loco satellites, rogum struxerunt, de templi trabibus. Ibi conjectus, & ustus, evolavit ad palmam martyrii. Ejus dies natalitius 29. Maii.

CARMEN.

MArtyrius cunis oracula suspicit ortus
Afforet ut Martyr Nominis auspicio.
Approbat eventus, pœnis, mortique dicatur,
Horto delubri dum sua membra cubant.
Scilicet ut Vitæ germen plantaret, amenis
In cultis, trahitur vita sacranda neci.
Hic rogus extruitur, succenditur ignis, & ignis
Materies, Templi de trabe vulsa manet.
Quàm fuit illustris pyra! relligiosus ad Æthram
Mulciber ascendit lucidiore face.
Ad palmas etiam trabeati Martyris, ipsæ
Flammam Templares suppetiere trabes.

AD DIVUM FOELICEM

Pontificem Maximum, Martyrem. Quo tempore naviculam Petri, Fœlix ejus successor est moderatus, fœliciter cursum direxit. Ejus dies natalitius 30. Maii.

CARMEN.

TEmonem Latiæ Te Relligionis habente
Non potis est fœlix ni maris esse via.
Æquora sternuntur, pelagi non ira superbit
In Te sed Virtus tollitur una poli.
Quàm benè, cum nulli sis Majestate secundus
Tùm meliùs fœlix aura secundat iter.

Pro-

Prosperitas meritò Fœlici Velificanti
Fortunatè afflat, flamina fausta vovet.
Plaudite Naviculæ talis, tantæque, Magistro
Illæsam scopulis, qui facit ire ratem.
Nam didicere Patri boreæ parere jubenti
Irasci fluctus, dedidicere sali.
Hunc mirum reddunt, clavus, clavesque Hierarcham
His Cœlos, Illo dum moderatur aquas.

AD DIVUM FERDINANDUM

Regem Hispaniarum. Largitus est illi Deus innumeras victorias, & dum dilatandæ Fidei causâ, Africam trajicere parat, moritur. Illius cadaver, post quatuor sæcula, adhuc incorruptum perseverat. Ejus dies natalitius 30. *Maii.*

CARMEN.

Bellica non virtus, Fernandi tempora cinxit
Laureolis centum, Mars nec ovare dedit.
Dia Fides, Superumque favor sua prælia curant
Ire triumphali semper inusta notâ.
Magnanimus Princeps in Mauros irruit hostes
Christiadum repetat gens ut Ibera Fidem.
Assequitur. Tria regna Cruci Illo vindice sistunt
Jam de Magmèdis libera facta jugo.
Dum parat in Numidas validam convertere classem
Occidit, heù qualem suscipit Æthra Ducem!
Vivit adhuc florens quatuor post sæcla Cadaver
Vix meminit juris Parca fuisse sui.

AD DIVAM PETRONILLAM

Virginem. Filia fuit Divi Petri Principis Apostolorum. Adeò virginitatem dilexit; ut nuptias respuerit Flacci, viri præclarissimi, quin ad eam tutandam, maluit morte præveniri. Ejus dies natalitius 31. *Maii.*

CAR-

C A R M E N.

PEtronilla, Petri ſoboles digniſſima, Petræ
Qua ſuper, eſt bellans tàm benè ſtructa Sion.
Arbor non poterat, tales niſi gignere fructus
Fructus, nec talem ni redolere favum.
Virginitas, ſæcli nullis obnoxia fucis
Te procul humanis adjicit ire procis.
Conjugio gaudes cœleſti, Regna beata
Te vivente meres, Te pereunte tenes.
Quàm lætus Cœlum Petrus reſeravit: Olympo
Affigi dignus quippè lapillus erat.

AD SOLEMNIA ASCENSIONIS

Domini noſtri Jeſu Chriſti. Feſtum mobile regulariter menſe Maii occurrens.

C A R M E N.

EN Cruce ſuſpenſum Corpus, ſe tollit ad Axem
Præterit & Zephyros, antevolatque Notos.
Succedunt pœnis pennæ, trabibuſque trophæa,
Vitaque devictæ fert monimenta necis.
Mons Oleæ, qui nomen habet: gerit orſa triumphi
Omina fæcundæ qui bene pacis alit.
Se Lybitina ſtupet lacrimis queſtuque vacare
Se ſtupet, & caſſam tabe tenere manum.
Immò Sublimi cantare epinicia Divo,
Et laudum ſegetem falce ſecare ſuâ.
Dux quia procubuit (dicit) meret indè coronam?
Parturiunt tantum vulnera capta decus?
Et nunc quo Tellus tenero dimittit amore
Scandentem quandò cernit ad alta poli?
Excæpit divina ſolo veſtigia leni
Viſa ſibi in ceræ penè liquere modum.

Ad

Ad necis Obtutus effregit ſaxa dolore
Mollit at in Cœlum cum redivivus abit.

AD SOLEMNIA PENTECOSTES

Enunciatur Spiritus Sancti divinus deſcenſus.
Feſtum mobile.

CARMEN.

INter Divinas, mortalis lingua fatiſcit
Friget ad æthcream noſtra Suada facem.
Attamen eloquiis exoptet parcere Nemo
Si pro ſidereo munere, lingua datur.
Linguula ſecta ruit, ſed Numen perſonat unum
Ad nos è ſuperis huc properaſſe plagis.
Mirum quod facibus, queis Æther propria ſedes
Mens fuerit, terras antetuliſſe polo!
Aſt ubi deſiliit ſuccenſum Numen, in Ima,
Viſa novo ad terras pondere flamma trahi eſt.
Præcedit flamen, divini Flaminis Auram.
Deciduo ſubitus fit comes Igne fragor.
Scilicet ad pugnam bellaci Spiritus æſtro
Admonuit pugiles arma ciere ſtygi.
Omina flammiferum luctæ non abnuit Agmen
Omnia quà vincant arma, refundit Amor.

SUPER EADEM MATERIA.

Reflectitur quod Spiritus Sanctus ſit digitus paternæ dexteræ, & quod ubi in forma linguarum deſcendit, ſiluere ſimulacra Deorum.

CARMEN

AUrea tot terris ſimulacra ruère Deorum,
E' Cœlis quandò Dia favilla ruit.

Quot

Quot ſtygis exuvias digitus Patris abſtulit olim
Anguipedes, Cœlo cùm ſpoliavit hydros.
Hoc digito, Terræ molem ſub jure redactam
Metiri voluit, qui ciet aſtra Tonans.
Sunt digito hoc falſis indicta ſilentia Divis,
Ad nos cum cępit flammea lingua loqui.
Hermes elinguem ſubitò Se novit, & oris
Sunt verſa in nodos aurea vincla ſui.
Nos tamen ad ſuperi cataclyſmum Pneumatis ignis
In tanto pudeat ſimus Amore nives.

AD SOLEMNIA SS.TRINITATIS.

Divinam naturam, Unam in ſubſtantia, Triplicem in perſonis (cum ſit in perceptibile) melius ſilendo, & amando veneramur, quam loquendo. Feſtum mobile.

CARMEN.

DIa Trias, Deitaſque monas! mare littoris expers!
O' res humanâ neſcia Mente capi!
Lux mortalis hebet! terræ caligat ocellus!
Deficit ut radio noctua Solis avis!.
Te ſolam, Tu ſola vides, ſcrutaris, amaſque;
Nam comes eſt lucis cum face ſemper Amor
Eſſe tuum ſimplex eſt, ac puriſſimus actus
Sic propriâ frueris Tu deitate Deus.
Ingenitus Genitor, Sobolem ſibi parturit æquam
Ex quibus ignito Spiritus ore fluit.
Triplicibus verò Subſtantia permanet Una
Alveus ut triplicem continet unus aquam!
Deſine Muſa loqui. Triadem venerare ſilendo
Lingua loqui neſcit; ſed cor amare ſciet.

AD DIVUM FIRMUM

Martyrem. Variè tentata eſt ejus conſtantia, ſemper tamen

 fru-

frustrà. Firmissimus in profitenda Christi Fide, primò lapidum procellam sustinuit inde capite cæsus. gloriosi martyrii lauream est adeptus. Ejus dies natalitius 1. Junii.

C A R M E N.

FIrme super stabilem tua Gloria tollitur Arcem
Quam Christi fulcit firma columna Fides.
Dia Fides, sacræ præstat fundamina moli.
Illius ut rectè Sidera tangat apex.
Tu nutare nequis firmissimè Martyr, ad omnes
Si tempestates, Spes simul addit opem.
En non labilibus flectis tua pectora rebus:
Immotum superi Cor stat amore boni.
Ipsa nec infirmant volitantia saxa per ora
Perque latus, Mentis robora firma tuæ.
Cede lapis. Te namque super, Constantia Firmi
Erigitur potius, quam titubare pavet.

AD DIVUM PETRUM

Martyrem. A Sereno Tyranno est cruciatus, & ab Arthemio Præfecto, cujus filiam à Dæmonis tyrannide liberaverat. Ejus dies natalitius 2. Junii.

C A R M E N.

TUrbine quo raperis, quateris qua Petre procellâ!
Hinc pelagi rabies infremit, indè Notus.
Hanc tempestatem crudo ciet ore Serenus
Nominibus veniunt dissita facta suis.
At tibi non usquam vultus fulsere sereni
Quam cum fulminei Judicis arsit hyems?
Illudens pœnis, mentem pectusque serenas
Quando is turbatum Cor Animumque fovet.
Non minus Arthemius stupuit, cùm Te religato:
Vincula de manibus se soluere tuis

Ob-

Obſtupuitque magis, Natam ſpectando ſolutam
De ſtygis imperio, Tartareiſque lupis.
Si tibi Telluris cecidere, Erebique catenæ
Quid mirum? geſtu, & Nomine Petrus eras.

AD DIVUM MARCELLINUM

Martyrem. Unà cum ſupradicto Petro excruciatus eſt. Per vitrea fragmina raptus eſt. Locus martyrii fuit ſylva cognomine nigra, quæ poſtmodum candidæ accepit nomenclationem. Ejus dies natalitius 2. Junii.

CARMEN.

MArcelline Petri Socius, Comes indè triumphi
Non fas, ut meritâ Mors tua laude vacet.
Correptus traheris per vitrea fragmina terris,
Teque ferit mollis, qui fuit antè latex.
Vitreus efficeris tantùm quà lucidus eſſes;
Nam vis eximiæ Cor adamanta fovet.
Candori invidit mentitâ voce Serenus,
Et jubet ut ſylvâ Tu moriare nigrâ.
Luditur: exuta eſt atro cognomine Sylva
Induta eſt albo per tua fata ſono.
Purpuream forſan voluiſſet poſtera Turba
Dicere de fuſo ſanguinis imbre tui.
Cedere ſed voluit candori purpura, quandò
Ad Cęlum pergens, eſt ibi cæſus Olor.

AD DIVUM ERASMUM

Pontificem, & Martyrem, Patronum item Civitatis Cajetæ. Multipliciter fuit excruciatus. Suſtulit effuſum plumbum, procellam verberis, putorem ſulphuris, oleum fervens, & liquatam ceram. Ejus dies natalitius 2. Junii.

CARMEN.

O' Quo Campanos Nutrix Æneja nutris
Ubere! lactifluo dulcius amne cibas.
Tu Cajeta tuos sic Erasmi sanguine, Cives
Imbuis, ut pasci des meliore favo.
Accepit Præsul plumbum, firmaret ut imo
Pectore Virtutem, quæ nec inanis erat.
Accepit sonitum crepitantis verberis armo,
Gratior auricolæ ne foret inde sonus.
Accepit sulphur; sed tunc sua Fama fragravit
Suaviùs, ex illo tam bonus ivit odor!
Sustulit ardores ferventis Palladis igne:
At pugili, palmæ causa, Minerva fuit.
Pertulit, & ceram teda flagrante liquatam;
Mellitum nectar cera sed illa tulit.
O' fatum dispar: ceratis Icarus alis
Remige diffricto Tethyos ima subit.
Cera super nubes Se tollere præbet Erasmo
Indeque Sidereo se stabilire Throno.

AD DIVAM OLIVAM

Virginem. In omnibus virtutibus, Virginibus sociis fuit specimen, & Anagnis suum finem coronavit. Ejus dies natalitius 3. Junii.

CARMEN.

ARbor Palladii viridissima compos honoris
Grande tibi decuit semper Oliva decus.
Te rediens Arcam proprio tulit ore Columba
Pacati portans pignora certa poli.
Numine Tu nato scaturis torrente perenni
Albula quà vitreas ad mare torquet aquas.

In-

Ingreſſo Solymas Chriſto, Tu ſecta, triumpho
Illius inſervis, fronde repleſque vias.
Ex te oleum prodit, robur luctantis Athletæ
Cum Mors vitales admonet ire modos.
Plura quid enumerem? Tu das tua nomina Divæ
Eſt quæ Romulei fama perennis agri.
Ut quid olivarum capit hæc agnomina Virgo?
Eſſe reor totum flante Tonante ratum.
Scilicet Iratum fuerit cum Numen in Orbe
Hæc Sponſum Virgo placet Oliva Deum.

AD DIVAM CROTILDEM

Gallorum Reginam. Ejus votis, precibuſque, Clodoveus Rex, & Conjux, religionem Chriſti ſuſcepit; undè Francigenum natio, Nazareo gregi eſt aggregata. Ejus dies natalitius 3. Junii.

C A R M E N.

GAllica luſtrales hauſerunt Lilia rores
Duxque fuit facti Fœmina. Fama ſtupe.
Crotildis primùm, ſuaſit Regique, Viroque
Mergeret ut ſacro flumine, crimen Adæ!
Annuit ille pio Reginæ Conjugis ori
Baptiſmi lavit ſe Clodovèus aquis.
Tunc cum Rege, genus Francorum eſt omne piatum
Albaque candidior Gens fuit indè nive.
Annule pròh fœlix, ex quo obſignata remanſit
Semper Romanâ, tàm benè Galla Fides.
Splendida teda tori, per quam pietatis obortus
Eſt ardor ſanctus, relligionis Amor.
Si ſic Protopatris connubia fortè fuiſſent,
In thalamo, tumulum non reperiſſet homo!

AD

AD DIVUM OPTATUM

Episcopum Milevi, Numidiæ. Æquè fuit doctrinâ, ac sanctitate conspicuus, idcircò optatissimus suo gregi, quem instruxit sermone, & opere ad omne pietatis genus. Ejus dies natalitius 4. Junii.

CARMEN.

OPtasti quoties Doctrinæ noscere sensus,
Doctrinæ toties non latuere viæ.
In Te nempè suam posuit Sapientia sedem;
Nam desiderii complacet illa Viro.
Adfuit optatis Virtus quoque: fœdere juncto
Doctrinâ Virtus mutua castra jugant.
Sic Daniel populi Præsul votum obtinet omne
Effet cum cupiens, cumque cupitus homo.
Optatum Numidæ meruistis habere Hierarcham
Illo connubium Concelebrante sacrum
Fœlices: dederit quia vobis munera Cœlum
Plusquam mens cuperet, cordis averet Amor:
Africa, Te nullus cremet indè cupidinis æstus,
Optato frueris. Te manet omne bonum.

AD DIVUM DOROTHEUM

Presbiter cum esset omni virtute præditus, essetque centum, & septem annorum, Tyri, celeberrimo martyrio, suum ævum conclusit. Ejus dies natalitius 5. Junii.

CARMEN

DOrotheus canæ venerandus honore senectæ
Induit ostrinam mortis agone stolam.
Nix capitis, roseusque cruor de pectore manans:
Dant oculis superi visa venusta Chori.

Cerne

Cerne ſuprà centum, ſeptem benè menſus ut annos
    Suſtineat Juvenis Morte ſtupente necem!
Stamina quæ cedit, dum cernit Parca vigorem
    Decrepitum, fortis murmurat eſſe Viri.
Quod fuit argenti flagrat diadema pyropis
    Purpureo ſplendet candida rore chlamis.
Non Tyrus ex alio meliore ſuperbiat Oſtro.
    Huic pretium, Cœli ſolius, Arca dabit.

AD DIVUM NORBERTUM

Epiſcopum, & Inſtitutorem Ordinis Præmonſtratenſis. Præmonſtratus eſt Genitrici Cœlitus, antequam naſceretur; Deſpexit faſtus Imperialis Aulæ, & melote indutus eſt; qua veſte terror erat lupis dum incolaret gurguſtia. Semel juſſit lupo ut gregem cuſtodiret. Fregit ſchiſma Petri Leonis, & moriens ſub imagine floris decedere viſus eſt. Ejus dies natalitius 6. Junii.

C A R M E N.

PRæmonſtratenſis Norberte propaginis Author
    Te præmonſtravit vaticinata Parens:
Quod Mundo celebris venires Ætheris Auſpex,
    Quod Patriæ lumen grande futurus eras.
Inter Cæſaream quondam verſatus es Aulam
    Quantumvis modicam præbuit Aula moram:
Quàm citò deſpiciens tegeris melote curules
    Inſtar Sylvicolæ luſtra trahentis agro!
Exuviis Agni, timuit Te turma luporum
    Non ſecus ipſe fores efferus ore Leo.
Quin ſtupor! eſſe lupum cuſtodem cogis ovilis
    Verificans, Cicero quod ſimulanter ait.
Quid mirum? Petri fregiſti ſchyſma leonis,
    Et tibi de ſtygio palma Leone fuit.

Com-

Commoriens demum nivei ſub imagine Floris
Es de terrenis viſus abire plagis.
Lilioli ſpeciem non febris aduſſit, & Ipſo
Nectere ſe voluit Funere, flos & odor.

AD DIVUM ROBERTUM

Abbatem. Robur grande in adipiſcendis, & exercendis virtutibus exeruit. Præcepit Dæmoni, ut inſtar ſervi, ſe equitantem per viam cœno fœdam ſubſequeretur. Moriendo viſus eſt ad Cœlum tendere, ſpecie lucidi globi. Ejus dies natalitius 7. Junii.

CARMEN.

MOnſtraſti Roberte tuum ſuper omnia robur
Cum fueris ſtygio bis dominatus Hero.
Juſſiſti Genio poſt Te curſare rebelli
Scilicet ille pedes, Tu properator eques.
Callis erat cœno fœdus, per aperta paludis
Larva coacta fuit vadere fœta luto.
Conſiliis alios Coluber turpare ſuetus.
Seſe turpatum ſordibus, ipſe tulit.
Auxiſti moriens etiam Kacodæmonis ignem
Viſus in ignifero tendere ad Aſtra globo;
Fax tua tartareos cruciavit lumine Manes
Suſtinuere duplas pallida ſpectra pyras.

AD DIVOS GILDARUM, ET MEDARDUM

Epiſcopos. Fuerunt Fratres, eodem die nati, eodemque die conſecrati Epiſcopi, Alter Rhotomagi, alter Novioduni, uno quoquè die mortui ſimul ad Cœlos evolarunt. Eorum dies natalitius 8. Junii.

CAR-

C A R M E N.

GIldardus Præſul, Præſul, Fraterque Medardus
Unâ Naſcentes proſiliere die.
Lux eademque fuit, qua paſtorale cacumen
Aſcendit parili maſſa gemella gradu.
Illum Rhotomagi ſuperextulit Infula, & Iſtum
In ſublime tulit Noviomenſe Pedum.
Una dies etiam, mortis, ſtetit atque coronæ
Undè ſimul ſuperas tranſiliere plagas.
Ambigeres, fortaſſis erat partitus utroque
Spiritus, & medius viveret inter eos?
Anne animam potius grandem, decuiſſet abundè
Mole ſuâ, corpus vivificare duplex?
Iſtorum neutrum. Sed Dii nexus Amoris
Unum Germanos efficit eſſe duos.

AD DIVUM PRIMUM

Martyrem. Ductus eſt ad ſimulacra Jovis, & Herculis, cum Fratre Fœliciano, ut ſacrificarent, qui ſacrilego imperio non ſunt aſſenſi. Perpeſſus eſt Primus plura tormenta, præſertim eſt clavis confixus, & plumbo liquato cruciatus in ore. Dies natalitius 9. Junii.

C A R M E N.

O' Nulli Heroum fortiſſime Prime ſecundus,
Sidera ſanguineis qui petiere ſtolis.
Te minus, aſtrorum Princeps micat illitus auro
Cum primo rutilos mane reducit equos.
Eſt Primigeniæ tibi debita gloria laudis,
Et quandò Vitæ fata ſuprema ſubis.
De Jove Protodeo, deque Hercule prole Tonantis
Quis credat? clavis dum terebraris ovas!

Gutture dumque juvat plumbum potare liquatum
Tunc mage profatu, gemmea lingua fluit.
Se Tibi conjungi super Æthera poscit Abèlus
Qui primus fuso sanguine pinxit humum.

AD DIVUM FOELICIANUM

Martyrem. Coronatus est simul cum suo Fratre Primo, superiùs recensito. Hic recusavit adorare Jovem, & Herculem, propter quod, acerbissimè fuit vulneratus, & traditus ori Leonum, qui blandè sunt Sancto lenocinati. Dies natalitius 9. Junii.

CARMEN

NOn illaudatus, Tu non inhonorus abibis
O' cui fœlicis Nomina præstat honor.
Quam meritò talis, si pergere jussus ad Aras
Odisti incœsto thus adolere Jovi.
Non minus Alcidi deferre incensa negasti,
Cui fuit Ethèos ardor inire rogos.
Ex hoc verberibus, cùm lictor sæviit in Te
In sceptri cessit virgea massa decus.
In Te dirorum nec cruduit ira Leonum,
Qui mites, sancto se statuere pedi.
Non clavâ domiti, talos linxere verendos
Qui prius Alcmenâ bella cière Sato.
Monstrum quippè recens Hercles incepit haberi
Monstrorum domitor si vetus alter erat.

AD DIVAM MARGARITAM

Reginam Scotiæ. Despexit Mundum Muliebrem, ut altaria in Templis concinnaret. Studium suæ pietatis ostensum est, in assidua oratione. Charitate in pauperes præcipuè enituit, quorum pedes lavabat. Dies natalitius 10. Junii.

CAR.

C A R M E N.

QUam benè Margaritæ dignam ſe Nomine fecit,
Hæc, cui ſolus amor comere Templa fuit.
Purpureis voluit ſpoliari veſtibus, Aras
Ut tegeret, Fanis, ut redimicla daret,
Ipſa eadem Auguſtâ, tenuit quam fronte, coronâ
Bacca fuit melior, nobiliuſque decus.
Supplice Reginâ pretioſior Unio nuſquam
Eſt viſus, lacrimis ſollicitante polum.
Obſtupuit Natura, videns ut Margaris una
Fuſa ſit in plures, imbre rigante ſolum.
Et cum regalem vidiſſet Scotia dextram
Admotam famuli pauperis, eſſe pedi.
Dixit: Reginæ taceatur gemma Canopi
Gratior hæc, inopis quæ liquet antè genu.

AD DIVUM BARNABAM APOSTOLUM.

Reputatus fuit ab Ethnicis, alter Juppiter, & illi litare voluerunt. Ipſe eos reprehendit, & pro Chiſti fide demum martyrii diadema accepit. Ejus dies natalitius 11.*Junii*.

C A R M E N.

BArnaba quale decus, Te qualis honor decorabit,
Aufers immerito qui decus omne Jove?
Occurrère tibi Hierophantæ, Liſtria turba,
Non ſecus, ac Princeps Numen in, Orbe fores.
Inſigni taurum pompâ voluere litare,
Et dare ſubjectis thura ſabèa focis.
Tollite Tu clamas ſacra pernicialia; non hæc
Munera ſunt homini, ſed tribuenda Deo.

Quam benè Porphyrion potius, quam Juppiter esse
Gaudes, infensus scilicet ille Jovi.
Ne simileris Ei, qui se malè fudit in aurum
A' ferro sectus, sanguinis imbre mades.

AD DIVUM BASILIDEM

Martyrem. Fuit hic immaniter cruciatus, ferreis præsertim scorpionibus excarnificatus, super quo tormenti genere ludit Musa. Ejus dies natalitius 12. Junii.

CARMEN.

IN Te Sævities acuit sua ferrea monstra;
Ut magis in pœnas ingeniosa ruat.
Scorpius ecce tuos Basilides lancinat artus
Fabra fit interitus ænea chela tui.
In decorem cessère tamen tormenta: venusta
Obliquis acubus vulnera cauda tulit.
Nam fudit lucem, non virus Scorpius ardens
Quin dedit ad superos currere posse polos.
Nevè necesse fuit, qua Cœli parte loceris,
Ut sua contraheret brachia Zodiaco.
Nam per supplicium, ceù Sol sua signa perägrans
Tu sospes, Scorpii per penetrale meas.

AD DIVUM CIRINUM

Martyrem. Socius fuit Divorum Martyrum, Basilidis, Naboris, & Nazarii. Miles fuit Romanus, & regressus à Germania, Martyrii palmam Romæ obtinuit ob præclaram Fidei Christianæ Confessionem. Ejus dies natalitius 12. Junii.

CARMEN.

PArrhasià rediens miles Cirinus ab Ursa
Romuleâ pugnas invenit Urbe novas.

Chri-

Chriſtiadum toto propugnat pectore Legem
Eſſe palàm clamat, marmora ſurda, Deos.
Ethnicus inſanis irarum fervet at undis
Credidit affatum morte piare pium.
Cæditur Innocuus, teſtatus ſanguine Jeſum;
Sed comes à paſſo funere Laurus abit.
Quàm melior Ciro Cirinus! ſanguinis ille
Alterius fuſor, prodigus Iſte ſui.
Illum dira ſitis, flumen ſtygis ire cocgit:
Huic, patuit Vitæ fons ſalientis aquæ.

AD DIVUM NABOREM

Martyrem. Fuit unus ex Comitibus Sanctorum Martyrum ſuprà enunciatorum, qui verbera, & carceres invicto animo ſuſtinuit. In ipſo ergaſtuli tormento, cum repentè lux effulſiſſet, cuſtos ad Fidem commotus eſt. Demum ſecuri percuſſus, Romæ ſuum exitum coronavit. Ejus dies natalitius 12. Junii.

CARMEN.

DEſpectrix animæ Virtus, victrixque laborum
Nabòrem palmis vult redimire ſuis.
Dat robur, mediis Chriſtum fateatur ut armis
Nec timeat ſævæ fata cruenta necis.
Aſſequitur. Verber, duræque ergaſtula ſedis:
Fert Pugil, ut Sponſæ munera cara forent.
Sed domus illa prius tenebroſâ ſquallida nocte
Lucida fit, ſuperâ deſiliente face.
Captivum Cuſtos Solem, miratus in arce
Ipſe capit Fidei cordis in arce jubar.
Impietas quantum viſis cæcutiit actis!
Juſſit mortiferâ lampada nube tegi.
Irrita ſpes. Cæſus ſi carcere fulſit in imo
Cur non lucidior deſuper Iris erit?

AD

AD DIVUM NAZARIUM

Comitem ſupradictorum Martyrum. Fuit à ferreis ſcorpionibus dilaniatus, & poſt mortem feris objectus; illæ tamen à præda, mirantibus omnibus abſtinuerunt. Ejus dies natalitius 12. Junii.

CARMEN.

ASpice Nazarium, ſpoliis ut dives opimis
Ter, palmas ipsâ de Feritate ferat!
Non illum frangit ſcuticarum iterata procella
Ænea chelarum non labefactat hyems.
Pœnarum mavult lanienam corpore ferre
Quam Capitolino thus adhibere Jovi.
Poſt mortem Impietas corpus vitavit humari.
Montanis prædam ſed dedit eſſe lupis.
Bellua ſed renuit lacerare Cadaveris artus
Quin fuit illa ſuo plangere viſa modo.
Credite, Nazario nocuit plus Scorpio fictus,
Sylvarum veræ quam nocuere feræ.

AD DIVUM ONUPHRIUM ANACHORETAM.

In aſperrima eremo, per duodena luſtra, vitam protraxit ab Angelo enutritus. In ejus morte, Cœlitum Cunei cantantes, beatam Animam ad Cœlos perduxerunt. Dies ejus natalitius 12. Junii.

CARMEN.

UMbroſas nemorum latebras, loca devia ſaxis
Olim Semiferis luſtra dicata Diis.
Luſtraſti Virtute tuâ, Pietate piaſti
Illuc cùm præpes pes tuus egit iter,

Pro Satyris, Faunifque, Poli venere Cohortes
Quæ dapibus blandè Te nutriere fuis.
Non fecus eft quondam Thesbites Alite paftus
Inter Judaici frondea tecta Jugi.
Quid quod, cum moreris properat gens plumea Cœlo,
Sidereumque melos perfonat antè fpecus.
Afperitatis amor vivens Te cępit Onuphri
Ne fit delicium Mors, prohibere nequis.

AD DIVUM ANTONIUM PADUANUM.

Ordinis Minorum. Hujus virtute, funt avocati pifces ad littus, ut Dei verbum audirent. Alibi famelicum jumentum, veneratum eft Sacramentum Altaris, hordeo derelicto, ad confufionem hæreticorum. Ejus dies natalit. 13. Junii.

CARMEN.

NE folùm Antonio Te rere Canope potitum
Aufonis Antonium poffidet Ora fuum.
Ille fub umbrofis ævum produxit eremis
In medium Solis prodiit Ifte jubar.
Evocat Hic mutos pifces, ad littoris algam,
Et facris furdos denegat effe fonis.
Hujus ab eloquiis confeffa eft bellua Numen
Cernua triticeum dum ruit antè Deum.
O' vifu magnum! Dominum jumenta renofcunt
Qualia Bethlemo funt venerata fpecu.
Antonii votis, eft vifus in Orbe renafci
Omnipotens, Fidei poffit ut effe Sator.

AD EUMDEM.

Recenfetur poeticè encomium, quod de Divo Antonio Paduano, Sanctus Bonaventura devotiffimè compofuit, & per piorum ora frequenter concinitur.

CAR-

C A R M E N.

SI Te, magna movent, vel si miracula poscis
Prodigii Antonius Dædalus unus erit.
Istius auspiciis, Mors territa, tergora vertit
Ad stygios properat Tænara larva lacus.
Ærumnæ campum cedunt, amplectitur ægros
Alma salus, reperit devius error iter.
Mitigat Oceanus furibundas pectoris iras,
Captivos linquunt ænea vincla pedes.
Amissas res, amissosque recuperat artus
Supplicibus votis, Junior, atque senex.
Paupertas moritur, pereuntque pericula: testes
Extant veridicis Regna Tymava tubis.
O' Tartessiaci proles nitidissima Cœli
O' timor hæresos, Italiæque jubar.
O' Paduæ pignus, Charites da Numinis Æthræ
Ne vitæ, & veniæ tempus inane fluat.
Fac Me Dive, tuæ Clytiem Virtutis amantem;
Nomine ditasti, da quoque signa sequi.

AD DIVUM BASILIUM MAGNUM.

Episcopum Cæsariensem. Ejus doctrina fuit admirabilis, retudit acriter Arium. Valens Imperator Arianus, cum vellet sententiam scribere de ejus exilio, è tribus calamis, nullus reddidit atramentum; quapropter in terram projecit. Dies ejus natalitius 14. Junii.

C A R M E N.

BAsilius meritò præfert insignia Magni
Si minuit Græcæ Palladis omne jubar.
Cernis ut ore potens, calamoque retundat Arium;
Qui Verbum æterno par negat esse Patri!

Ipse

Ipse Valens, dextrâ sceptrum qui stringit Eoum
Heroem contrà, sensit hebère manum
Exilii immeritam valuit non scribere pœnam
Ter calami pluteis est stupefactus apex.
Exuit hinc primò levitatem Penna, tenaxque
Justitiæ, Famam comere digna fuit.
Haud fallor: nunquam majorem, est nacta decorem,
Cæsareo quàm cùm pollice jacta ruit.

AD DIVUM VITUM

Martyrem. Sustulit Puer intrepidus ignem, projectus in vas, liquato plumbo plenum. Non est læsus à Leone, & in catasta cruciatus, tellus tremuit, & fulgura Deorum fana protriverunt. Ejus dies natalitius 15. Junii.

CARMEN.

Contemptor vitæ fortunatissime VITE
Non immortales net tibi Parca dies?
O' quod viventis pro relligione Tonantis
Pœnarum sulcas absque pavore mare!
Exultant visis juvenilia membra favillis
Ipsa in blanditias ira Leonis abit.
Sed cum ferali distenderis indè catastâ
Fortius in falsos irruis ipse Deos.
Dat Natura tibi, dat Cœlum desuper arma
Hoc tonat, Illa tremit, Fana profana cadunt.
Pro Puero intrepido, trepidarunt omnia. Numquid
Pulchrius orbe suo scit trepidare Polus?

AD DIVUM MODESTUM

Martyrem. Hic comes Viti, & Crescentiæ, cum liberè fassus esset, Christum verum Deum, jussu Diocletiani, est in catasta cruciatus, in qua cum geminis Sociis, martyrii lauream est adeptus. Ejus dies natalitius 15. Junii.

CARMEN.

E' Siculo solvit portu retinacla Modestus,
Ut Romam secum, Vitus ephœbus eat.
Appulsus Tiberim, Laurentia tendit ad arva
Adque suum currunt laurea serta caput.
Nam Christum Numen generosâ voce fatetur,
Unum nec plures adstruit esse Deos.
Dirior Ille lupâ Diocletius, atque leenâ
Torqueat ut Fantem strata catasta jubet.
Non mora solvuntur fractis compagibus artus
Ictibus ossa sonant, interiora patent.
Sic graditur sociis, Puero, Muliebreque sexu
Spiritus, ad superæ tecta beata domus.
Despice prisca tuæ tria Sidera Trinacris Æthræ
Nobiliora tibi Trina dat astra, Theos.

AD DIVAM CRESCENTIAM

Martyrem. Hæc Nutrix adolescentis Viti, cum ipso, & Modesto, in catastæ tormento, jussu Diocletiani gloriosè occubuit. Ejus dies natalitius 15. Junii.

CARMEN.

NOn sic Axe micat Crescenti Delia cornu
Ut tua splendescit gloria, fortis Anus.
Quæ fueras Siculi Nutrix Crescentia Viti
Illius es mortis Mater agone comes.
Crevit in immensum mulier tua Gloria, quandò
Defecit latio vivere Vita solo.
Te Cæsar frustrà minui sub mole catastæ
Præcipit, augeri quin facit ille decus.
Deficias terrâ quantumvis, crescis in Axe.
Nec ceù Luna, pati menstrua damna times.

AD

AD DIVUM TYCHONEM

Episcopum Amathuntæ. In Cypro suam rexit Ecclesiam, quam omnium virtutum specie informavit, fecitque de Venerearum illecebrarum palestra, gymnadium cœlestium deliciarum. Ejus dies natalitius 16. Junii.

CARMEN.

PRæsulis integritas! Amathunta fit Ara pudoris,
Lar & honestatis, quæ fuit antè probri.
Aula Cytheriacæ, nuper sibi conscia gazæ
Virtutum rutilat gemma, Tychonis ope.
Ite procul nocuæ Charites, florentia damna
Idaliis quantum perniciosa dolis!
Fas est in vobis viridascat ut innuba laurus,
Et decorent paphium lilia sola solum.
Hoc Duce purus Amor, jaculo, dioque Diana.
Corda puellarum, transfadigantque virum.
Sanctus Eros, qui mente manens, fluit ore Tychonis
Non minus Urbano gaudet inesse grege.
Hinc verè niveos fore se lætantur Olores
Sunt ubi candidulis orta ligustra rosis.
Plange Venus, fluvio lacrimarum perdita regna
Abstulit Antistes sceptra vetusta Tycho.
Sique sapis, spumas inter Te merge marinas
Instar enim spumæ vanuit omnis honor.
Nereides ridete Deæ, mala fata Diones,
Capturæ tumulum, lux ubi capta prior.

AD DIVUM NICANDRUM

Martyrem. Apud Venafrum illustre Martyrium capitis obtruncatione complevit. Ejus templum cum cœnobio, quod Neapoli situm erat, & in quo Religiosi Basiliani incolatum habe-

bant datum est Sanctæ Patriciæ Virgini, suisque Monialibus primariæ nobilitatis Patriæ. Ejus dies natalitius 17. *Junii*.

CARMEN.

MArtyr, Patriciæ cedis tua Templa Nicander,
Junctaque Delubris non tua tecta negas.
Tu migras aliò, tecum veniente Coronâ,
Quæ Basilianâ siderat æde Patrum.
Virgine regali quantùm versaris amanter!
Constituis Dominam, quæ laris Hospes erat;
Unde tibi mores, ad munera tanta Nicander?
Sanguinis ah splendor, Nobilitasque fuit.
Num qui prodègit pro Sponso Virginis ævum,
Non Sponsæ potuit contribuisse domum?

AD DIVOS MARCUM, ET MARCELLIANUM.

Fratres Romanos Martyres. Post exuperatam pugnam, Parentum, Filiorum, & Uxorum, conantium ipsos à Christi religione deficere, constantissimè Diocletiani tormenta sustinuerunt, & tandem præacutis lanceis confossi, coronati sunt. Eorum dies natalitius 18. *Junii*.

CARMEN.

VOs gemini Fratres, vos dupla corona Quiritum
Quàm meritò, Cœli laudet uterque polus.
Marce prior natu, Tu Marcelline secundus
Æquus vos mortis tempore, mansit honor.
Conjunctim duplicem meruistis stringere palmam,
Quam Libitina dedit, quamque refudit Amor.
Uxorum lacrimas, Natorum vincere planctus
Scivistis, quotquot tela vibrarit Eros.

Po-

Posteà carnificum superastis flagra furentum
Turba nimis vestris officiosa malis.
Quippè pedes ambos, terebravit clavus acutus
Quantumvis plagæ, nec gemuistis onus.
Lancea quæ demùm pulsu fuit icta potenti,
Transadiitque latus, transadiitque femur:
Visa est debilior, calamo Cœlestis Amoris
Ad Cor, quem pharethrâ torserat antè suâ.

AD DIVUM GERVASIUM

Martyrem. Natus est ex Parentibus martyribus, suumque patrimonium elargitus est pauperibus. Ab Astasio jussus est plumbatis occidi. Ejus dies natalitius 19. *Junii.*

CARMEN.

GErvasi, Gazæ primùm largitor, & auri;
Sanguinis, atque Animæ prodigus indè tuæ.
E' Genitore satus, Genitrice es Martyre natus
Ambobus diphabo murice purpureis.
Non poteras Soboles, ostri non nascier hæres,
Et Te coccineâ non redimire stolâ
Astasio mandante, Diis libamina ferri
Tu non sacrilegi jussa facessis Heri.
Verbere plumbatæ Te præcipit ille feriri
Funereum donec vita mearet iter.
Tu gravis haud auro, nec plumbi pondere victus
E' Terris levior, Victor ad Astra volas.

AD DIVUM PROTASIUM

Martyrem. Filius fuit Valeriæ, quæ unico partu, Gervasium, & Protasium est enixa. In omnibus Fratri similis, excepto mortis supplicio. Sunt inventa eorum cadavera à Divo Ambrosio, spirantia cœlestem odorē. Dies natalit. 19 *Junii.*

CAR-

CARMEN.

ENixa est uno geminam Valeria prolem.
Partu, Gervasium, Protasiumque mares.
Una Fides illis, ambobus Spiritus unus,
Et vultu similes, ingenioque pares.
Æquo animo, Comiti benè restitit alter, & alter
Astasio. Tempsit Frater uterque necem.
Qui vitâ similes, similes non morte fuerunt
Discretos solo funere, Parca facit.
Plumbàtis cœsus liquit Gervasius ævum
Protasius gladio, fata suprema tulit.
Sic latuere diù generosa cadavera terris,
Ambrosii donec sunt patefacta manu.
Viva quasi sunt visa poli fragrare vapore
Hic erat Ambrosio ritè repostus odor.

AD DIVUM SYLVERIUM

Papam, & Martyrem. Jussus est exulare in Insulam Pontiam, mandato Theodoræ Augustæ, eutichianâ hæresi infectæ. Confectus ærumnis ibi obiit, & executor Belisarius, versatilem humanarum rerum sensit aleam. Dies natalit. 20. Junii.

CARMEN

PRoh scelus exuitur vita ter maximus Heros
Augustâ tantum præcipiente nefas!
Sylverium contrà sævit Theodora Dynastam
Scilicet exilii mandat abire reum.
Exulat heù Orbis Dominus, non Civis ab Urbe;
Quemque tiara decet, trita lacerna tegit.
Illi (rem visu fœdam!) interdicitur ignis,
Qui metuenda malis fulmina Dia rotat.
Illi etiam (quis non oculus gemat) unda negatur
Cui dat Neptunus libera fręna maris.

Ast

Aſt opifex ſceleris Beliſarius improbus, expers
Non erit & pœnæ: Crimine digna luet.
Orbis communem violavit quandò Parentem
Orbis eum Fati ſubter humabit humum.

AD BEATUM ALOYSIUM GONZAGA.

Societatis Jeſu. Adoleſcentiæ flore raptus eſt, cum floreret ſidereâ ingenuitate, & ſuis Commilitonibus eſſet cœleſtis candoris exemplar. Ejus dies natalitius 21. Junii.

C A R M E N.

LOyſides nivei ſplendens candoris imago
Jeſu Militiæ, tempora prima dicat.
Circumſtant fruſtrà tentamina mille malorum
O' quot ſæva ciet prælia, luxus opum!
Aggreditur fulvum, ferro feralius aurum
Hydra voluptatum concitat Aula ſitim:
Nequidquam, Juvenis tangunt adamantina corda;
Mars friget, ſordet Regia, Cypris hebet.
Ah quis Gonzagæ tam fortia pectora fecit?
Quis dedit ut temnat tela pavenda ſtygis?
Ille dedit ſervare nivem, qui tempore priſco
Tres pueros miti juſſit abire face.
Victor io, tibi plaudat io, Cœleſtis Achates,
Qui Te concivem gaudet habere ſuum.
Nos tumulo dabimus flores, cinerique liguſtra
Liliolum Dii Teque canemus Agri.

AD DIVUM PAULINUM

Epiſcopum Nolanum. Venalem ſe exbibuit, pro redimendo captivo. Vineam Regis Africani excoluit à quo poſtmodum per

per somnium est in honore habitus. Christianos catenis mancipatos, liberos Nolam reduxit. Ejus dies natalit. 22. Junii.

CARMEN

SE pro Captivo venalem protulit ultrò
Paulinus, vinclis, quà redimatur inops;
Auro non poterat, statuit dissolvere ferri
Pondere, Seque super, ferre ligonis onus.
Longior à patriis rostris, attingere rastra
Maluit, & lybicum sollicitare solum.
Gavisa est tellus plus Pontificale Colono
A' Cincinnato quàm quod arante Duce.
Hinc nil Paulino famulatus, demit honoris,
Illius at terret Regia sceptra bidens.
In Patriam Cives, Afro revocavit ab hoste
Et dederunt tantam somnia visa Fidem.
Mirus honor! Nolæ cedas tu Roma triumphos;
Ferreus ecce potis solvere vincla ligo!

AD DIVUM JOANNEM

Antistitem, & Civem Neapolitanum. Tempore sui Pontificatus Civitatem à Saracenis terrà, marique obsessam, mirabiliter juvit; eò quòd pacem obtinuerit à Sicardo Longobardum Rege. Pius etiam in defunctos, Antecessoribus Antistitibus monumenta posuit, & sepulchrales imagines appinxit. Ejus dies natalitius 22. Junii.

CARMEN.

PRæsule Te, Patriam Saracena propago lacessit
Bella ciet terris, bella cietque mari.
Obsidione premit muros, sed classica victum
Arcent, ad casum bina pericla suum.
Tu rebus, Tu consilio, Tu voce Joannes;
Cœlesti sed plus auxiliaris ope.

Con-

A' Longobardo pacem, nam Rege Sicardo
    Consequeris, dulces sic paris ore sonos!
Hoc redimit fœdus, Martis de turbine Cives
    Barbarico, caræ munera pacis habent.
Si pius in Vivos, pius es quoque corpore Functos
    Præsulibus lapsis Tu monumenta voves.
Marmore de pario, fingis simulacra sepulchris
    Indigitat sacros littera scripta Duces.
Eruis è mortis viventes fulmine Natos,
    Flumine de lethes Pontificesque rapis:
Dent tibi Defuncti, tibi dent encomia Vivi
    Joannis meritum, Terra, Polusque canant.

AD DIVAM AGRIPPINAM

Virginem, & Martyrem. Romæ Valeriano imperante ad duplicem virginitatis, & martyrii aureolam consequendam se obtulit. Ejus Corpus posteà in Siciliam translatum est. Ejus dies natalitius 23. Junii.

C A R M E N.

Rursus Agrippinæ Nomen circumsonat Urbem
    Sanguine testatur dum pia Virgo Fidem.
Odit Agrippinam, sed Martia Roma vetustam
    Diligit Hanc, toto germen amore novum.
Incesti fuit illa Parens, scortumque Neronis
    A' quo proh facinus fata suprema tulit.
Hæc cœlebs, castam Christo parit Innuba prolem,
    Quam, benè profusi lacte cruoris alit.
Illa ad perniciem Romæ, totius & Orbis
    Imperium Nato quæsiit arte malâ.
Hæc septemgeminos extollit ad Æthera colles,
    Congenitumque genus Cœlica regna docet.
Dissimilis tumulo solùm non esse videtur.
    Quantumvis vitâ degener Ipsa fuit.

Nam propè ſulphureas Bajas habet Illa ſepulchrum,
Et penès Ætneos ſtant ſacra buſta rogos.

AD DIVUM JOANNEM BAPTISTAM

In Solemniis ſuæ Nativitatis enunciatur divinum Oraculum de ſuo æternaliter electo Præcurſore. Ejus dies natalitius 24. Junii.

CARMEN.

OBſtetrix vocis, ſterili Vox prodit ab alvo;
Quæ latitans, tacitum fecerat antè Patrem.
Illa ubi ſe prompſit, Genitoris ab ore loquelam
Extrahit; æthereum munus ut ille canat.
Quis Puer hic erit? A' Verbo ſic diſce fatente.
Huic dederunt Vatem Sæcula nulla parem.

SUPER EADEM MATERIA.

Expenditur quod manens in utero ſalutaverit ſaltibus Deum.

CARMEN.

HIc qui fœcundam ex ſterilì facit illicò Matrem
Facundum ex muto perficit ore Patrem.
Implicuit choreas Naturæ compede vinctus,
Saltibus ut genitum ſignet adeſſe Deum.
Aſſiliit plauſu, ſe ſe libravit in altum
Præſignans Dominum deſiliiſſe poli.
Fœlix qui digito tetigit quaſi culmen Olympi
Antè ſinum pedibus quam tetigiſſet humi.

SUPER EADEM MATERIA.

Aſſeritur privilegium, quod in utero ſtans materno, dilutus ſit à labe originalis noxæ.

CAR-

CARMEN.

EDitur ille Puer, qui magnus Numine coram;
In Se Divinam ſentit habere manum.
Antè Deo Joannes, quàm ſibi vivere cœpit
Naturam didicit, Dia præire Charis.
Scilicet effùgit labes, vulnuſque vetuſtum
Is dum, Virgineo ventre ſalutat Herum:
Amphytrioniade eſt major, qui natus, & altus
Lacte, Novercales exanimavit hydros.
Hic, non dudum natus, fuſæ de Protoparente
Vipereæ peſtis quit jugulare malum.

SUPER EADEM MATERIA.

Tangitur, quod Joannes fuerit nemorum cultor, & eximiæ pœnitentiæ exemplar.

CARMEN.

HÆſit Joanni manus alta Tonantis, & Ipſe
Juſtitiæ micuit præſcia Solis Eos.
Septennis petiit ſylvas, culturus eremos
Qualiter Elias egerat antè ſenex.
In nemorum teſquis, eſt melle cibatus acerbo
Eſſet ut Herodis ſemper amarities.
Inſtar apis caſto, ſi delectatus in ævo
Quis ſtupor inceſtos poſt pupugiſſe procos?

AD EUMDEM.

Quod in flumine Jordanis meruit lavantem ſcelus Mundi lymphis tingere.

CARMEN.

ARenti natum germen radice Joannes
Jordanis degit quàm benè propter aquas:

Hìc viret, augmentum capit hìc sua Gloria: solo
Tegmine contentus quod dedit una bidens.
Auctor munditiæ Christus, Mundique Redemptor
Palmifero tingi flumine prestò petit.
Præcursor, vitæ fontem, non eluit: Agnum,
Abluit, ut Fluvii purior humor eat.

AD DIVUM PROSPERUM

Episcopum Rheginensem. Commendatur ejus virtus adversus Eutichletem, & Pelagium, hostes divinæ gratiæ. Contra hos Musas acuit, & librum conscripsit de cœlesti contemplatione. Ejus dies natalitius 25. Junii.

CARMEN

HOc Duce Rheginensis habet strata æquora navis
Aspicit emensi prospera fata maris.
Confecit faustè piratica bella, sub undis
Mergitur Eutichles, Pelagiusque comes.
Hunc sibi cœlestis Patronum Gratia adoptans
Longiùs ingratos arcet ab axe viros.
Quos simul infenso dejecit carmine, Prosper,
Notus Olympiacis, Castalidumque jugis.
Navis iter quis prosperiùs disponeret Illo
Cui contemplari Sidera cura fuit?

AD DIVAM FEBRONIAM

Virginem, & Martyrem. Succubuit omni suppliciorum generi pro Castitate, & Fide servanda, sicque cunctarum passionum ornata monilibus, gloriosè migravit ad Sponsum. Ejus dies natalit. 25. Junii.

CARMEN

QUantum Te febris, Febrònia Virgo cremarit
Pro Diâ Sponsi Relligione pati:

No-

Norunt Carnifices defeſſi tundere corpus
Et didicit laxus, membra ferire chalybs.
Erubuere faces, muliebri robore vinci.
Defecit pœnis & laniena ſuis.
Exhaurire ſitim potuit Mors una Puellæ
Parca fuit nimiæ ſola medela febris.
Num fluxit febris hæc, erepto Solis ab igne
Japeti proles quam revocavit humo?
Non equidem; ſed Chriſtus amans, meliorque Prometheus
Uſſit virgineas Axis amore fibras.
Ah dedit Ille febrem Sponſæ, quia rore beato,
Et mox nectareo mergere fonte volet.

AD DIVOS JOANNEM, ET PAULUM.

Inclytos Martyres. Propter iſtorum orationes, Gallicanus victor evaſit de Scythis. Romam regreſſi, mandato Juliani Apoſtatæ, juſſi ſunt occidi; Mors tamen, quæ occulta fuit per Dæmones eſt manifeſtata. Dies natalitius 26. Junii.

CARMEN

NOmen Joannis, durabile vivet in ævum;
Et Pauli nullo tempore Fama ruet.
Amborum Fidei reſplenduit ardor, & inter
Frigentis Scythicos Arctophilacis agros.
Regreſſi Romam vanis offerre negarunt
Libamen Divis, thus adolere Jovi.
Maluit omnigeno geminata corona, furori
Addici, ſceleris quam ſimul eſſe reos.
Beſtia, crux, telum; ſaxum, ſartàgo, cataſta
Viſa forent illis xenia fluxa polo.
Sed palmam, mortis ſolus dedit enſis utrique;
Quam vetuit Cæſar lividus, eſſe palam.

Non

Non tamen Inferni manes tacuere triumphum
Quam citò Victores explicuere Duces!
Mira Fides. Hoſtis, nactæ ſit buccina laudis!
Rem tulit in lucem Lucifer umbra ſtygis!

AD DIVUM LADISLAUM

Hungariæ Regem. Piiſſimè vivens gubernavit Regnum, & mortuus, miraculis uſque in hunc diem coruſcat. Ejus dies natalitius 27. Junii.

CARMEN.

HUngara ſceptra Ladislao moderante Monarchâ
Ætheris effigies, Pannonis ora fuit.
Barbaricis tumuit ſpoliis: Thracumque propago
Extitit ad Regis cernua ſæpè genu.
Sed major pietatis honor; trabeataque Virtus
Geſtiit Arctois firmiùs eſſe plagis.
Exemplum populis Dominator præbet, ad Aras,
Aſſiduus vadit, nec pedes ire negat.
Viſitat hinc flexo Divorum poplite tumbas,
Atque inopum vacuas non ſinit ire preces.
Ignes hos Fidei, gelidos nutrire Triones.
Aſſequitur; flammam nam prior ipſe fovet.
Occaſu vitæ tandem dum pervolat aſtra
Spiritus, & cinerem muta ſepulchra tegunt.
Sunt Charitum monumenta Lares, cataclyſmus ab illis
Exit, munificæ ceù fuit antè manus.
Nam tumulus portenta patrat: Stat regia Saxo
Gratia, quæ Cœli munera fundit adhuc.

AD DIVUM SAMPSONEM PRESBITERUM.

Confertur cum veteri Sampſone, non robore corporis, ſed animi.

Fu-

Fugavit solo aspectu morbos, & post mortem membra ejus arida, stillaverunt oleum, medicamen ægris. Ejus dies natalitius 27. Junii.

C A R M E N.

ÆQuasti Veterem Sampson, nisi fortè præisti
  Robore, quod supero Gratia fonte dedit,
Non erat Occipitis Virtus tua nexa capillis;
  Firmiùs at validâ pectoris arce stetit.
Impendis robur, desertis robore, morbos
  Voce fugas, ægris es panacea viris.
Fortius hoc quod erit Sampsone? repellere monstra
  Languorum, docuit solius oris ope.
Has quoque Defunctus vires ostendit, ut artus
  Sudarunt oleum, quod medicamen erat.
Mortuus incussit morti, morbisque timorem.
  Unxit olivifero se quasi rore Pugil.

AD DIVUM LEONEM PAPAM

Fuit vigilans Pastor, instituit musicos numeros in Ecclesia, & tres Hæresiarchas scilicet Sergium, Cirum, & Pirrhum insectatus est. Dies natalitius 28. Junii.

C A R M E N.

TUtiùs ecquandò directum vidit ovile
  Quam sub Sicano Roma Leone Duce?
Vel quandò sacram respexit lætior Aram
  Ni cùm Sidereum repperit Ille melos?
Odèum cœpit numeris resonare canoris
  Non secus, ac Cœli musica tecta forent.
Cùm tamen hæreseos contrà Leo frenduit Hydram
  Rugitu, stygios tres tremefecit hydros.
Exulta Martis tellus, plus clara Leonis,
  Quàm quod primævæ Nobilitate Lupæ.

AD

AD DIVUM PETRUM PRINCIPEM APOSTOLORUM.

De vili peſcandi exercitio evectus eſt ad faſtigium Principatus Eccleſiæ Chriſtianæ. Ejus dies natalitius 29. Junii.

CARMEN.

TOllitur Auguſtos faſces, ſupràque curules
A' Piſcatoris Canna levata manu.
Cedere ferratis gaviſa eſt Roma catenis,
Et Se captivam tradere ſpontè Petro.
Huic etiam Patri, Nerei dominatus adhæſit
Argenti nummum Piſcis ut ore tulit.
Auguror: Argenti nummos Piſcatus in undis
Telluri melius gemmea ſæcla geret.

SUPER EADEM MATERIA.

Quod indeficienter ſuam culpam Magiſtri negationis deflebat

CARMEN.

AD fletus, oculos aperit recluſor Olympi,
Mergitur & lacrimis, qui ſuper æquor iit.
Perpetuas Veſtæ flammas extinguat ut Urbe
Petrus, perpetuis luctibus ora rigat.
O' ſtupor! Ancillæ voces, expàvit ad ignem,
Qui Neptunines exuperàrat aquas.
Cum timuit Gallum; naturam quippè Leonis
Induit, ad ſonitum qui trepideſcit avis.
Me fugit, undè jubar mentis tenebreſceret Illi
Cujus & umbra, ægris Gratia lucis erat?

AD EUMDEM

Ob victoriam habitam de pernicioſiſſimo Simone Mago.

CAR-

CARMEN.

DÆmonis ad motum Simone volante per auras;
Protinùs ad Petri tendit in ima preces.
Remigium alarum frangit Piſcator, & Ille
Auſus ſe Cœlo credere, tangit humum:
Infœlix Simon, caſu (novus Icarus) alto
Non eſt in molles præcipitatus aquas:
Duriùs ut fractis lædatur cruribus, ecce.
Metitur durum ſaucia planta ſolum.

SUPER EODEM PRINCIPE APOSTOLORUM.

Videbatur non poſſe ſaturari lacrimis rememorando ſuam infidelitatem.

CARMEN

EN Petrus à Chriſto ſolidiſſima petra vocatus
Nat ſuper (à flamma tractus amoris) aquas.
Calcarunt pelagi liquidiſſima marmora tali,
Excepitque ſuos Tethyos aula pedes.
Quod tamen imperium tumidas eſt nactus in undas
In lacrimas minimè ſentit habere ſuas.
Si bonus ut Paſtor vigilare faceſſit ocellos,
Ut reus ad noxam non gemuiſſe nequit:
Cantus avis planctum ſtimulat, nectantur ut unà
Alterius leſſus, Alteriuſque canor.

AD DIVUM PAULUM

Apoſtolorum Principem. Dejectus ab equo ut hoſtis Eccleſiæ factus eſt poſtmodum Propugnator, & meruit rapi ad tertium Cœlum, deſpexitque vocari Mercurium. Ejus dies natalitius 30. *Junii.*

CARMEN.

PAulus ubi cecidit, ſcalam ſibi fecit ad Æthram;
Et caſus ſuperas egit adire plagas.
Ad triplex rapitur Cœlum, quia Tethydis imæ
Ter bibit æquoreas naufragus hoſpes aquas.
Illuc calcavit plantis Cithereidos aſtrum,
Ut terris Venerem preſſerat antè pede.
Vipereum Melitæ colubrum cum pollice ſtrinxit,
Nec ſenſit rabidæ toxica dira feræ.
Caduceator Lyſtris eſt creditus Hermes,
In cujus virgâ vipera nexa manet.
At qui Mercurii raptus ſuper iverat Axem:
Scit peſſum ficti Nomen habere Dei.

AD EUMDEM.

Quod truncato capite Romæ, exiit à vulnere lac triplici rivulo.

CARMEN.

LApſus ubi Paulus truncato vertice manſit
Proſiliit fontis vena beata tripli.
Scilicet objecit latices, ut Roma Neronis
Ulterius poſſet non trepidare faces.
Acephalus gladio, pro ſanguine lacteus amnis
Manat, ab Elyſio ceù fluit unda ſolo.
Relligionis erat Mater naſcentis, & altrix
Paulus, & hoc Natos paſcere lacte dedit.

AD DIVUM RUMOLDUM

Epiſcopum, & Martyrem. Filius fuit Regis Scotiæ, ſed adamans clericalem militiam, aſſumptus eſt ad Epiſcopatum Dublini; Martyrium poſteà eſt aſſecutus Mœchliniæ, quæ eſt Urbs in Flandro Belgico; in qua illi erectum eſt templum inſi-

insigne, à Canonicorum Collegio ministratum. Ejus dies natalitius 1. Julii.

C A R M E N

SCotorum Regum Rumoldus sanguine clarus;
Clarior at proprio sanguine Martyr ovat.
Rexit hic Antistes, Dublinica pascua; sed mox
Purpureo sacram pingit honore mitram.
Mæchliniæ campis, fortissima pectora monstrat,
Pro Christi tabulis dum sua vita perit.
Sed quæ dives humus rubefacta cruore madebat
Exeruit palmis mille theatra suis.
Erexit molem, statuis, comptamque columnis,
Esset quæ cæsi nobilis Ara Ducis.
Centum Collegas, ad musica carmina junxit
Davidicas lectos adsonuisse Fides.
Est dotata domus fulvo fine fine metallo
Primores titulos undè tulere lares.
Posthabuit sapidè Rumoldus Scotica regna
Fulgeret ut Flandro penè sub axe Theos.

VIRGINIS MARIÆ BEATISSIMÆ

Visitatio ad suam Cognatam Beatam Elisabeth. Festina gradu salutat cognatam Anum, & sanctificatur Joannes in utero matris. Dies solemnis 2. Julii.

C A R M E N.

EGreditur patriis Virgo Galileja tectis
Visat ut Elisaben per juga celsa senem.
Quàm festina gradu! Nam Dii Numinis æstrum
Pectore quod sentit dat removere moras.
Summa petit; Famulam quæ se mox Ipsa vocarat.
In se declivis, nunc levis alta salit.

Scilicet Aligeri cum Nuncia cœpit Ephœbi
Ad curſus pennas induit indè ſuos.
Exuperat montes, ut voce ſalutet anilem
Cognatam, melius cui data nulla ſalus.
Virginis ad ſonitum, non dum Puer editus alvo,
Se librat in ſaltum, & reveretur Herum!
Et tunc eſt labes primævi lota Parentis,
Et ſunt tartareæ vincla ſoluta feræ.
Numquid erit tantæ diviniùs ore Puellæ?
Aſſilit en Infans! ecce prophetat Anus!

AD DIVUM PROCESSUM

Martyrem. Hujus cuſtodiæ dati ſunt Sancti Petrus, & Paulus, à quibus ipſe Fidei rudimenta accepit, & eſt baptizatus, præbente miraculosè aquam ſaxo Tarpeii montis. Ejus dies natalitius 2. Julii.

C A R M E N.

TE melior cuſtos nullus Proceſſe Dynaſtum;
Cui Petri, & Pauli tradita cura fuit.
Non ſi captivos mandaſſet Roma tuendos
Reges, Zenobiè, ſivè Jugurtha forent.
Te propè proceſſit, vinctus reſerator Olympi
Sub tenebris clauſus qui jubar Orbis erat.
Erogat at magnum tibi mox cuſtodia munus
Solveris (obſtrictus duriùs) ore Petri.
Scilicet è Petrâ, Tarpeja labitur unda
A' quibus è primâ labe piaris aquis.

AD DIVUM MARTINIANUM

Martyrem. Fuit comes Proceſſi in cuſtodia Sanctorum Apoſtolorum, & cum juſſus eſſet adorare Jovis ſimulacrum, ob ludibrium illius in faciem bis ſpuit, quapropter eſt martyrio coronatus. Ejus dies natalitius 2. Julii.

CAR.

C A R M E N

PRimatem Divûm venerari juſſus acerrâ
Tu Jovis in faciem Martiniane ſpuis.
Per Te, Fulminei manſit deriſa poteſtas,
Cum jacta eſt ori bina ſaliva ſuo.
Ne fulmen dextrâ vibrare rubente feraris
Juppiter; at potiùs diſce rubere genis.

AD DIVUM EULOGIUM

Martyrem. Conſtantinopoli, incredibilis conſtantiæ cum ſua morte dedit exemplum, & identidem Martyrii Conſortibus grande calcar. Ejus dies natalitius 3. Julii.

C A R M E N.

ELogium quodcumque canat facunda Suada
Omni Rhetorices floriditate ferax:
Par Laus Eulogio minimè prodibit Athletæ,
Debellatori funeris, atque ſtygis.
Vidit Bizantum, Pugilis non territa corda
Obſtupuit vires non Libitina minus.
Palluerat lictor; læto moriturus at ore
Intempeſtivas Is monet eſſe moras.
Quid cunctaris ait, ferro tere colla Satelles
Neſcis ſegnitiem quod pius odit Amor?
Urbs quid ad hæc? Lapideſcere penè videtur.
Scilicet una ſui cura ſilere, fuit,
Debita Bizanto ſint iſta ſilentia: Verbo
Elogium Martyr ſi facit Ipſe ſibi.

AD DIVAM ELISABETH

Reginam Luſitaniæ. Orta eſt ex Regibus Aragoniis, & nupta Dionyſio Regi Portugalliæ. Tota ejus vita fuit addicta omni-

genæ

genæ virtutis incremento, præcipuè piissima in pauperes, in quorum subsidio, semel aurum in rosas, mutavit tempore biberno, ut ejus liberalitas Regem lateret. Ejus dies natalitius 4. Julii.

CARMEN.

HÆc Sol Hesperiæ, cunas sortitur Elisa,
 Phœbus ubi Hispano sub mare pronus obit.
Sed mirans Titan alium splendescere Solem
 Ignicomos cycli tramite sistit equos.
Atque ait: undè duplex patefiet Apollo per orbem?
 Non patiar: linquam plaustra, rotasque priùs.
Irasci ne Phœbe velis, moderabere currus.
 Tu Cœlo, terris lux & Elisa micet.
Sed Te nobilior; nam Tu penetralia glebæ
 Introis; arcanos cordis at Illa sinus.
Tu generas aurum, mortis plerumque ministrum:
 Ut vivant, aurum prodigit Illa, Viri.
Tu facis ut verno pubescant tempore flores
 Regina hiberno procreat Axe rosas.

AD DIVAM PHILOMENAM

Virginem. Deliciabatur in jugi meditatione vitæ Christi Domini, in qua flebat, suspirabat, & non semel in extasim rapiebatur. Ejus dies natalitius 5. Julii.

CARMEN.

NOn ità dulcisonos promit Philomena canores
 Cùm matutino succida rore gemit.
Fundit, ut ambrosios virgo Philomena susurros
 Plorans confixi Numinis antè pedes.
Arguit illa scelus Tereu, queriturque volando
 Quod sit corde viri nullibi tuta Fides.

Hæc

Hæc Agni fidos, Sponſique recantat amores,
Qui pro ſe flagris voverit, atque Cruci.
I Philomena ales, per ſylvas muſica pluma
Mulceat hæc Sponſum, ſtans Philomena Deum.

AD DIVUM TRANQUILLINUM

Martyrem. Et Martyr, & parens fuit Martyrum, liberis enim exemplum, & ſtimulum dedit, quando incredibili tranquillitate, martyrio, & neci ſe vovit. Ejus dies natalitius 6. Julii.

C A R M E N.

VOce tuâ pandis quo Tranquilline ſereno
Ore, procelloſas iveris inter aquas.
Fervebat facies, mare dirior atra Tyranni,
Atque Charybdæâ ſevior ire cane.
Naufragio tumulare Fidem, Spem mergere ponto
Credidit Ille tuam; ſed ſua vana fides.
In mediis undis, pacato corde, Lacones
Reſpicis æthereos, & timor omnis abeſt.
Quò plus tolluntur fluctus, vicinius Æthræ
Appropias, ſuperâ quà potiare plagâ.
Sic Vates Jonas, piſcis ſub ventre, quiete
Impavidâ fruitur, dum ſecat ille fretum.
Non alius portum tranquilliùs attigit, ut Tu
Qui mare pœnarum Cœlite pace voras.
Hæc tua Pax, Natis exemplum fortè reliquit
Par nece tranquillâ, ſigna paterna ſequi.

AD DIVAM EDIBULGHAM

Virginem. Filia fuit Regis Anglorum, & rejecto Mundi amore, in Chriſtum Sponſum collocavit affectum, à quo viciſſim dilecta fuit, & divinis muneribus perſæpè locupletata. Ejus dies natalitius 7. Julii.

CAR-

CARMEN

O' Decus ò Proles Anglorum Regis Edibulgh,
Tu Virgo terris, Sponsa beata polo.
Quod rigidâ veles regalia corpora pallâ,
Quod duro tundas lactea membra flagro;
Non Ego tam miror, quàm dulces Pectoris ignes;
Urentes valido viscera tota rogo.
Intus ut ardescunt, supero fervore liquescis;
Et geminus madido lumine rivus abit.
Auscultat Sponsus, roseo quos promis ab ore
Concentus, quantùm proh sonor ille placet!
Nec tibi detrectat dare mutua pignora amoris,
Quæ dat largitor munera Numen Amor.
In Te (sidereâ quia Virgo cupidine flagras)
Omnipotens Opifex condit, & ardet opus.

AD FESTUM DEDICATIONIS ECCLESIÆ

Cathedralis Neapolitanæ. In hac libentius est Numen munificum. Dies solemnis 7 Julii.

CARMEN.

PRincipis ò Templi salve Domus inclyta, salve
Numinis hospitio Nobilitata tui.
Hos aditus, Cœli tibi vindicat Incola Rector,
Et dat primatem promeruisse locum.
Hìc adamantæis si vectibus Æthra negarit
Roriferas pluvias, detque sitire polo:
Hìc si dira voret campi sata culta locusta,
Sanguineâque metet corpora falce lues.
Supplicibus votis exoret quisque Tonantem,
Qui sani præsens sub penetrale latet.

Pro-

Protinùs è ſupero ruet aere, nimbus aquarum,
Exurget plenâ ſpicea meſſe Ceres.
Te veneror pluſquàm fuit illa Salòmonis Ara
Majeſtate olim magnificata Dei!
Tranſiit ille favor, rapidi ſub imagine fumi
In Te Majeſtas Numinis uſquè manet.

AD DIVUM AQUILAM

Martyrem. Inſtar Aquilæ, evolavit ad coronam Martyrii, & rapuit Beatitudinis cœleſtis æternitatem. Dies ejus natalitius 8. Julii.

CARMEN.

PLumea Gens, Aquilam liquidum ſuper aera nantem
Aſpice, quo pennæ remige, findat iter!
Depoſuit ſpolium fuſo benè ſanguine carnis
Præpetibus calamis, & ſuper aſtra volat.
O' Aquila æternum fœlix! Jovis es ne ſatelles
Cum tonat inque ſtygem, tela triſulca parat?
Es certè; nam poſt victæ mortis agonem
Antè pedes, nidum Cunctipotentis habes.
Fige oculos, Solique tuo, Dominoque, Deoque
Lucis inocciduæ cuncta fluenta bibes.

AD DIVUM AUDACEM

Martyrem. Auſus fuit veneficiis, & incantationibus captare Anatoliam Virginem, invanum tamen, & mox cum videret præfatam puellam conſtantiſſimè in martyrii paſſione, Audax etiam eſt Martyr effectus Dies natalitius 9. Julii.

CARMEN.

AUdacem Te non Fortuna; at Gratia fecit
Audentes ne ſuos non Charis axis habet?

Aufus eras, fed forte malâ, Plutone Magiftro
Virgineis thalamis illaqueare glomus.
Infœlix Audax fruftratus forte fecundâ!
At mox quàm fœlix, forte feraxque bonâ!
Pectore fœmineo dum vim, roburque tueris:
Audes te certæ facrificare neci.
Non erit æternùm Te fortunatior Audax
Ictu oculi, Satan ludis, & aftra rapis.

AD DIVAM FOELICITATEM

Martyrem Mater fuit feptem filiorum, qui omnes conftantiffimè martyrium fubierunt Ipsâ viriliter hortante. Ejus dies natalitius 10. *Julii.*

C A R M E N.

FUdifti in lucem feptem quos fœmina fœtus
Hos & fœlici vincere Marte doces.
Qui calor ad pugnam! tua detegis ubera Mater
Indè rogas fortes fint in agone viri.
Ah ne languefcant, dat lac calcaria potum.
Sanguineum flumen fpargere mamma facit.
Vox materna tubæ maneat fonus, arma miniftret,
Ut fuperent hoftes vifa papilla truces.
Vicerunt Fratres feptem, totidemque coronas
Aligeri, meritis impofuere comis.
Dum tua Progenies feptenum fulget ut Aftrum
Efto planetarum Tu fimul Æthra Parens.

AD DIVUM JANVARIUM

Martyrem. Unus fuit ex feptem Fratribus, filiis Sanctæ Fœlicitatis, qui plumbatis cœfus, eft martyrio laureatus. Dies natalitius 10. *Julii.*

CAR-

C A R M E N.

SIgnifer est Princeps mensis Janvarius Anni.
Auspice quo, nivibus plus aperitur iter.
Tu quoque Janvari referas primordia fati
Septeni, frigens quod Libitina gerit.
Prosilis in campum ceù Dux prior, antè Tyrannum,
Nec te plumbatis, verberibusque negas.
Non animum frangit flagrorum mota procella,
Sed Te tempestas desuper astra vehit.
Roboris exemplum Te Fratribus exeris: Illi
Te Duce dediscunt tela pavere necis.
Janus Olympiadum ductoris nomina servat
Non illi est Anni janua clausa novi.
Tu ducis Fratres Janvari ad limen Olympi,
Recludisque fores, cum prior Ipse cadis.

AD DIVUM FOELICEM

Martyrem. Hic etiam unus fuit ex liberis Sanctæ Fœlicitatis, qui verberibus contusus immortalis coronæ nactus est adoream. Ejus dies natalitius 10.*Julii*.

C A R M E N

FOElix ò iterum fœlix, qui stemmate Matris
Auspicium duplicis prosperitatis habes.
Arridere tibi nequeunt plùs fata secunda
Ni quando cœsus verbere, Martyr obis.
Non tot malleolis ictus, gravis excipit incus
Dura lacertosus cum ferit æra Faber:
Quot tua fert carnis scuticarum sarcina molem,
Quæ venit immani sollicitata manu.
Tunde ferox, quacumque placet tere corpora fuste
Hac forsan, gemmam non magis arte polis?
Tu facis ut Procerûm nullus Fœlicior extet.
Qui geminis titulis Regna beata colat.

AD DIVUM PHILIPPUM

Martyrem. Hic quoque filius Beatæ Fœlicitatis unà cum suo Fratre Fœlice eodem genere martyrii, scilicet fustium contusione necatus est. Dies natalitius 10.*Julii.*

CARMEN.

PAr Fœlice tibi germano, tunse Philippe
  Occasus vitæ, suppliciique genus.
Gens fera, nodoso pulsat tua robore membra,
  Nec pars immunis vulneris ulla vacat.
Parcius hibernos mala grando lancinat hortos
  Mitiùs Adriacam percutit æquor humum.
Qualis at es Socius fustis, Consorsque bacilli
  Nonnè triumphali talis honore comes?
Dia Fides hos Tyndaridas venerare Lacones
  Sorte pari, superas si meruere domos.

AD DIVUM SYLVANUM

Martyrem. Sanctæ Fœlicitatis fuit filius, qui ab alto dejectus horrido præcipitio vitam finivit. Ejus dies natalitius 10.*Julii.*

CARMEN

EX alto jaceris revolubile pondus in imam;
  Quam Tu purpureo sanguine pingis humum.
O' quæ præcipitem Te fert Sylvane ruina!
  Credibile est mediâ Te periisse via.
Sed casus superas adigit conscendere Stellas,
  Et mors perpetua vivere luce dies.
Lucifer ut cecidit, stygiis est mersus in umbris
  Dum ruis in præceps, Tu super astra volas.

AD

AD DIVUM ALEXANDRUM

Martyrem. Fuit, & filius Sanctæ Fœlicitatis, qui præbens collum securi, Romæ decapitatus est pro Christi nomine. Dies natalitius 10.*Julii*.

CARMEN

Numquid Alexandrum possedit Græcia solùm?
Vidit Alexandrum Martia Roma suum.
Celsior Hic, Illo qui currere sanguinis amnes
Fecit, & Eoam sub juga traxit humum.
Quæ laus est terras hominum fœdare cruore?
Prosiliit talis de Phlegetonte sitis.
Gloria magna manet, collum præbere securi
Pro Christo, & roseo tingere rore solum.
Talia Alexander, spectacula præbuit Urbi
Plausere Aligeri, postera Fama canet.
Pergama plus isto decorata stetere cruore,
Sanguine consperso quam maculata Remi.

AD DIVUM VITALEM

Martyrem. Sextus fuit filius Beatæ Fœlicitatis, qui suum triumphum adeptus est decollatione capitis. Dies natalitius 10.*Julii*.

CARMEN.

Auspicium vitæ, qui secum voce ferebat
Quomodò non omnis sperneret arma necis?
Væ, væ homini, fragilis vitæ qui tactus amore.
Despicit æternos, mors ubi nulla dies.
Hos ut lucretur Vitalis, navigat æquor
Sanguineum, ut mortis fœnore Sidus emat.
Sollicitat pelagum rubicundi marmoris. Ultrò
In roseos fluctus naufraga vita ruit.

Cor-

Corporis exitium fœlix, si Spiritus unà
Vadit ad Empyreæ gemmea tecta plagæ:
Non est quod Mortem nisu majore cruentet,
Quam qui Vitalis vertice Sanguis abit.

AD DIVUM MARTIALEM

Martyrem. Ultimus fuit filius Sanctæ Fœlicitatis, qui verticis obtruncatione palmam martyrii fœliciter obtinuit. Dies natalitius 10. *Julii.*

CARMEN.

IN Te, nec casu, nec Martis nomen inane
Marte tuo bellum, Martis in Urbe cies.
Prospera sed belli sequitur Fortuna, triumphum
Ex Idolatris, ex Acheronte capis.
Robore non alio vincis, nisi quando bipenni
Offers Carnificis colla secanda manu.
Innumeri palmas frontis sudore rigarunt
Tu palmam cœsi verticis imbre rigas.

AD DIVAM RUFINAM

Romanam, Martyrem. Projecta est in ferventis olei lebetem; sed nihil læsa, in Tiberim cum saxo ad collum alligato est jacta; sed etiam incolumis ab aquis evasit, postremò in medio silvæ, capitis obtruncatione est coronata. Ejus dies natalitius 10. *Julii.*

CARMEN.

IN fervens oleum jaceris Rufina Virago
Cum magis accenso bullit ab igne lebes.
Sed non membra cremat, nec torret Virginis artus,
Quantumvis pleno pinguis oliva foco.
Insuper ad Tiberim raperis, cum pondere collo
Imposito, Albuleis occubitura vadis.

At

At Tiberis parcit, portans veſtigia dorſo
    Leniter, incolumem tranſque fluenta vehit.
Sed quam nec Pallas, nec tradidit Albula palmam
    Ultrò Lictòris ſica cruenta dedit.
Sica peregit, humum liquidis rubuiſſe pyropis
    His gemmis Cœlo texta corona ſua eſt.

AD DIVAM SECUNDAM

Romanam Martyrem. Soror fuit Sanctæ Rufinæ, & eodem genere martyrii quà Soror decorata eſt. Ejus dies natalitius 10.*Julii*.

C A R M E N.

NOn es Martyrio, non Virginitate ſecunda,
    Sed par Rufinæ Virgo Secunda Soror.
Inſtar Germanæ es flammas experta ſecundas,
    Ut pariter Thuſcas Tibridis amnis aquas.
Sic mortis genus eſt unum, locus unus, Vtrique
    Tumba eadem, atque eadem Gloria nacta polo.
Cur non Zodiaco geminum muliebre coruſcat?
    An non Tyndaridas vinceret utra Soror?

AD DIVUM PIUM

Pontificem Maximum. Tempore Antonini Pii, Eccleſiæ clavum eſt moderatus, & in illius imperio cum gloria martyrii decollatus eſt. Cavit ut imponatur pœna incautè tractanti ſanguinem Dominicum in Miſſæ ſacrificio. Item ut prædia ſacris rebus deſtinata, non ad profanos uſus revocentur. Ejus dies natalitius 11.*Julii*.

C A R M E N.

CErtaſti Titulis ipſo cum Cœſare laudum
    Is cognomento, nomine Tu Pius es.

Au-

excarnificationem, jussus est decollari ad ripam fluminis Addæ. Ejus dies natalitius 12.*Julii*.

CARMEN.

NAjades Adduadæ, Nabòris fata dolentes
Plorantesque suam teste cruore, necem.
Exiccate precor lacrimas, compescite cordis
Questus, nevè sinum plurima gutta riget.
Ille Triumphator vestri propè fluminis oras
Conficiens cursum, laurea serta tulit.
Post domitas flammas, superatos pectinis ungues,
Non nisi vos propter, gestiit ense mori.
Ripa cruorifero rubuit gemmata lapillo
Qualis Trinacriâ vulsa coralla nitent.
Nimphæ, videritis cùm fusa perennè per amnem
Creditis ex illo fonte, Roseta fata.

AD DIVUM FOELICEM

Martyrem. Socius fuit Divi Nabòris in martyrio; Secus decursus aquarum fluvialium Addæ, victoriæ fructum meruit percipere. Ejus dies natalitius 12.*Julii*.

AD EUMDEM.

CUm premit octipedis Sol fervida brachia Cancri
Sidereæ Fœlix scandit ad alta domus.
Cis fluvii spondam, rabido caput obtulit ensi
Qui fortis flammæ voverat antè latus.
Si sua Spes, medios inter non aruit ignes,
Gloria flumineis auctior undat aquis.
Obstupuit laticum Ductor, Testisque triumphi
Talia de glauco gurgite verba dedit.
Dum ducam vitreas argenti tramite lymphas
Fœlicis palmæ, murmure Cantor ero.

AD DIVUM ANACLETUM

Pontificem Maximum. Græcus fuit natione; attamen Romam confirmavit omnigenæ veritatis Magiſtram. Munificè tumulum Divi Petri ornavit. Ejus dies natalitius 13. Julii.

C A R M E N.

EST hic Anacletus, Graiis eductus Athenis,
Ad Vaticani culmina ſumma throni.
Poſt cathredas Romæ rectas, poſt ſtructa lycæa
Palladis Argivæ facta ſilere Sophos.
Ornavit tumulum pario de marmore Petri,
Petri qui fulchrum Relligionis erat!
Atria Cæſaridum ſunt viſa minora Sepulchro
Illius, ex hamo cui cibus antè fuit.
Mandavit cineres condi ſub ovale pheretro
His Roma auſpiciis eſſet ut Orbis Hera.
A' Duce ſacrorum quæſivit ritè ſalutem,
Et pro Palladio, ſanxit in Urbe Fidem.

AD DIVUM BONAVENTURAM

Ordinis S. Franciſci, Eccleſiæ Doctorem. Nuncupatus eſt Seraphim ob divinum ardorem, cum aliàs, purpuratus eſſet Heros in Seraphica Religione. Inſectatus eſt Adverſarios Ordinum mendicantium, & pharetram dii amoris compoſuit, ut frigeſcentium Chriſtiadum corda incenderet. Ejus dies natalitius 14. Julii.

C A R M E N.

PUrpurei decus agminis, Ordinis altior Atlas
De Seraphim, Seraphim Tuque putatus Eros:
Non acie ferri; calami ſed acumine pugnas
Adverſus Diæ Relligionis Apros.

Et

Et pugnas, vincisque simul, dedit arma, Minister
Ignitâ facie, Proximiorque Deo.
Idem dat pharetram, quâ frigida corda peruras,
Tuque Pharetratus visus es alter Amor.
Sed non cœcus Amor, neque dictus mentis, es expers
Ingenii Lynceus, luminis Argus ovas.

AD DIVUM HENRICUM

Imperatorem. Cùm innumeris claruisset victoriis pro Fide Christianâ obtentis, illustrior fuit virginitate, quam illæsam servavit cum Sancta Gunegunda Sponsa. Ejus dies natalitius 15. Julii.

CARMEN.

HEnricus, Regum Bavarorum sanguine clarus,
Nec non Cæsareum vectus ad imperium:
Non Te quod subigas miror tot Castra, tot Urbes,
Nec quod tot palmis sit Diadema ferax.
Sed benè, quod fueris cum Conjuge Virgine Virgo
Nevè suis facibus corda cremarit Hymen.
Hoc est plus, totum quod si deviceris Orbem
Plus si Gradivi Martia flamma fores.
Sponsarunt multi frontem cum Daphnide fronde;
Sponsales Pauci deseruere toros.
Pennis, quas victo vulsisti castus Amore
Auxisti Famæ plumea terga tuæ

AD DIVUM ATHANASIUM

Antistitem Neapolitanum. Hic par prisco Athanasio; Labore magno, & non minori constantia, suo gregi tutando insudavit. Chalybis pondere, totum corpus angebat, & à Sergio impio Nepote in exilium missus, Verulis obiit. Ejus dies natalitius 15. Julii.

CARMEN.

ET suus est nostro constans Athanasius Axe
Par prisco mitrâ clarus, ut exilio.
Æmulus Illius toto conamine vellit
Dogmata Sirenis perniciosa gregi.
Interius mentem tegit insuperabile ferrum,
Exterius chalybis pondera, membra ligant.
Ne quidquam terrere Nepos Te Sergius audet
Exilio, terræ si prior exul eras.
Ille brevi, Patriam Patruo dat tangere Morte
Dat Consanguineis, Cœlitibusque frui.

AD SOLEMNITATEM MARIÆ

Virginis Beatissimæ de Monte Carmelo. Mutuus exprimitur amor Mariæ quatenus Matris, & Carmelitarum liberorum ergà ipsam, in qua æmulatione fas est concedi palmam amori Deiparæ. Ejus commemoratio 16.*Julii*.

CARMEN.

NOs tibi Carmelo primam Dea struximus Aram
Cum tuus in terris Spiritus esset adhuc.
Tu sed adoptivæ Sobolis fastigia prima
Largiris nobis, juvit ut ire polum.
Crevit amor Matris super ardua stantis Olympi,
Et crevit Prolis par famulatus humo.
Æmula (si Cœlo fas est componere terram)
Amborum ardendo, visa cupido fuit.
Prolem Sidereo si lactas ubere Virgo:
Nomine pro Matris non negat Illa mori.
Quà Genitricis honor crescat, pro lacte cruorem
Fundit, ut Eoæ Persidis ora probat.
Cede tamen Tu Prolis amor, Genitricis amori
Ex illa manat quod redamemus, opus.

AD

AD DIVUM ALEXIUM

Romanorum nobilissimum. Diù exul à suis fuit tempore ab illo, quo sponsam relinquens, peregrinationem suscepit invisendi celebriora templa. A' tempestate ductus Romam, domo paternâ ignotus delituit; verumtamen in morte est agnitus per papirum suâ manu conscriptam. Ejus dies natalitius 17. Julii.

C A R M E N.

Non majora dedit Romæ spectacula Virtus
Grandiùs & Pietas pandit in Urbe nihil:
Quam gazis florens Aglaæ germen Alexin
Egisse è Sponsæ longiùs ire toro.
Sed prius exilio, jam viderat exul Alexis
Omne palatinum se minùs esse decus.
Porticus excœpit Peregrini signa, sub illa
Edidicit verum Numine flante, sophos.
Doctus mundanos sæcli contemnere fastus
Maternos iterum Se tulit antè lares.
Nec Consanguineis notus, nisi quandò papiro
Scripsit mortalis lustra peracta viæ.
Concivem Cœli se prodidit: illicò Roma
Indigetem Templis est venerata suis.

AD DIVAM SIMPHOROSAM

Tiburtinam Martyrem. Mater fuit septem filiorum, quos prius hortata est ad martyrium, indè suo exemplo vehementius accendit. In profluentem enim, antè liberorum mortem est projecta cum saxo ad collum alligato. Ejus dies natalit. 18 Julii.

C A R M E N.

Antevolat natos, palmamque præoccupat Una]
Septenæ sobolis Tibure nata Parens.

Hoc

Hoc licet in votis Genitricis inardeat omnis
Maturâ genitos morte præire ſuos.
Tu tamen aſſequeris, non ſolo Matris amore;
Aſt ut Virtutis des documenta tuæ.
Quos animaſti utero, gaudes animare coronis
Simphoroſa prius, ne trepidentve necem.
Poſt Animi pluſquam præbes exempla virilis
Fœmina, cum gaudens mergeris inter aquas.
Heù pietas, ſaxi eſt oneratum pondere collum
A' quo tot fortes exiliere ſoni.
Illud onus ceſſit mox, in firmaminis omen
Septenæ proli, firmior undè foret.
Scilicet immotos ſi fortè procella negaſſet
Eſſet ſeptenis anchora penè Satis.

AD DIVUM CRESCENTIUM

Martyrem. Hic fuit primus filius Sanctæ Symphoroſæ, qui poſt maternum hortatum, & exemplum, gutturis tranſfixione primùm martyrio eſt coronatus. Ejus dies natalitius 18.*Julii*.

CARMEN

NAtorum primus Creſcenti, guttura ſacras
Ferro, Carnificis Te jugulante manu.
Quam benè: Namque prius lapidi ſua guttura mater
Simphoroſa dedit, merſa fluentis aquâ.
Num ſaxi pondus, maternis pondera verbis
Præbuit, ut mortis par tibi ſtaret amor?
Sic equidem. Molles non nutris pectore ſenſus
Cor ſolidum Genitrix plus adamante dedit.
Robore marmoream ſtupuiſti penè Satricem
Non ſecus obduras Tu quoque membra neci.

AD DIVUM JULIANUM

Martyrem. Fuit ordine ſecundus Filius Sanctæ Simphoroſæ, qui immediatè poſt Creſcentium, pectore tranſverberato ad Cœlos evolavit. Dies natalitius 18.*Julii*.

C A R M E N.

PEctore transfoderis, Juli, dum menſis Julus
Octodecim memorat Sole flagrante dies.
Auſpicium palmæ tibi dat cum Nomine, Menſis.
Utraque ovaturum Vox monet eſſe Virum.
Creditis, eſt Juli nomen fatale triumphis
Tunc primum lucis Cæſar adivit iter.
Tù tamen illuſtras meliori ſtemmate Menſem;
Nam de Cæſaribus, funere Victor ovas.

AD DIVUM NEMESIUM

Martyrem. Tertius fuit filius Sanctæ Simphoroſæ, meruitque triumphum martyrii, cordis tranſverberatione. Ejus dies natalitius 18.*Julii*.

C A R M E N

TErtia progenies Nemeſus, ter & amplius actas
Exuperat palmas, nobiliore nece.
Tranſadigit Lictor fontem præcordia vitæ,
Ebria de bibito ſanguine ſpatha rubet.
Non niſi pro ſcuto apponit cor nobilis Heros
Nobilior vitæ num manet arce fibra?
Sed qui vitalem Trux egit abire calorem
Non potuit ſuperas imminuiſſe faces.
Nec fuit inſuetum Juveni ſua corda feriri.
A' quo? Dius erat vulneris author Amor.

AD

AD DIVUM JUSTINUM

Martyrem. Quarta fuit propago Beatæ Simphorosæ, & membratim tortus, est in frusta concisus ab Idolatris, odio Christianæ Fidei. Dies natalitius 18.*Julii*.

CARMEN.

IN quatuor Martyr Justinus frusta secatur
    Justinus, Matris quarta propago suæ.
Viderunt Orbis quatuor sua stemmata partes
    Aeris & quatuor non siluere flabra.
Cui Te quadrifidum, rutilo similabo Planetæ?
    Soli quadrijugis qui jubar accit equis?
Non, melius quam Fratri æquabo Sorori;
    Nam Phœbe quatuor segmina lucis habet.

AD DIVUM PRIMITIVUM

Martyrem. Hic in cœtu Fratrum Martyrum coronatus est trajecto umbilico. Dies natalitius 18.*Julii.*

CARMEN.

SAucia Primtivi mucronis ab ictibus alvus
    Heù madet, & rosei vena cruoris abit.
Is tamen innixus palo, manibusque ligatis
    Mente polum libat, sidera corde petit.
En ubi sanguineus cadit humor, sarcina carnis
    Solvitur, è Cœlo dulcior unda fluit!
Hæc dat vitales animo potare liquores
    Scilicet ætherei munere roris ali.
Non igitur vulnus, nocuæ fert Fata ruinæ;
    Porta sed est Superum, quæ rubra pandit iter.

AD DIVUM STACTÆUM

Martyrem. Pignus etiam fuit Beatæ Simphorosæ, meruitque lau-

lauream, cùm palo affixus, sagittis plurimis configeretur. Dies natalitius 18. Julii.

CARMEN

AFfixus trunco, manibus post terga revinctis
Dilacerant artus millia tela tuos.
Non secus induvio, tegeris Stactæ cruore
Purpureamque geris, sanguinis imbre stolam.
O' quæ de roseo promanat vulnere gemma!
Balsameas redolent ulcera passa favos.
Talis ab inciso desudat cortice myrrha,
Quæ corruptibilem non sinit esse cutem.
Tu Stactæ tuæ sis stacte Carnis odora
Mirum! non tabem, Mors sed aroma parit?

AD DIVUM EUGENIUM

Martyrem. Istius palma fuit coronis Fraternarum aureolarum, & cecidit fidei hostia, cum ejus pectus in duas partes esset dissectum. Ejus dies natalitius 18. Julii.

CARMEN.

DEnte canis tyrio se prodidit æquore murex
Detexitque maris gemmea dona furor.
Taliter Eugenii referantur munera, quando
Finditur in partes pectoris arca duas.
Euge puer, puer euge, tuos dum dissecat artus
Lictor, gemmatam non nisi reddit humum.
Es Tibur, fusi pretiosior imbre cruoris.
Quàm sis argenti dives ab amne tui.

AD DIVAM AVREAM

Virginem, & Martyrem. Cum vidisset martyriorum instrumenta, defecit animo, deindè pœnitens facti, ultrò obvia fit

ferro, & lucrato martyrio, suo sanguine est purpurata. Ejus dies natalitius 19. Julii.

CARMEN.

ŒRis ad aspectum, cecidit prius Aurea Virgo
Terruerat sævus Cor muliebre mucro.
Rursus at ad visum se pandit Amazona ferrum
Urgentem ferri stigmata cuncta stili.
Fortiùs erexit Se, cum non palluit aurum
Quam benè duritiem gestiit esse Sibi!
Visio proh grandis! venas manare cruore,
Et simul aurifero fonte, madere solum!
Unde decus chalybi tantum, quæratur ut auro?
Sic avidè pretium conficit unde sui?
Aurea fecit ovans: vilem se credidit esse
Ni ferro caderet victima vota Polo.

AD DIVAM MARGARITAM

Martyrem. Variè est excruciata, & pœnosissimo Martyrii monile decorata, educta est ad Sponsum. Ejus dies natalitius 20. Julii.

CARMEN.

MArgaritâ collata meâ, vilescit Hydaspis
Omnis gemma nec est par, ea nata mari.
Clarior hæc Illâ; proprii quia sanguinis undis
Est inventa, Poli non nisi visa genus.
Obstupuit Natura, illam haud pallere, procellas
Inter pœnarum, nevè timere necem.
Conjecta in flammas non est obnoxia fumo;
Lucidiùs potiùs sed sibi nacta jubar.
Non est malleolis ferri diffricta, nec ære
Victa, sed est omni parte polita magis.

Hic

Hic est concharum pretiosior Unio: comat
Hoc, digitos, crines, pectora, Dia Fides;

AD DIVAM PRAXEDEM

Virginem, Romanam. In tempore dirarum persecutionum Imperatorum, Ipsa erat omne solamen Christicolis tam hospitio, quàm opibus, nec non in sepeliendis Martyrum cadaveribus. Ejus dies natalitius 21. Julii.

CARMEN.

ILlo frendentum quo tempore Roma ferarum
Sylva erat ad solas semper anhela neces.
Iliadem dorso Praxedes Virgo laborum
Portans, Christicolis omne levamen erat.
Servabat tutâ quassos placidissima sede
Junxerat afflictis hospita tecta viris.
Cujus inops, ægerque, rei miserandus egebat
Illi res largâ præstò dabatur ope.
Corpora quin etiam vitâ spoliata, sepulchro
Mandabat, sacri sub penetrale laris.
Sic apis ad ceras, ad hymettia mella ministrans
Extinctas etiam funere condit apes.
Praxedes, operâ fuerit cum visa Melissæ
Tam similis, major Virginitate fuit.

AD DIVAM MARIAM MAGDALENAM

Commendatur, quod inter convivium suas culpas incessanter deflens, meruerit Dei amicitiam. Dies natalit. 22. Julii.

CARMEN.

MAgdala, Se mensas inter, miscetque Lieum;
Attamen ut fieret sobria cœpit iter.

Fallor, ut hinc redeat laudabilis ebria, currit,
Scilicet ut ſupero ſit madefacta mero.
Acceſſit, Dominique pedi, dulciſque Magiſtri
Immixtis lacrimis oſcula mille dedit.
In mediis epulis Peccatrix hauſit Amorem
Per quem mundanus viluit omnis amor.
Contigit huic Uni, Cererem Bacchumque quod inter
Friguerit, mirto deſpoliata Venus.

AD EAMDEM.

Capillis capitis ſui terſit pedes Domini lacrimis madefactos.
Dies natalitius 22. Julii.

CARMEN

HAnc Ego Cæſariem, ſceleris, Mundique trophæum
Calcibus heù meritò (Lux mea) ſterno tuis.
Excuſſi pondus, priſciſque ſoluta catenis
Sum debellatrix Te miſerante mei.
Ergò comas, tamquam vexilla hoſtilia victa
Fas eſt, ut lacerem, projiciamque ſolo.

SUPER EADEM MATERIA.

Projicit ornamenta trahentia in profundum abyſſi:
Dies natalitius 22. Julii.

CARMEN.

LOngior à portu, mundana per æquora, quales
Heù tempeſtates, non hyemeſque tuli?
Nunc ubi naufragium ſupereſt, ne devorer undis
Expedit, ut navis ſarcina tota ruat.
Utque facit cautus vitæ Nauclerus amore
Quod grave fert puppis conjicit inter aquas:
Sic unguenta, comas jacio mea pondera pompas,
Ut vivam: in gemitus illaque mergo mare.

AD

AD DIVUM APOLLINAREM

Episcopum Ravennæ Martyrem. Destruxit simulacrum Osiris, præcipui Numinis Memphytici. Usum loquelæ tribuit muto, jussus est incedere super prunas, sed illæsus abiit. Ejus dies natalitius 23. Julii.

C A R M E N.

EN ab Apollineo, qui defert lumine Nomen,
Estque Ravennatis Pastor, amorque gregis.
Serapidis cultus sacro necat ore nefastos,
Nec finit Idolum promere verba bovem.
Tristiùs ah mutum Hierophanta reflevit Osirim,
Visum, mugitus nec dare posse suos.
Hic tamen elingues valuit, qui reddere Divos
E' muto, fantem præcipit esse virum.
Ardentes jussus super est incedere prunas,
Sed nil carbones, nil nocuere faces.
Incolumis didicit plantis calcare favillas
Mox calcaturus Sidera calce pedis.

AD DIVAM CHRISTINAM

Virginem, & Martyrem. Conclusa est ab infidele Genitore in turri, ibi aurea simulacra Deorum contrivit, & elargita est pauperibus. Ejus dies natalitius 24. Julii.

C A R M E N.

SEctatrix Christi, Christina piissima, nullus
Adveniet meritæ par tibi laudis honor.
Tu victrix non in campo, sed pulvere Divum;
Aurea fregisti cum simulacra Deûm;
Partiris fulvi fragmenta refracta metalli
Inter opum nudos, & sine pane senes.

Quàm

Quàm benè cesserunt in Mendicantis amictus
Conflati ex auro turba inhonora Dii.
Hæc Christina facis, turris munimine clausa
Opposita ut Danaæ sors tua Virgo micet.
Illa intrà speculam, Jovis aurei adacta rapina est.
Auriferum prædam sed facis Ipsa Jovem.

AD DIVUM CHRISTOPHORUM

Martyrem. Insectator fuit Ethnici cultus, ipsius baculum telluri fixum viruit, super suos humeros gyganteos Christum vexit. Ejus dies natalitius 24. Julii.

CARMEN

ASpice Christophorum, procerâ mole Gygantem,
Ut verè falsis intimet arma Diis.
Non Is Terrigenum de semine Natus; at ausus
Est ipsum fausto vincere Marte Jovem.
En sua fert elatè virgam, quæ credita terræ
Eviruit sterili prodigiosa solo.
Clava quid Alcidis? Naturæ monstra subegit!
Naturam vicit Christophori baculus.
Et sua Cœlorum dum portant tergora Fabrum
Est melior fulti bajulus axis Atlas.

AD DIVUM JACOBUM

Apostolum Martyrem. Commendatur quod sit à Christo, vocatus filius tonitrui, hinc Maurorum extitit victor, pugnans pro Hispana natione, quæ ipsum sibi primarium Patronum ascivit. Dies natalitius 25. Julii.

CARMEN.

HEsperii salve Lux præstantissima Cœli
Præsidium salve Dux Jacobe Tagi.

Non

Non ſemel in Mauros auditus es ore Tonitrus
Direxiſſe aciem, Signifer uſus equo.
Turbaſti Numidas, tribuiſti robur Iberis.
Hoſtibus ille fragor, mors erat, atque pavor.
Caſtoras haud jactes equitantes Roma per Æthram
Jacobus verè taliter ivit eques.
Suppetiis Divi quid mirum Hiſpana propago
Tam fœlix gemini ſi fuit Orbis Hera?

AD DIVAM ANNAM

Parentem Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Dilatus eſt fructus ſui connubii, uſque ad ſenectutem, ut filia procreanda fructus eſſet orationis, & lacrimarum. Dies natalitius 26. Julii.

CARMEN.

ANna pàrens charitum, Matrem prius mente, Tonantis
Conceptura, ſuo poſt paritura ſinu.
Conjugii fructu tandem lætatur, & alvus
Radicem, terrâ de ſitiente gerit.
Deletum eſt probrum concluſi ventris. Olympus
Amplius haud ſteriles annuit eſſe toros.
Magna fuit fateor mora, longævam inque ſenectam
Spes dilata; ſed hoc juſque decenſque fuit.
Tanti erat excelſam Verbi genuiſſe Parentem,
Ut prece continuâ prævia vota forent.
Quomodò Margaritæ fieret nova concha Mariæ.
Ni præceſſiſſet ros lacrimoſus Anus?

AD DIVUM PANTALEONEM

Medicum, & Martyrem. Polluit arte medendi, & ſuis nutibus ceciderunt Deorum ſimulacra. Ejus dies natalitius 27. Julii.

CAR.

CARMEN

Est Hic Pantaleon; doctiſſimus arte medendi
Expertus, mortem non domuiſſe ſemel.
Penè fuit ſemper, relevetur ut æger in Ipſo.
Struma procul, febris, puſtula, vulnus iit.
Idem ter nutu, terras commovit, aitque
Ethnica præcipitent hic ſimulacra Deûm:
Paret humus: cecidere Dii, Sic calluit Unus
Pharmaca ferre viris, vulnera ferre Diis.

AD DIVUM NAZARIUM

Martyrem. Ejus venerandum aſpectum, æquis oculis menſus eſt Nero crudeliſſimus Imperator; ubi tamen vidit temnere Deorum cultum, juſſit in mare, demergi; ſed incolumis ſuper aquas ambulavit, comite Celſo puero. Ejus dies natalitius 28. Julii.

CARMEN

Nazarii vultus veneratur, felle ſequeſtro
Ipsâ feralis plus feritate Nero.
Aſt ubi conſpexit Divorum ſpernere cultum,
Illius & nutu ſigna ruiſſe Jovis.
Exarſit rabie, ſubmergite fluctibus inquit,
Et facite hunc eſcam piſcis abire Senem:
In mare dejecit ſtultè. Non obruit illum
Æquor, at erectum ſuſtinet, inſtar humi:
Sic ſuperavit aquas, qui vicerat antè Neronem,
Fax qui terreni totius Orbis erat.

AD DIVUM CELSUM

Martyrem. Fuit puer Celſus, ſocius Nazarii ſenis, & ambo Martyres eodem genere martyrii ſunt glorioſiſſimè coronati. Ejus dies natalitius 28. Julii.

CAR-

C A R M E N.

CElse (puer quamvis) es nomine Celsus, & actis:
Intrepidus viso Cæsaris ore, manes.
Quin potis es frontis geminos hebetare cometes
Augustæ frontis Luce micante tuæ.
Lora, rotæ, fasces tibi visa crepundia, ludi.
Haud minus est chalybis lancea visa trochus.
Quandoquidem Celsus stas Cæsare celsior ipso,
Regalique micas Altior ipse throno.
Hunc frustrà credas Nero mergi posse, profundo:
En non obruitur: Celsus & inter aquas

AD DIVUM VICTOREM

Antistitem summum, & Martyrem. In Africa natus, evectus est ad Petri solium. Cum multas Sanctissimas leges condidisset Romæ, martyrio suum exitum lætantibus Angelis coronavit. Ejus dies natalitius 28. Julii.

C A R M E N.

AFrum Victorem petiit sibi Roma Hierarcham
Invida ne Latii visa sit una parens.
Evocat à Pœnis tantum virtute Dynastam,
Ut Vaticano det quoque jura suo.
Victricis Victor placidè capit Urbis habenas
Ad Cœlos currus dirigit ille rotas.
Cum septemgeminas decorasset legibus Arces
Sanguine vult etiam mox decorare sacro.
Assequitur: fundit pro Relligione cruorem,
Et fusus murex, est tibi Roma decus.

AD DIVUM INNOCENTIUM

Pontificem Maximum, Confessorem. Tutatus est Ecclesiam temporibus durissimis. Damnavit Pelagium, & Cælestem Hære-

 siarchas.

fiarcbas; *Subtractus est Dei providentiâ ad Ravennam ne Urbis excidium videret. Ejus dies natalitius* 28.*Julii.*

CARMEN

SAncte fenex, parvam Petri tutate carinam
Tempore quo pelago magna furebat hyems.
Tu vitâ Innocuus, Tu nomine, moribus infons,
Incolumem fervas per freta cœca ratem.
Pelagium damnas, Cœleftem tradis in Orcum
Non fecus à Cœlo Lucifer exul iit.
Cùm tamen ingrueret, bellantis turbo procellæ:
A' Roma, Dominus Te facit effe procul.
Ille Ravennati jubet ut tellure moreris
Ne videas Urbis funera, damna, faces.
Si Te barbaricâ fervavit Numen ab ira
Nil mirum. Innocuus Lot velut alter eras.

AD DIVAM MARTHAM

Virginem. Clara fuit hofpitio fui Divini Magiftri. Poft illius mortem à Judæis expofita eft certo naufragio, in nave, velo, clave, remis carente: verum Diâ protegente gratiâ, incolumis appulit Maffiliam, ubi erecto clauftro Sanctarum Mulierum fanctiffimè curfum confumavit. Ejus dies natalitius 29. *Julii.*

CARMEN.

MArtha minifterio divini vota Magiftri
Convivam Numen gaudet habere domo.
Sedula componit menfas, ut apifque laborat,
Cui par, & meritò Virginitatis erat.
Cum jam nave fuper, pelagi damnatur abyffo
(Nam clavo, & remis quaffa carina caret)
Non eft æquoreæ data naufraga præda procellæ,
Nec tumulum glaucas repperit inter aquas.

Quip.

Quippè Nefas Illi ſpumâ maris, eſſe ſepulchrum
Eſt ubi natalem Cypria nacta Venus.
Sed plaga Maſſiliæ niveis decorata liguſtris
Incolumem cœpit, Francaque tecta dedit.
Uberiore reor tunc ſemine, Lilia tellus
Edidit, & florum nomine ſtemma tulit.

AD DIVUM FOELICEM

Pontificem Maximum, Confeſſorem. Pro Orthodoxi gregis cura innumeros hauſit labores. Exarſit martyrii deſiderio; ſed non obtinuit, idcircò inter manus Angelorum ſancto fine quievit. Ejus dies natalitius 29. Julii.

CARMEN.

FOElicem Romam, Fœlici Principe rectam!
Erexit Pietas hoc moderante caput.
Intemarata Fides Superûm, ſub Præſule tanto
In magno rerum tuta furore ſtetit.
Innumeros quoties è templis depulit hoſtes!
Antè ſuos cecidit Cæſaris ira pedes.
In votis erat unus amor, cum ſanguine vitam
Fundere, primores ceù meruere Patres.
Cœlicolis aliter viſum; conceſſa labori
Eſt ea quæ gladio vita negata fuit.
Sic cumulo meliùs meritorum tranſiit ævum,
Suffecit, Cordi Lictor ut eſſet Eros.

AD DIVOS SIMPLICIUM, ET FAUSTINUM.

Martyres, Romanos. Diocletiani ſcelere conjecti ſunt in fœtidum carcerem, ut à Chriſti Fide deficerent. Indè capitali ſententia ſunt damnati, Soror verò eorum Beatrix, carcere præfocatur. Dies natalitius 29. Julii.

CARMEN.

ROmani proceres, nullâ Diocletius arte
Eſt potis à Chriſti vos reſilire Fide.
Ad tormenta venit: Spurciſſima carceris ædes
Eſt vobis longâ pro nece, dicta domus.
Sed mox maturare moras jubet Ille: bipennis
Præcipit ut veſtrum ſit citò præda caput
Occiditis Fratres ambo, Romanaque tellus
Purpûreo melius flumine picta rubet.
Quid furis ò Ceſar, ne ſpe lacteris inani
Areat ut fuſo ſanguine Dia Fides.
Illa magis creſcet, ceù planta rigata ſcatebris
Uberiùs fœtus progenitura novos.
Seminis inſtar abit, cœſi cruor omnis Athletæ
Centuplici gliſcent germina ſtirpe ſata.

AD DIVAM BEATRICEM

Virginem, & Martyrem. Præfocata eſt in carcere propter nobiliſſimam Fidei Chriſtianæ confeſſionem. Ejus dies natalitius 29. Julii.

CARMEN

FAucibus eliſis ad regna beata Beatrix
Evolat, & vitæ vincula, vincla terunt.
Spiritus ò fœlix, qui quamvis gutture clauſo
Tam benè Sidereæ repperit arcis iter.
Torquibus ornatam Te Jeſus cœpit in ulnas
Luminibus placuit, tale monile ſuis.
Spiræ, quæ collum vinxiſtis Virginis, æquè
Sciviſtis Sponſi corda ligare Dei.

AD DIVUM ABDON

Martyrem. E' regali Perſarum proſapia natus eſt. Ductus Re-

Romam, ut idola adoraret spuit in simulacrum Solis, indè cum Socio Sennen, leonibus est objectus à quibus illæsus abiit. Ejus dies natalitius 30.Julii.

CARMEN.

SI tabulas nescis, sunt illæ Martyris Abdon,
Cui natale solum Persidis ora dedit.
Non tot divitias genuit, nec Persia gemmas
Quot Dias Abdon pectore fovit opes.
Splendidiùs nituit Virtus, cùm raptus ad Aras,
Vt coleret Solis, Solis in ora spuit.
Scilicet errantis renuit còmes esse Planetæ
Nevè fidem perdat, perdit ut ille jubar.
Non fugit occasum vitæ, Titana ne adoret
Sivè sit exoriens, sivè sit occiduus.
Rem visu pulchram! cœpit maculosior esse
Lunâ, Sol: facie dum data sputa tulit.

AD DIVUM SENNEN

Martyrem. Fuit & Regulus Persa, sicuti Abdon, & comes ejusdem martyrii. Antè rhedas Decii Imperatoris est tractus, & Romam appulsus cum suo socio, jussus Solis simulacrum adorare, in illius faciem spuit, indè damnatus est ad Leones à quibus illæsus mansit. Dies natalitius 30.Julii.

CARMEN

REgulus en Sennen, Perso decor additur Axi
Quadrijugas Decii vinctus it antè rotas.
Vidit Roma, virum religatum colla catenis;
Cæsare liberior Vinctus at intus erat.
Obsequium jussus Soli præstare, negavit.
Sed Phœbi pernix in simulacra spuit.
Tunc erat ardentis Titan in signa Leonis;
Spicula sed lucis nil valuere suæ.

Am-

Amphitheatrali tandem damnatus arenæ
Invènit mites ad ſua damna feras.
Terreus à Supero didicit Leo lenior eſſe,
Ceù bove majori diſcit arare minor.

AD DIVUM IGNATIUM LOJOLA.

Fundatorem illuſtriſſimæ Societatis Jeſu. Adſtruitur admirabilis ejus converſio ad Deum: Scilicet à vulnere in crure recepto ad divinam militiam evolavit. Ejus dies natalitius 31. Julii.

CARMEN.

QUid tibi fatiferis Ignati Signifer armis?
Quid juvat ad Martis corda vovere dolos?
Fallimur. A' belli venaris lumina flammâ
Illa facit, Mentem poſſe videre tuam!
Nonne ruinoſus tribuit faſtigia laudum
Arcis apex? ſtabilem fecit hiatus humi?
Hauſiſti ſanè meliori à fulmine vitam,
Excluſit ludos crure recepta pila.
Faſcia quæ vulnus ſtrinxit pretioſior illâ
Enituit zonâ, quam gerit Æthra ſinu.

AD EUMDEM

Poſuit ſe in ſtagno glaciali, ut Juvenem à flagitioſa vita revocaret, & ad meliorem frugē perduceret. Dies natalit. 31. Julii.

CARMEN.

IGnati, Juvenem flagrantem Cypridis igne,
Tu glacie ſuperas, edomitaſque gelu.
Scilicet es paſſus, duro te frigore cogi,
Ut torpente ruat victa libido vado.

Si

Si Venus eſt cunas liquido ſortita profundo:
  Concretis Erycem Tu modò perdis aquis.
Hic lacus haud hydram; Domitorem vidit at hydræ
  Herculeo majus robore, robur habes.
Quid mirum? pugil es, Dioque cremaris ab æſtu
  Igne tuo inter aquas fax aliena cadet.
Evènit: Juvenis lacrimarnm flumine ſordes
  Flevit, & eſt ſtagno flamma ſepulta ſuo.
Quod de Leucadio cecinerunt fonte Poetæ
  Lojolidis victo reddit amore lacus.

AD VINCULA DIVI PETRI.

Apoſtolorum Principis. Eorum dignitas commendatur, & maximo honore ſemper in Eccleſia habita. Dies feſtivus 1. Auguſti.

C A R M E N

FErrea quæ Petrum vinxerunt carcere tentum
  Vincula, plus auri promicuere face.
Pulchrius haud fulvo religatur gemma metallo
  Quam ferro Dii carnea maſſa Senis.
Ex quo Captivi perſtrinxit colla Catena
  Evaſit chalybis circulus, Orbis Herus.
Illius ad nutus reſerarunt atria Divi.
  Recluſi ſteterunt ex adamante fores.
Senſit & imperium Draco tænarus: Una Catena,
  Et Cœlum, & ſtygii ſubdidit Amnis aquas.

AD DIVUM EUSEBIUM

Martyrem, & Epiſcopum Vercellenſem. Pietate fuit illuſtris, cum in ſuo nomine portavit pietatis inſignia, Euſebius enim græco idiomate ſonat pietas. In baptiſmate per manus Angelorum viſus eſt ſuſcipi, & in ſua paſſione, tortores habuit miniſtros ſuæ gloriæ, qui lapidibus illum appetierunt. Dies natalitius 1. Auguſti.

CAR-

CARMEN

EUsebius pietatis alit cum Nomine gesta,
Et pius est oriens, & pius est moriens:
Aligerûm meruit lustrali fonte Ducatum
Argue qui Pueri candor in ore foret!
Carnifices habuit decoris sibi morte Ministros
Infer qualis erat gloria plena Senis!
Obrutus est saxis pro Christo; saxa sed illa
Mox Pietati Aram non statuere suæ?

AD DIVUM STEPHANUM

Pontificem Maximum, Martyrem. Lucillæ orbæ luce oculorum visum dedit. Ductus ad templum Martis, ut illum adoraret, ad ejus preces commota est tellus, & ara Martis, cum ejus simulacro, ruina est involutus. Ejus dies natalitius 2. Augusti.

CARMEN.

VOs septem colles meruistis habere Monarcham
Nomine qui Stephanus vestra corona fuit.
Hic Lucillæ orbæ lucis, dat munera lucis,
Et pietatis agit lumine posse frui.
Gestiit illa prius, Stephanum, quàm visere lucem,
A' quo caligo mentis abacta cito est.
Mox Præsul, fanum producitur antè Gradivi,
Ut det thura focis, Martis & ora colat:
Heros in Martem de Cœlo convocat ignem,
Threjiciumque super concidit ara Deum:
Est visus Mavors tumulari pulvere templi,
Quantumvis campi pulvere, semper ovet:
Qui facit ut pugiles clamentur fulmina belli
Fert à fulminea fata suprema face.

AD DIVUM ASPRENUM

Episcopum Neapolitanum. Is primùm inauguratus est à Petro

Prin-

Principe Apostolorum, Præsul Civitatis. Candida pia fœmina attulit illi, Petri baculum à quo medelam corporis accepit, indè ejus opera Civitas Neapolitana veram Religionem suscepit. Ejus dies natalitius 3. Augusti.

C A R M E N.

ASpren, Partenopes dignatus honore Tiaræ
Antiochensis humi despicit omne decus.
Qui Princeps Fidei, Sirenis venit ad Urbem
Ille suâ posuit serta verenda manu.
Nam Petrus, hunc lacrimis craterem jugibus auxit
Immemor haud Dominum deseruisse suum.
Candida lux Illi, baculum cum Candida vexit,
Artubus, & menti venit opima salus.
Firmatus virgâ, Phlegetontis monstra domavit,
Pollux & Castor desiit esse Deus.
Is Primas, Aram decoratam nomine Petri
Primitias Divûm surgere Præsul agit.
Munere Tu Fidei suffusa Neapolis: Eia
Theopolis melius Nomina sancta cape.

AD INVENTIONEM

SANCTI STEPHANI.

Protomartyris. Corpora præfati Martyris simul cum Corporibus Abibonis, Gamalielis, & Nicodemi inventa fuerunt, & debito honore tumulata. Dies solemnis 3. Augusti.

C A R M E N.

EXere Thesauros, & nomen aceldama linque
Tellus, quæ Divûm busta quaterna tegis.
Quam precor, ut Cinerem non ultrà viscere condas
Dic mihi terreni quid tulit ille cinis?
En precibus devicta meis ad luminis auras,
Quæ latuere diù Corpora reddit humus.

Gamaliel, Abibon, Stephanus gaudete triumpho
Cui manet Augusti tertia dicta dies.
Ossa locata foras, meliore quiescite tumba.
Cœlituum spoliis nè super, esto solum.

AD DIVUM DOMINICUM

Confessorem. Institutorem celeberrimi Ordinis Prædicatorum. Visus est in utero Matris instar canis gestare facem, quod fuit omen suæ illustris sanctitatis, & institutæ familiæ; Est etiam visus scapulis fulcire ædem Lateranensem. Ejus dies natalitius 4. Augusti.

CARMEN

EDe canem, quem ventre tuo gestare videris
Gusmani genitrix; & gerit ore facem.
Omen id est: instar canis adventura propago.
Fida velut Domino, sic stygis horror erit.
Infans cùm sacro lustrabitur amne, nitebit
Fronte suâ sidus, par quasi Solis equo.
Stella sed illa, jubar totum sparsura per Orbem
Quæ nisi stella foret Sirius, ore canis?
At Lateranensem scapulis cum fulciet Ædem
Non erit astrifero visus Atlante minor.

AD DEDICATIONEM TEMPLI SANCTÆ MARIÆ AD NIVES

Die quinto Augusti. Romæ cecidit nocte nix super Exquilinum collem, quia voluit Deipara ibi sacraretur Templum in sui nominis honorem. Festivitas 5. die Augusti.

CARMEN

ESt locus in Tiberi, sedem quo Tullus habebat
Arduus, Exquilias nomina Roma dedit.

Hic

Hic præter morem cum Sol ardentior esset,
Siccaque fervidior finderet arva Canis:
Tempore nocturno, Cœlo nix æmula lanæ
Fluxit, & est clivi vellere tectus apex.
Hoc fuit imperio Mariæ, quia jusserat illic.
In titulos celebris surgeret Ara suos.
Liberius molem struxit, sacravit & Illi
Est quæ liliolis, candidiorque nive.
Exoriente Deo quondam de Virgine Matre
Germine florifero se redimivit hyems.
Nunc ad Diviparæ decus, efferventior æstas
Flammigero plenum prodigit axe gelu.
Non est quid, Veneris quod fortius atterat ignes
Quam quæ Cœlorum Nix famulatur Heræ.

AD TRANSFIGURATIONEM
CHRISTI DOMINI

In Monte Thabor. Resplenduit facies ejus sicut Sol, vestimenta autē ejus facta sunt alba sicut nix. Dies Festivus 6. Augusti.

CARMEN.

PRodigium cunctis est admirabile sæclis
Appulsus montis Christus ad alta Thabor.
Vertitur in Solem facies sua, qualiter Æthrâ
Purpureâ, Titan sidera victa fugat.
Imbuitur vestis nivium candore cadentum
Cùm riget hibernis mensibus Axe Caper.
Penè nihil Christi, Christus, nec habere lacernæ
Quidquam prisca novæ visa lacerna fuit.
In Nati facie, Pater emicat, Æthere qualis
Civibus Empyrei se dat amore frui.
Carbaseam tunicam, nix illa decòrat, & æquam
Lunai credas cùm tumet orbe genis.

At Sol, qui Chrifti vultu, flammefcit & ardet
Cur nix fubfiftat, nec liquefiat agit?
Fœdera parva manent hæc. Sunt ea maxima, Summis
Ima manere fimul, Numen & effe Virum.

AD DIVUM XISTUM

Pontificem Maximum, Martyrem. Vaticinatus eft Divo Laurentio, nobiliorem fui lauream. Ductus antè fanum Martis, illud terremotu evertit, ejus fimulacro contrito. Dies natalitius 6. Augufti.

CARMEN.

XIfte præis Myftæ Laurentis, funere funus,
Quo Phœbus fpatio tres gerit Axe dies.
Obvius at querulæ proli portendis Arufpex
Nobiliora fuis laurea ferta comis.
Es Tu de cultu cum Marte coactus habere
Bellum marmoreo, Xifte nec arma paves.
Opponis lapidi, lapides, conflingitur æquis
Hinc illinc armis, alea parque manet.
Sed mox illa tuis tremuerunt fana Gradivi
Nutibus, ut Ditis tartara regna tremunt.
Collapfum templum, preffit Mavortia figna
Pro ludo tibi Mars vifus adeffe fuit.
Si facilem Pugili pugnam Dux efficit. En Tu
Laurenti (victo Marte) trophæa paras.

AD DIVUM FOELICISSIMUM

Martyrem. Alludit ad brevitatem fui Martyrii; nam truncato capite Cœlos advolavit. Dies natalitius 6. Augufti.

CARMEN.

INter fœlices Tu Fœliciffimus Heros
Lucrifacis modicâ regna beata ftipe.

Non

Non tibi per longas, diuturnaque funera pœnas
Per genus omne mali, tradita vita fuit.
Sed breve per ſtadium, truncato vertice Cœlos
Es meritus propero tranſvolitare gradu.
Eſt Ducis eximii celeres retuliſſe triumphos
Hoſtes & nulla perdomuiſſe mora.
Aſtra tibi dederunt hæc fœliciſſima Fata
Ictu oculi, æternâ proſperitate frui.

AD DIVUM AGAPITUM

Martyrem. Decollatus eſt Romæ, qua die Xiſtus, Fœliciſſimus & alii martyrium obtinuerunt. Ejus dies natalit. 6. Auguſti

CARMEN.

NOn ſic ad niveas redamatæ Conjugis ulnas
Currit Amans, thalamis quem face junxit hymen.
Ut tuus ad tumulos eſt impetus ire cruentos
Numinis æthereum quà fateare Fidem.
Quam lætus, ſævæ das fortia colla ſecuri!
Ter cæſum (Jeſus) nominat ore caput.
Hunc ne Roma gemas, tam pulchro funere natum,
Succeſſit morti, neſcia mortis Eos.

AD DIVUM ALBERTUM

Confeſſorem, Carmelitam. Agnitus eſt in ventre Genitricis à Patre, ſub ſpecie facis. Multis excelluit prodigiis in vita, & in morte campana æra ſponte ſonitus dederunt. Ejus dies natalitius 7. Auguſti.

CARMEN.

TRinacridos pia fax, Alberte igneſcere viſus,
Et cùm materni carcere ventris eras.
Ortus, lux major Carmeli monte coruſcas
Sidera ceù Solis fax rediviva præit.

Du-

Duxisti sicco per aquas vestigia gressu,
    Extimuit nutus lepra fugata tuos.
Quippè nec ad funus potuit mors ipsa silere;
    Æra sed argutum spontè dedere sonum.
Ut Tibi conflaret nihil illo dignius ære
    Vocalem rerum nuncia Fama tubam.

AD DIVUM CAJETANUM

Tieneum. Fundatorem præclari Ordinis Clericorum Regularium. Nuncupatus fuit venator animarum, ex nimia charitate, quam Romæ potissimùm demonstravit. Meruit habere à Beatissima Virgine in suas ulnas puerum Jesum. Dies natalitius 7. Augusti.

CARMEN.

EST lucrari animas tua cura, laborque Tienes
    Hoc imo solùm pectore vulnus alis.
Insudas operi, vigilans, noctuque, diùque
    Seù Te terra ferat, seù maris æquor ares.
Et si fortè, solo pro fulchro membra soporas
    Mens tamen has sylvas, hæc sibi lustra petit.
Testis adest Urbs Roma, luis contagia passa:
    Aucupis illa tui quàm benè sentit opem.
Testis hyperboreis eadem sacrata ruinis.
    Per Te Lutheri nec laqueata plagis
Dum sic venaris, venit ad tua brachia præda
    Jesus, quem manibus dat tibi Virgo parens.
Tunc immutaris, præda, & venator es Idem
    Præda, & Venator fit quoque Dius Amor.

AD EUMDEM.

Patronum Civitatis Neapolitanæ. Alluditur, quod in celebri ejus templo, cujus frontispicium erat admirandum delubrum

Ca-

Castoris, & Pollucis, fuerit novissimè terræ motu dirutum. Ejus dies natalitius 7. Augusti.

CARMEN.

CEde loco Castor, delubraque desere Pollux
Non fas misceri fana profana sacris.
Ara, Tienèo quæ surgit vota Patrono
Odit Tyndaridum saxa propinqua Deûm.
Quàm benè succutitur celebrans divortia tellus
Sunt è cardinibus marmora vulsa suis.
Siren Ledeos postergat Numina Fratres
Sat Cajetani nomen inesse tholo.

AD DIVUM DONATUM

Episcopum Aretinensem Martyrem. Matronam Syranam ethnicam captam oculis sanavit, & illa ligneos Deos comburens, Christianam Fidem est amplexata. Ejus dies natalitius 7. Augusti.

CARMEN.

DUm Tu divino Donatum munere nobis
O' Numen donas; Gratia summa tibi.
Donati ad votum, quod ab imo pectore prompsit
Ethnica non ultrà cæca Syrana manet.
Acceptum lumen, flammis compensat at Illa;
Scilicet ambussit lignea signa Deos.
Vidisti Donate Jovem fervere favillis,
Et fulmen, flamma non crepitare sua.
Vidisti Alciden, rursus super igne flagrantem,
In fumum fastus & remeare suos.
Prisca superstitio, hæc tibi sit fumosa supellex,
Cedat & in Famæ fumida imago decus.
Hinc donum muliebre licet cape, reddeque Grates,
Nam de Donati munere munus abit.

AD

AD DIVUM CIRIACUM

Martyrem. Romæ filiam Imperatoris Diocletiani,& in Perside, filiam Saporis Regis à Dæmonum obsidione liberavit. Verum ingrati Dynastæ, Ciriacum (quia ab Idolorum cultu abborruerat) nodis durissimis cruciarunt in catastâ. Ille orans, ne in tali cruciatu, animam ageret sequenti die, gladii occisione ad Cœlos evolavit. Ejus dies natalitius 8. *Augusti*.

C A R M E N.

CIriacus lemurum domitor, bis tartara monſtra
Urget ad infernos vertere terga ſpecus.
Confligit primùm Romæ cùm Ditis athletis,
Et Romæ palmam de Phlegetonte rapit.
Poſtmodò cùm ſtygiis bellatur Perſide ſpectris,
Nec minus, Orcinos Perſide ſternit hydros.
Obtigit hoc quandò de Cæſare, deque Sapòre,
Natas, Tartareis fecit abeſſe lupis.
At ſcelus! Ingrati gemina ad benefacta Dynaſtæ
Pro Charitum donis, retribuere mala.
Ciriaci ſævis ſtrinxerunt corpora nodis,
Et qui diſſoluit vincula, vincla tulit.
Militis at gladius vitæ retinacula rupit,
Ut Macedi fregit Gordia lora chalybs.
Impliciti laqueis artus tellure ſteterunt;
Supremum liber Spiritus egit iter.

AD DIVUM LARGUM

*Martyrem. Cum in catasta distensum fuisset ejus corpus, posteà decollatus obiit, unà cum Sancto Ciriaco,& Sancto Smaragdo. Dies natalit.*8.*Augusti.*

C A R M E N

HOc fuit in votis, tibi fundere Large cruorem
Largiter, atque animæ prodigus eſſe tuæ.

Nul-

Nullus avaritiæ datus eſt locus, ubere pleno
Exultas pœnis, & petis enſe mori.
En trabe diſtentum corpus fit largius illâ!
Purpurei laticis vena perennis abit!
Quâm benè res cecidit! creverunt membra cataſtâ
Exiliit ſanguis more ruentis aquæ.
Quid tibi pro geſtis largitur Numen? Olympi.
Sidera, largitur non niſi Dia manus.

AD DIVUM SMARAGDUM

Martyrem. Coronatus eſt martyrio cum Ciriaco, & Largo, & ſepultus eſt à Lucina Matrona piiſſima. Alludit ad nomen Smaragdi, & ad humatricem Lucinam. Ejus dies natalitius 8. *Auguſti.*

CARMEN

ANte Deum pretioſa micat mors Cœlitis omnis
Lætitiaque replent talia fata polos.
Taliter enituit mors fortunata Smaragdi,
Ut pinxit Latiam rore cruoris humum.
Quot guttæ, totidem ſtillarunt vulnere gemmæ
Herba virens, rubeum tegmen operta tulit.
Quique Smaragdus erat, ſibi nexuit oſtra pyropi
Ditiùs aſtriferum quæreret unde decus.
Mors in Natalem ceſſit, Lucina ſepulchrum
Tradidit, obſtetrix Gloriæ, & in Tumulo.

AD DIVUM ROMANUM

Militem Romanum Martyrem. Hic admiratus fortitudinem Divi Laurentii in tormento ignis, petiit ab eo baptizari, & extemplò divinâ favente gratiâ, ad martyrii lauream evolavit. Ejus dies natalitius 9. *Auguſti.*

C A R M E N.

ES victus nunquam miles Romane palestrâ
Martis, & in campo laus tibi summa fuit.
Vinceris at laribus, quo tempore Luna recursus
Perficit, & plenæ sidera noctis eunt.
Quippè triumphatum, manibus Laurentis Iberi
Te das, ut fortem cernis in igne pati.
Ad facis aspectum toleratæ, prodiit ardor
Pectore, lustrali fonte lavare caput.
Protinus ad mortem volitans, me cædite clamas
Sum de Romana Relligione pugil.

AD DIVUM LAURENTIUM

Martyrem patriâ Hispanum, Romæ educatum. Commendatur ejus fortitudo in arguendo Cæsare, & in tolerantia ignis, pro Christi amore. Ejus dies natalitius 10. *Augusti.*

C A R M E N.

ARguit Augustum rigido Laurentius ore,
Hispanique fuit lancea lingua Viri.
Opposuit linguæ, linguas, flagrantis at ignis
Cæsar, & argutas gestiit esse faces.
Sed stupor! à flammâ non arida laurea mansit;
Pubuit at potius floridiore comâ.
Ex quo Laurentis madefacta est sanguine laurus.
Mulcibero, & Daphnæ fœdus, amorque fuit.

A D E U M D E M

Propter auri erogationem in pauperes, meruit ut Hispania, ditissimum templum Escurialis illi sacraret. 10. *Augusti.*

C A R M E N.

TU quia pauperibus Laurenti prodigis aurum
Aurum bis hausto puriùs igne micas.

Aurea

Aurea quin etiam tibi Templa ſtruuntur, & omnes
Dat gazas Indus, dat Peruanus opes.
Igne tuo, belli ſe fingit Iberia fulmen.
Victrices Aquilas novit habere Leo.
Arbore flagranti carpit Victoria lauros
Aptent laureolas frontibus undè Duces.
Heſpere noſce jubar, Phœbæo clarius aſtro,
Hoc ſequere, Occidui Lucifer axis eris.

AD DIVUM TIBURTIUM

Martyrem. Addiſcens Aſtrologiam, paterna in domo, ubi Fidem Chriſti recepit, ſimulacra falſorum ſiderum, fregit, pretiumque dedit pauperibus. Ejus dies natalitius 11. *Auguſti.*

CARMEN

SCandere Signiferum ſtudiis, addiſcere ſtellas
Tiburti, patriâ ſtat tua cura domo.
Aſt ubi Lux melior Fidei fulget, ſimulacra
Aſtrorum, juſſu ſunt laniata tuo.
Falſa ſolo calcas, ut Cœlo ſidera vera
Poſſideas, talo gloria dupla manet.
Alcides cedat, qui vertice ſuſtulit aſtra,
Tu major, forti dejicis illa pede.

AD DIVAM SUSANNAM

Virginem, & Martyrem; præfertur priſcæ Suſannæ, aliàs caſtiſſimæ, quia Illa pro fide connubiali, parum abfuit à morte: Iſta pro virginali amore, verè eſt mortua, decollatione capitis. Ejus dies natalitius 11. *Auguſti.*

CARMEN.

HElciaden celebrant ſi ſæcula priſca Suſannam
Lucidiùs Romæ Virgo Suſanna micat.

Conjugis illa quidem ne castos læderet ignes
Attritam saxis abfuit esse parum.
Ista recens, gaudet pro Virginitatis amore
Cædendum gladio supposuisse caput.
Illa animo, Hæc opere, est mortem complexa: Fidelis
Si fuit illa viro, plus fuit ista Deo.
Stemmata quid confers? Me Judice: Connubialis,
Virgineo non est æquiparandus honor.

AD DIVAM CLARAM

Sanctimonialem Virginem. Suis precibus dissipavit arma Vitalis, hostis Patriæ. Rursus admovit Sacramentum Altaris adversus Saracenos, qui capti oculis, partim perierunt, partim fugerunt. Ejus dies natalitius 12. Augusti.

CARMEN.

Hostiles hebetas animos Clarissima Virgo;
Vitalem mortis quin facis esse reum.
Oppositis aliàs Saracenos percutis armis,
Dum dape divinâ Maurica castra feris.
Vitæ mortiferi pugiles alimenta videntes
Capti oculi, subitò non nequiere mori.
O' stupor ad Claræ aspectum fluxere tenebræ!
Numinis ad faciem, luminis usus abit!
I Libys Idalios Veneris bibiturus ad amnes
Dupla luce carens ecce Cupido cadit.

AD DIVUM HIPPOLITUM

Martyrem. Anteponitur priori Hippolito, eò quod mortem non timuit, & raptus ab equis modò retrogrado, de Tyranni crudelitate triumphavit, aptante illi Divo Laurentio Magistro fidei lauream. Ejus dies natalitius 13. Augusti.

CAR-

C A R M E N

HIppolitum Clio si nosset Græca quiritem
Alterius laudi plus caluisset ebur.
Non hic Dianæ velut ille triformis, Alumnus
Sectatus trepidas est penès antra feras.
Huic fuga nulla fuit, pœnæ, mortisque timore:
Quin Hecaten, reliquos risit & ore Deos.
Exuviis Divûm dives, meritusque triumphum
Suffecit niveos ipse vel Hostis equos.
Non nisi purpureum erexit sua Palma trophæum
Laurentisque fuit laurea texta manu.

AD DIVUM CASSIANUM

Martyrem. Cum pedagogus esset puerorum, & nollet à Christi Fide deficere, illis traditus est ad necem, quorum ictus, quo debiliores, eò crudeliora fuerunt mortis tormenta. Ejus dies natalitius 13. *Augusti*.

C A R M E N.

SUavius En casia, Casiani nomen odorat
Vere novo lætus cum juvenescit ager!
Imola fragrantes excepit pleniùs auras
Imola gymnasio nobilitata suo.
Aspice, Nazareâ pro Relligione quot ictus
Sustinet à pueris, quos docet Ille sophos!
Insolitæ mortis genus! ut sit diriùs, exit
Ex adolescentis debiliore manu.
Ingeniosa quidem feritas, ingrata Magistro
Præmia, sed soli gratia cara Seni.
Hoc Seneca edifcat sub Præceptore: cruorem.
Fundere frugiferum, fortiùs atque mori.

AD DIVUM EUSEBIUM

Confessorem. Zelotypus fuit puritatis Fidei Catholicæ, idcircò
re-

reprehendit Constantium Augustum, & cæteros sectatores Arii, à quibus quasi vivens tumulatus est in horrido carcere. Ejus dies natalitius 14. Augusti.

CARMEN.

Firmior Eusebius quantùm Constante Dynasta!
 Acrior, Augusti fulmina nulla timet.
Increpat, hos, illos, tangit quos pestis Arii.
 Et reprobat stygii dogmata falsa soni.
Qui tamen extolli super astra merebat, in ima
 Principis est jussu semisepultus humo.
Insanè fecit; Peragranti sidera mente
 Est (Vivo quamvis) infima terra levis.

AD ASSUMPTIONEM
BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ

In Cœlos. Convenientia hujus Assumptionis adstruitur. Ejus dies natalitius 15. Augusti.

CARMEN.

NOn abit in cinerem, terras quæ Virgo relinquit,
 Pulvere nec tabet, quæ super astra salit.
Quomodò fiet humus, genuit quæ Numen Olympi
 Numen, quod rubram vivificavit humum?
En ut ventorum levior, trans æthera pennis
 Advolat, Aligeri nec famulantis eget!
Dilecto stat nixa suo, Cœlosque penètrat,
 Ut sua pervasit viscera Dius homo.
Assidet in Nati solio, licet eminet Ille
 Visa tamen Genito vix fuit Illa minor.
Ne mirere throno Mariam sedisse supremo
 Non erat Empyrei Numinis Ipsa thronus?

AD

AD DIVUM HYACINTUM

Ordinis Prædicatorum; Alludit ad nomen floris, cujus fuit specimen, propter vitæ rigorem. Vandalum fluvium, ſine navigio, & ſolo pallio explicato feliciter trajecit. Ejus dies natalitius 16. *Auguſti.*

CARMEN

Ajacis natum fortis de ſanguine florem
Fabellam, Cœli flos Hyacinthe facis.
Ipſe tibi quæris decus omne, cruentus, & aſper,
Pulchriùs efflores ſauciùs undè rubes!
In Te non ſcriptum fletus inſigne remanſit,
Sed nota divini perpetientis Heri.
Tale decus, decuit non exareſcere floris
Floruit idcircò prodigioſus aquis.
Eſt teſtis rapidâ ſtupefactus Vandalus undâ
Cum ſine navigio præbuit amnis iter.
Noluit heù Fluvius tam pulchrum perdere germen
Lympharum gremio, ſed viruiſſe dedit.
Et cur Narciſſum potiùs non humor amabat?
Vanus non ſui amans hic Hyacinthus erat.

AD DIVUM MYRONEM

Martyrem. Præponitur Myroni celeberrimo ſtatuario; Martyr enim ſe ad immortalitatem ſculpſit, fortiter patiendo, ferri tundentis ictus, ipſamque mortem pro Chriſti nomine, quæ fuit truncati verticis. Ejus dies natalitius 17. *Auguſti.*

CARMEN.

Obſtupuit ſtatuas, Ætas antiqua Myronis;
Signaque mirificâ tam benè ſtructa manu.
Alterius mirentur opus nova ſæcla Myronis,
Celſius, & rectum nobiliore typo.

Ipſe

Ipſe ſui voluit faber eſſe, nec ictibus ullis
Malleoli, aut ferri parcere continuit.
Quò plus percutitur, ſpecioſior exit imago,
Fitque polita magis, quò laniata magis.
Sic Se immortalem ſculpſit, ſua vulnera amando,
Proque Dei moriens relligione Myro.
Sed mirum! ſculptoris opus ſtatuæque figura
Dignior effulget cum caret Occipite!

AD DIVUM AGAPITUM.

Martyrem. Præneſtinus fuit, qua in Urbe templum erat celebre Fortunæ, diſpenſantis coronas, & in ætatis flore martyrium ignis, in capite ſuſtulit, eſtque objectus feris, à quibus minimè fuit læſus. Ejus dies natalitius 18. *Auguſti.*

CARMEN

PRæneſtine puer, Fortunæ fana, Coronas
Dant tibi perpetuas queis redimitus oves.
Non diadema fuit prunis ardentibus aptum,
Quod cinxit meritum lampadis imbre caput?
Cum non Indigetum fruereris munere Vivens:
Hoſte vel ex ipſo frons radiata ſtetit.
Teque etiam Virtus eduxit in Amphitheatrum
Quà rabidas poſſes dulcificare feras.
Antè jugum, currumque tui monimenta triumphi
Venerunt celeres, ſed ſine felle Tigres.
Ora virûm tunc in plauſus recludere ſciſti,
Clauſiſti ad morſus cum prius ora Leæ.

AD DIVAM HELENAM

Matrem Conſtantini Cæſaris. Fuit Britanna natalibus, & ejus pietate inventa eſt crux in Urbe Jeroſolyma, deſtructo eo in loco, fano Veneris à Gentilibus fabricato, ne crucis memoria, ullo umquã tempore reſurgeret. Dies natalit. 18. *Auguſti.*

CAR-

CARMEN

IMperii clavum Regina Britannica, clavis
Obfirmas, Christi magnificasque decus.
Consilium mirum! lapides interque ruinas
Mens est sideream quærere velle Crucem!
Depositum Cœli, nostræque trophæa salutis
Invenis, atque Jovis desuper arva trahis.
Te Duce fulcimen Mundi, tendentis ad ima
Viventum Tellus est venerata parens.
Antè sed Idaliæ fregisti fana Citheræ,
Pulveribusque suis deperiere Sacra.
Adversari Helenam Veneri, canat altera Fama,
Nec Trojæ, Cypri sed populasse thronum.

AD EAMDEM.

Misit Filio Constantino, munera clavorum, Sanctæ Crucis, quorum uno Imperator est usus ad frænum equi, & alter in mare Adriaticum est projectus, ex quo tempore fretum illud, non fuit obnoxium tempestatibus, sicut temporibus præteritis. Ejus dies natalitius 18. *Augusti.*

CARMEN.

EN Helenes dono, frænat non amplius auro,
Sed ferro alipedem Cæsar ovalis equum.
Non Scythicis spoliis, auro, argentoque refertis
Hoc ferro Augustus plus it honorus Eques.
Gemmatum capitis diademaque respuit ipsum;
Nam magis irradiat quoque nitore, Chalybs.
Confixus clavo, furibundos Adria motus
Dedidicit, placido mansit & ore fretum.
I proles Helenes, i Xerse celebrior illo,
Helles qui frustrà verbere tundit aquas.

AD DIVUM LUDOVICUM

Episcopum Tolosanum. Stetit obses pro Patre Rege Siciliæ,

aqud

apud Hispanos. Indutus est habitu Ordinis Minorum, ut tutius Regno cederet, & Præsul factus Tolosanus, antè pedes pauperum se declinabat. Ejus dies natalitius 19. Augusti.

CARMEN

Obses Aragonio datus est Lodoicus Ibero
 Nulli par pretio talis at Obses erat.
Non secus ac victor vixit Captivus ab hoste
 Prædator Ditis, Præda beata fuit.
Sed nunquam major visus superesse caducis,
 Quàm cùm Francisci quæsiit esse minor.
Maluit astringi nodoso fune per artus
 Quam se Regali conseruisse throno.
Palluit ut facies exanguis, vota rigori:
 Purpura tunc solito pulchrius erubuit.
Huic & Majestas surrexit cernua, pronum
 Vidit ut Heroem, pauperis ante pedes.

AD DIVUM BERNARDUM

Abbatem Claravallensem. Burgundius fuit natalibus, incoluitque eam vallem, quæ ab absinthio nomen trahebat, postea suo domicilio fecit clarissimam. Petro Leoni restitit, & Guglielmum Ducem Aquitaniæ, ad meliorem frugem reduxit. Ejus dies natalitius 20. Augusti.

CARMEN

Vallis erat præceps, absinthia vallis alebat,
 Ex illis nomen fecerat ipsa sibi.
Sed cum Mellifluus coluit Burgundius oram,
 Versa est in dulcem vallis amara favum.
Hæc fuerat sedes tacitis prædonibus apta,
 Inque suis latebris umbra perennis erat.
Ast ubi Bernardus fixit vestigia, vallis
 Facta est Virtutis clara palestra sacræ.

Vidit

Vidit pugnantem Petrus illum voce Leonis;
Sed nil rugitus prævaluere truces.
Obſtupuit ſantem Guillelmus, moribus Aſpis
Pronus ad Abbatis procubuitque pedem.
Vox ſua melle ferax, Orphei portenta reduxit;
Nam poſt Se duras fecit abire feras.

AD DIVAM BASSAM

Martyrem. Præmiſit tres filios ad coronam martyrii, quorum ſtrenua Hortatrix fuit; inde eos ſecuta eſt in adeptione aureolæ. Ejus dies natalitius 21. Auguſti.

CARMEN

BAſſa Parens fœlix, ſobolis quia funera cernis
Te citiùs Cœli præripientis iter.
Sed vidiſſe parum eſt, Hortatrix alma fuiſti
Ne tua ſtirps animo concidat antè neces.
Æthra favet votis, ſcopulo ſtat firmior, Axem
Sub vitæ occaſu trina propago petit.
Poſt Tu ſuccedis, pariterque potiris Olympo,
Præmiſiſſe tui pignora læta ſinus.
Es pàr laude ferax, fœcundaque ſanguine trino
Baſſa: tibi Lethes hinc ſterileſcet aqua.

AD DIVUM TIMOTHEUM

Martyrem. Quia noluit ſacrificare falſis Diis eſt excarnificatus ferreis ungulis, indè vivâ calce vulneratum corpus eſt perfuſum. Dies natalitius 22. Auguſti.

CARMEN

TImothei fibras æratus lancinat unguis,
Sunt quia marmoreis thura negata Diis.
Non ſic, tellurem pondus perrumpit àràtri,
Martyris ut feriunt ferrea raſtra latus.

Sed benè, purpureos ſulcos, interque novales
    Virtutum Charytes ſemina dia ſerunt.
Accedit vivæ calcis cruciatus acerbus;
    Nam ſunt ferventi membra voluta lacu.
Huic (fabricante domum rutilam ſuper æthera Morte)
    Illa miniſterio calx famulata fuit.

AD DIVUM HIPPOLITUM

Martyrem. Ob præclaram Fidei confeſſionem, immerſus eſt in foveam, aquis plenam, & locus mortis non fuit procul ab Aricio nemore, in quo priſcus, & fictus Hippolitus redivivus incolatum babuit, ibique defunctus eſt. Ejus dies natalitius 22. Auguſti.

C A R M E N.

PRæclari ſpecimen Tyberina per Oſtia Fati
    Præbuit Hippolitus, cùm ſua vita ruit.
Ter gentilitios ad ſpuria Numina Divos
    Ut coleret tractus, non niſi probra tulit.
In foveam jacitur, manibus, pedibuſque ligatus,
    Quæ multis ſurgens aſſiliebat aquis.
Obruitur fluctu, ſed Aricia proxima lympha,
    Appetiit lacrimis Hunc ſepelire ſuis.
Immemor Hippoliti nam non erat illa vetuſti,
    Cui nemus umbriferum, cui penetrale dedit.
Najas illa, lares priſco, ſi tecta deditque
    Cur non Hippoliti vel foret Urna novi?

AD DIVUM SIMPHORIANUM

Martyrem. Irriſit acer Adoleſcens, Cybeles cultus ſuperſtitioſos, quos meritò reprehendit, quà propter martyrio eſt laureatus. Ejus dies natalitius 22. Auguſti.

CAR-

C A R M E N

GLoria turritæ tetigit Te nulla Cybelles,
Arguis & meritò Simphoriane Deam.
Illius ad ſacros fundis convicia cultus
Divorum Matri, jurgia mille voves.
Vox tua Curètum buxos, interque cicutas
Sola fuit Superum reddere digna melos.
Abſona cœperunt Corybantum ſiſtra videri,
Tinnulaque abſurdos cymbala flare ſonos.
Carpere, carpento tractam, vectamque per Urbes
Tot manibus, Puero tantus adhæſit honor!
Olli, de Curru rapuit Puer ore Leones,
Ut ſibi Victori ſub ſua plauſtra juget.

AD DIVUM PHILIPPUM BENITIUM.

Inſtitutorem Ordinis Servorum Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Veritus nè coactè ad Summi Pontificatus apicem tolleretur, delituit in Monte Tuniato, apud quos colles, quò vitam aſperiorem trahebat, eò dulciorem reddebat divina contemplatio. Ejus dies natalitius 23. Auguſti.

C A R M E N.

MAjor honos, Vaticani ſuprema poteſtas
Non potis eſt animos allicuiſſe tuos.
Tu veritus ſiſti Tarpejâ ſede coactum
Culmina qua latites ad Tuniata fugis.
Plus ibi ſilveſtres avium placuere canores,
Illex quam Tiberis, qui ferit aſtra ſonor.
Orbiculos ferri mavis, qui corpora ſtringant
Orbem quam terræ ſuſtinuiſſe manu.
Plaude tibi deſpector humi. De ſtemmate Servi
Diviparæ Nomen, non niſi ſceptra parit.
Accipis à Domina: Famulam ſe clamat ut Illa
Efficitur Superi protinus Axis Hera.

AD

AD DIVUM BARTHOLOMÆUM APOSTOLUM.

Existimarunt nonnulli, fuisse de sanguine Regio. In India citeriore flammeis catenis Dæmonem alligavit, & suæ decorticatæ pellis, quasi spolii triumphalis fuit bajulus. Ejus dies natalitius 24. Augusti.

CARMEN.

BArtolomæe, satum fueris num sanguine Regum
Reddidit ambiguum pendula Fama diù.
Te tamen haud tali dubitavit germine Virtus
Eductum, Solii quod redimiret honos.
Namque in purpureum cessit tua pellis amictum,
Et fuit ex ostri murice, tincta cutis.
Omne quod Eoâ fecisti grandis in Orâ
Implicitura comas, omne Corona fuit.
Ad tua sceptra, nigri Ditis venere Manipli,
Veridicè fassi, flammea vincla pati.
A' Duce purpureo spolium de pelle ferente
Æthiopes Erebi, ritè tulere lupos.

AD EUMDEM SUPER EADEM MATERIA.

CARMEN

UT pateat superi Tibi, strictus callis Olympi:
Tegmine Te nudas Bartholomæe cutis.

AD DIVUM LUDOVICUM

Regem Galliarum. Trajecit maria ingenti exercitu, & fugavit Saracenos, ut Jerosolymam redimeret; sed ex pestilentia in illis regionibus orta, è vita migravit. Ejus dies natalitius 25. Augusti.

CAR-

C A R M E N.

NOn patitur cunas Jeſſæâ Virgine Nati
Eſſe Arabum, & Turcæ, Rex Lodoicus haras.
Utque vepres Domini ſibi vindicet, actus amore
Poſtergat Galli lilia verna ſoli.
Advocat hinc Regni pugiles, Mortemque, necemque
Spirat, de Rhodani lecta juventa plagâ.
Gallica roſtra tenent Thunetum, portuſque Golettæ,
Claſſica Sidoniis & potiuntur aquis.
Ingeminat miles pugnas dominatus arenâ
Sequanicus, terris ceù mare victor ovat.
At violenta lues Chriſti monumenta potitum
Eſſe negat Regem; quà ſpia vota cadunt.
Tu Lodoice peris; ſed non tua purior Aſtris
Viſa Fides, quam ſub tabidiore polo.

AD DIVAM PATRITIAM

Virginem tutelarem Urbis Neapolitanæ. Tangitur breviter ejus nobilitas, fuga à Civitate Bizantinâ propter amorem virginitatis, appulſus in Civitatem Neapolitanam, & Romanam, redituſque ad Neapolitanam, in qua fatis ceſſit, illique fuit dicata Eccleſia Sanctorum Nicandri, & Marciani, in qua ejus ſanguis bullit ad conſpectum dentis, ad hæc uſque tempora. Dies natalitius 25. Auguſti.

C A R M E N.

O' De Cæſareo prognata propagine Virgo,
Illâ nobilior, quæ tenet Axe locum.
Quàm benè mortalis refugis connubia Sponſi,
Ut Te ſidereo ſponſet amore Deus.
Prima Lucullano ſumis domicilia caſtro.
Boſphorium gaudens exuperaſſe fretum:

Hinc

Hinc fereris supplex, ad Divi Templa Nicandri,
Quæ Cineri sedes præcinis esse tuo.
Accidit hoc, sacræ visis stationibus Urbis,
Cùm Siren iterum fovit amica sinu.
Hic terras pertæsa, Poli te suscipit Aula,
Commendat plaustro corpus, Aglaja nutrix.
Indomiti rapiunt ad conscia fana juvenci,
Virginei tumulum post coluere Chori.
Nunc quo Partenopen dignaris amore, profatur
Fervidus ille tuus, lingua diserta cruor.

AD DIVUM ZEPHYRINUM

Pontificem Maximum, & Martyrem. Multas edidit leges, Ecclesiæ salutares. Fuit vigilantissimus, pastorali in ministerio, & sub Imperatore Caracalla Martyr eximius occubuit. Ejus dies natalitius 26. Augusti.

C A R M E N

SI quis erit Præsul, promat qui pectore leges,
E' Cœlo quales scriberet ipsa Fides.
Si quis erit Rector, nautas, qui sospite puppi,
Duceret in portus, est ubi tuta salus.
Si quis erit Pastor, vigili qui semper ocello
Sufficiat teneræ fertile gramen ovi.
Si quis erit Miles, spernens qui jussa Tyranni
Efficiat Romam sanguinis amne sacram.
Si quis erit solo de Numinis ustus Amore
Ne vivam; si non hic Zephyrinus erit.

AD DIVAM ANTHUSAM

Virginem, & Martyrem. Projecta est in puteum pro confessione Christianæ Fidei. Alluditur ad nomen Anthusæ, quod idem sonat, ac flos. Ejus dies natalitius 27. Augusti.

CAR-

CARMEN.

FLoriferum tibi nomen adeſt Anthuſa puellæ;
Quam benè virgineo germen odore fragrat!
Purpureo optaſti florem decorare cruore,
Eſſet ut Ajacis, nobiliorque Roſæ.
Sed crudele genus, Chriſtique inimica propago
Sub putei voluit Te tumulare vado.
At fruſtrata manus, mens eſt fruſtrata Tyranni
Aruit haud mortis cuſpide, Floris honor.
In decus, in cultum ceſſit puteale pherètrum
Efflorere dedit pulchrius inter aquas.

AD DIVUM AUGUSTINUM

Epiſcopum Hipponenſem. Eccleſiæ fuit Doctor præclariſſimus, & natalibus Africanus. Ex Manichæo, factus eſt acerrimus propugnator Fidei Catholicæ pro qua immenſos labores voravit. Ejus dies natalitius 28. Auguſti.

CARMEN

AUguſtine, tibi par non tulit Africa monſtrum
Monſtrorum fuerit, Mater opima licèt.
Nonne Fidem veram tutaſti Punicus Heros?
Ah tua tutatrix non fuit Afra fides.
Præſidium nacta eſt validum in Carthagine, Roma,
Illi Auguſtales Pœnus adauxit opes.
Profuit unius, plus Urbi dextra Tagaſtis,
Milleni Lybiæ quàm nocuere Duces.
Africa deſivit benè tunc nova gignere monſtra,
Monſtrorum Domitor cùm fuit indè Satus.

AD EUMDEM

Commendatur ex eo, quòd ubi caſtris hæreticæ militiæ terga dederit, factus eſt inſignis Heros Catholicæ religionis. Dies natalitius 28. Auguſti.

C A R M E N.

ANnibalem Carthago novum, quem gignis ab alvo
Hic tollet Romæ ſidus ad uſque decus.
Alpinos montes non forti franget aceto,
Frangetur lacrimis Ipſe ſed irriguis.
Iſtius in digitis non annulus ille micabit,
Qui ſerpentinum viſcere virus alet.
Sed Famæ calamus, fundens opobalſama terris
Omnis eritque ſalus, & panacea mali.
Et cum Ductor erit, ſua propugnacula linquet;
Sed tunc cum fuerit transfuga Victor erit.

AD DIVUM HERMETEM.

Martyrem. Aſſeritur diſſimilitudo Hermetis Martyris, ab Hermete Mercurio, falſò Numine; verumtamen in duobus æquiparantia connectitur. Ejus dies natalitius 28. Auguſti.

C A R M E N

EX Hermete capis cur omen nominis, Hermes
Si nihil Hermetis Tu meditaris opus?
Hermes mendacem malè fundit ab ore loquelam
Sepiùs ad crimen pronus it, adque dolum.
Tu Fidei veros eructas pectore ſenſus,
Non ſemel Interpres viſus adeſſe Dei.
Ille oculos Argi centenos clauſerat, Argum
Scidit, & innocuo ſanguine tinxit humum.
Tu vigiles Cœlo reſeraſti ſemper ocellos
Sanguinis exardens prodigus eſſe tui.
Hermeti ſolùm ſimilis ſis junior Hermes,
Quod pede pennatus, quod fueriſque latro.
Scilicet ad ſuperi rapiendas Ætheris arces
Alato ivvit Te properare gradu.

AD

AD DECOLLATIONEM S. JOANNIS BAPTISTÆ

Aſtruitur crudelitas Herodis impii Regis, qui die ejus natalitio, amputari fecit caput Divini Præcurſoris. Dies ſolemnis 29. Auguſti.

C A R M E N.

TErrita Fama, necis vix facta eſt præco nefandæ
Zacharidis vocis deficiente ſono.
Fallimur. In fuſo ſtant ſanguine, pondera vocis
An non exeruit funera ſanguis Abel?
Horruit at viſo luctans Natura piaclo,
De cœna, ſcænam Rex ubi ſævus agit.
Scilicet Ipſe ſuum celebrans natale, Joannis
Abrumpit vitam, qui jubar orbis erat.
Effera barbaries! alieni ad viſa cruoris
Primitias lactis ſic memorare ſui?
Vos ne genethliaci cauſaſtis funera? Virus
Num generas vinum? ſis Libytina Ceres?
Proh ſcelus! à Superis meritus qui nomina Magni
Vertice ſit ſecto Pellicis arte minor!

SUPER EADEM MATERIA.

Enunciatur mors ſaltantis puellæ, cujus collum fuit exectum ab aquis concretis glacie. Dies ſolemnis 29. Auguſti.

C A R M E N.

O' Vatum ſoboles, & Vate celebrior omni
Eſt tua candidior candita vita nive.
Arguis incæſtas thædas, & fulmine linguæ
Increpitas mæchi furta verenda proci.
In tua damna Venus rapit arma, ſibique ſodalem
Adjungit Bacchum, quà tua penſa cadant.

Ergò regales, interque tripudia menſas
Prodromus ad ſolem Lucifer alter obis.
Lance caput fertur, merces inhonora choreæ
Impietas pretium, fecit & ipſa ſibi.
Maluit exectum collum, quam culmina regni
Pellex, viſa illi penè corona nihil.
Sed ſcelus inſolitum, non ultio ſueta ſequetur.
Ad Saltatricem, Fata venite nova.
Sit glacies diſrupta, mucro quæ colla recidat.
Ardentes glacie jam jugulaſtis aquæ.

AD DIVAM SABINAM

Matronam Romanam Martyrem. Edocta à Seraſia Virgine de Chriſtianæ Religionis myſteriis, Illa quantocius eſt eam amplexata, indè ſubſecuta eſt, magiſtram martyrem, ſuo martyrio, decollatione capitis. Dies natalitius 29. Auguſti.

CARMEN

NOn es de priſcis Romana Sabina, Sabinis
Fœmina, Romuleis vi temerata viris.
Connubio ſed clara tuo, ſpecimenque pudoris
Urbe micas, celebris ſanguine, dives opum.
Te majora decent tamen his præconia, voce
Seraſiæ, Diam cum bibis ore fidem.
Scilicet ad Cœlos conatus dirigis omnes,
Et tibi ſordet humi pulverulentus amor.
Seraſiam ſequeris ſociam, Fideique Magiſtram
Fletibus irriguis ad necis uſque locum.
Hinc mora parva, comes Doctricis ſigna ſubintras.
Intrepidè gladio Tu quoque colla voves.
Non Saba majorem Romæ devexit odorem,
Illo quem Superis morte Sabina dedit.

AD

AD DIVUM FOELICEM

Martyrem. Ductus est Hic ante Deorum Gentilium tria simulacra, ut coleret Ipse tamen solo afflatu, contrivit, & destruxit Ejus dies natalitius 30. Augusti.

CARMEN.

TAm miserè nunquam tentastis prælia Divi,
Quàm cum Fœlicem vincere, suasit amor.
In Vos Titanes jungentes Pelion Ossæ
Cardine devulsis quid valuere jugis?
Dimicat at faustè Fœlicis Spiritus unus,
Halitibusque suis vos nihil esse patrat.
Afflatu solo dejecit signa: ruistis
Plus validè, nullâ percutiente manu.
Ostendit mentis Vos esse Idola, chymeras,
Si sinè roboribus conterit aura levis.
Conditor Omnipotens, hominem cum flamine trino
Fecit, sic rufam vivificavit humum.
Exanimat Fœlix, uno tria Numina flatu,
I nunc crede tuis Ethnica turba Diis.

AD DIVUM ADAUCTUM

Martyrem. Vidit Hic, ad vota Divi Fœlicis cecidisse procèram arborem, & destruxisse aras, Mercurii, Serapidis, & Dianæ, credidit Fidei Patrantis portentum, & adscivit se Socium necis, pro eadem confessione. Ejus dies natalitius 30. Augusti.

CARMEN.

EOlias animas ab humo Fœlice vocante,
Ut rueret jussit maxima planta solo.
Illa ruit, casuque suo, celsàque ruinâ
Proxima fana Deûm procubuisse dedit.

Mer-

Mercurius Serapis, Diana triformis, ab Ara
Destructâ, tumulum comperiere triplum.
Sic Fœlix, Divûm de cæde triumphat, & ecce
Adscitus palmæ, junctus Adauctus ovat.

AD DIVAM ROSAM A' SANCTA MARIA.

Virginem Limanam tertii Ordinis Sancti Dominici. Primum fuit germen meridionalis Paradisi, quæ cum omnium virtutum attingeret apicem, inter alia, venustissimam cæsariem obtruncavit, & capiti sentiferam coronam, ut tempora cruentaret diù applicuit. Ejus dies natalitius 30. Augusti.

CARMEN

FLos prior Ammericæ, Dii Rosa risus Amoris,
Es Tu desponsi Numinis, Indus odor.
Peruvium ditas nativo pulchriùs auro
Execat auratas cùm tua dextra comas.
Et cùm sentiferis devincis tempora sertis
Non meliora sinu Lima roseta fovet.
Has Aurora rosas, foribus si funderet Æthræ
Impleret totum sideris imbre solum.

AD DIVUM RAYMUNDUM NONNATUM.

Confessorem. Unus fuit ex Institutoribus Ordinis Redemptionis captivorum, Dictus est nonnatus, quia secto Matris ventre venit in lucem. Tota ejus vita fuit cælestis, & à barbaris passus est labiorum perforationem, ferreamque seram, ne amplius loqui possit. Ejus dies natalitius 31. Augusti.

CARMEN.

NOn natus Mundo, soli sed natus Olympo
Quidquid amat Mundus Tu Raymunde fugis.

Sed

Sed ſequeris virtutis iter, quò tendit ad aſtra
Ardua mens, imi temnit, & omne fimi.
Os aperis, votiſque tuis fit pronior Æther
Triſtetur quamvis Turcica Luna prece.
Exuviis viduas Erebum, ditaſque trophæis
Sidera, ſeù ſileas, ſeù juvet ore loqui.
Præcipuè cum verba negas, quia barbara turba
Obſtruit æratis aurea labra feris.
Sed reſerare ſcient Superi citò munera linguæ
Os Cœli, clavis claudere nulla poteſt.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM

MARIAM DE MERCEDE

Opus tantæ charitatis, quale eſt captivorum redemptio Ipſi debetur tamquam Inſtitutrici Religionis, ad hoc deſtinatæ. Dies ſolemnis huic menſi addatur.

CARMEN

DA Mariæ grates, ſcythicâ de compede Liber
Quem juvat ad patrios tendere rurſus agros.
Illa, tuæ Obſtetrix eſt libertatis, & Illa
Aurato ſolvi præcipit ore lupos.
O' pietatis amor dulciſſima Virgo, levamen
A'Te Chriſtiades non niſi captus habet.
Nec ſatis eſt ſtygias animis rupiſſe catenas
Ni quoque corporibus ſolvere vincla velis.
Eſt Tibi Relligio Mercedis nomine ſacra
Hæc (Duce Te) redimit quot fera Luna premit.
Nec gladio prædas intercipit; allicit auro
Hoc amat, hoc avido pectore Turca ſitit.
Naſcere viſceribus terræ fœcundiùs aurum.
Virginis huic operi Tu famulare pio.

AD

AD DIVUM ÆGIDIUM

Abbatem. Patriâ Athenienfis fuit, & inter filveftres dumos multas duxit Olympiadas, ob cœleftium rerum contemplationem. Habuit Cervam altricem fui, quam fervavit, & fi faucius à Venatoribus, & canibus. Ejus dies natalitius 1. *Septembris.*

CARMEN.

ÆGidius Patriam doctis fortitur Athenis;
Sed non Palladiâ gymnade, luftra terit.
Silveftres præfert Sophiæ clamoribus oras,
Et ftudet in tacitâ delituiffe fpecu.
Invenit altricem querno fub fornice Cervam
Lactifluæ dantem munera plena dapis.
Sed mox Munificus nutrici, munera vitæ
Reddit, dum prædam præpedit effe canum.
Inter Venantum calamos, rabidofque moloffos
Saucius Is, Cervam reddidit incolumem.
Quid non egiffet pro Relligione Parente,
Qui pro lacte feræ, fanguinis oftra vovet?

AD DIVOS MARTYRES DUODECIM

Quorum feftivitas recolitur Kalendis Septembris. Omnes fuerunt Fratres utrinque conjuncti, & profeffione Chriftianâ illuftres. Paffi funt à crudelitate Valeriani, innumera licet eadem tormentorum genera. Tandem confufus Tyrannus occifione gladii, eos uno die, loco uno coronavit. Eorum nativitas 1. *Septembris.*

CARMEN

BIs fenos Fratres, uterus, mors, unaque mortis
Verè Germanos efficit effe dies.

In-

Indiſcreta ferit cruciatus ſarcina Cunctos
Suppliciis tantùm ſe librat æqua Themis
Quam trahit æs, verber, fax, ſaxum, lamina, pecten
De conſanguineo vena cruore fluit.
Quid rear in Fratrum duodeno funere Divum?
Aſtra itidem Cœli non duodena micant?
Zodiacum ſanè Fidei nanciſcitur Æther.
Adduntur que novis altera ſigna polis.

AD DIVUM STEPHANUM.

Ungariæ Regem. Primus fuit ſceptriger, qui Chriſtianam fidem in Pannoniam invexit. Religioſa res eſt credere totum regnum ſuo patrocinio liberatum fuiſſe à Turcica tyrannide. Porrò Innocentius Papa XI. ob celebrem Budæ expugnationem hujus Sancti feſtivitatem celebrandam inſtituit, aſſignata die 2. Septembris.

C A R M E N.

UNgariæ ſplendor Stephanus, primuſque Monarcha,
Auſpice quo cœpit Pannonis ora fidem.
Dum tua Tres nerent vitalia ſtamina Parcæ
Fulſiſti terris, Fax velut una poli.
Auxiſti moriens Te ſidere, ſidera Cœli
Aulæ ſtellantis non peregrinus amor.
Gaude ſorte tuâ, propiùs Borealia ſceptra
Tutaris, dum Te cœlica regna tenent.
Credo Ego, Te propter, rupit ſua vincula Buda,
Excuſſit Lunæ, Teque juvante jugum.
Atque iterum Patrum mores aſſumpſit avitos
Oſcula Cæſareo reddere prompta pedi.
Hinc rutilat feſtiva dies, utriuſque triumphos
Commemorans, ritu ſemper itura ſacro.
Sit ſacra ritè dies, Stephani, Budæque Coronis
Poſcit eas Regis nomen, & Urbis honor.

AD DIVUM PHOEBEN

Confessorem. Fuit strenuus operarius in cultura vineæ Dominicæ, & nunquam intermissis laboribus, ad finem beata coronide pervenit. Ejus dies natalitius 3. Septembris.

CARMEN.

Tu rutilas Phœbè phœbææ lampadis instar
Ter superans Phœbes luce bicorne jubar.
Est Ea non stabilis, tenui, nunc interit igne,
Nuncque recollectas exerit orbe faces.
Tu firmus semper, fidei ad primordia, nescis
Quid sit defectus, deliquiumque pati.
Qualiter aspectu se promit Phœbus eodem
Lunari quovis exoriente die.
Sic Tu, temporibus variis cum lumine primo
Nascentis plantam Relligionis alis.
Vox Lunæ maneat tantum; Te Solis Eoi
Obtinuisse decus, lucida gesta notent.

AD DIVAM CANDIDAM

Seniorem, Neapolitanam. Prima fuit Christiana suæ Civitatis. abluta baptismate à Sancto Petro, à quo Sacramentali epulo est refecta, & ejus opera Asprenus suus Consanguineus, institutus est Præsul; hinc fides tam gloriosè invecta in sua Patria Ejus dies natalitius 4. Septembris.

CARMEN.

Illa dies, albo tibi sit signanda lapillo
Siren, qua Petro Candida juncta fuit.
Tunc primum venit niveis invecta quadrigis
Dia Fides, atram prostituitque stygem.
Partenopes arcem, cordis sibi diligit ædem
Non occasuras hic habitura moras.

Æter-

Æternæ lucis candor, de Virgine Natus
Sub nive triticeâ gestiit esse cibus.
Hac dape Cœlituum, refici tibi Candida princeps
Obtigit, altaris Petro operante sacris.
Tu non, Te solâ pateris sterilescere dona
Niteris in Cives dona scatere tuos.
Efficis ut Petri manibus, sit fonte piatus
Aspren, adoptati sit Pater inde gregis.
Ergò Fides, est pupa, tuis lactata mamillis,
Posteà Sebethi, quæ stetit Urbe, gygas.
Ubere quid jactas Juno peperisse galaxim?
Urbem sideream Candida lacte parit.

AD DIVAM CANDIDAM

Juniorem Neapolitanam; De patricia Brancaciorum familia est orta. Inter blandimenta sæculi immaculatum servavit morum candorem, cujus exemplo plurimæ Matronæ, se totas Deo dicarunt. Ejus dies natalitius 5. Septembris.

C A R M E N.

EUripos inter Mundi, sæclique baràthra
Innocuæ servat Candida mentis ebur.
Sic Sol, cœnosæ radio se miscet abysso.
Ast impollutum retrahit indè jubar
Candores animi, pallor non inquinat auri
Quin auget cordis, bacca, adamasque nivem.
Se victam Siren Matronâ plorat ab unâ
Heù frustrà blandis insidiosa modis.
Esse nec in solo proclamat robur Ulysse,
Ast in fœmineo pectore, majus ait.
Quid quereris Siren, artes priscosque canores,
Ne memores; Sanctam Te decet esse modò.
Altera Te talem, niveis vult moribus esse
Candida, Christiadum corde secuta fidem.

Orſa dedit Senior, faſtigia Junior addit
O' fatale tuo Nomen utrumque bono!
Quælibet Urbs, diphabi quærat ſibi muricis oſtrum
Candoris gemini Tu nive Major eris.

AD DIVUM PRÆSIDIUM

Epiſcopum, & Martyrem. Invicto eſt præditus animo, & cum gregem, prædicationibus, & ſcriptis erudiiſſet, poſtremò laureâ martyrii triumphaliter coronatus eſt. Ejus dies natalitius 6. Septembris.

CARMEN.

REbus in adverſis, es inexpugnabilis Heros
Non animos hebetant ulla pericla tuos.
In Te præſidium Virtus eſt nacta fidele
Scutum Relligio, deliciumque Fides.
Sunt quos Nazaream calamo illuſtrare Siona
Iuvit, vocali vel celebrare tubâ.
Aſt alios decuit teſtari ſanguine, quidquid
Dum coleret Mundum, Numen homo docuit.
Tu modò tergeminos titulos ampleсteris Unus
Juſſa Dei, tabulis, ore, cruore, probas.
Ne timeas pugnare Sion interrita terris
Præſidius, triplicem ſuppeditabit opem.

AD DIVAM REGINAM

Virginem, & Martyrem. Nata eſt Auguſtoduni, & totis viribus virgineum corpus ſubigebat Spiritui, ut ſuarum paſſionum eſſet dominatrix, tandem coronæ virginitatis, laureolam adjunxit martyrii. Ejus dies natalitius 7. Septembris.

CARMEN.

NAſceris Auguſtâ, Virgo venerabilis Urbe,
In quà, Reginæ nomen habere datum.

Hæc

Hæc duo, Sublimis non ſunt præſagia Sortis,
Ut regale decus ſis initura modò?
Non fallor, parat Integritas innupta coronam,
Quæ de liliolis eſt plicitura comas.
Dat ſceptrum Virtus, quo cuncta pathemata vincas,
Moribus & regnes Imperialis Heræ.
Purpuream tandem chlamydem tibi ſufficis Ipſa,
Hæcque rubet ſparſo ſanguinis imbre tui.

GENETHLIACUM
BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ

Nativitatis ejus magnalia recenſentur, quæ ſunt condigna honori, Virginis, & Matris Dei. Dies natalit. 8. Septembris.

CARMEN.

EDeris in lucem, mœſti lux aurea Mundi
Immortale decus Protoparentis Adæ.
Laberis ex utero, primæ ſine labe Satricis
Ipſo candidior lacte, quod ore bibis.
Enumeras non dum paſſus, & culmina laudum
Exuperas, poſt Te gloria ſerva venit.
Faſcia quæ Dios circumdat leniter artus,
Eſt Sol, purpureo qui vehit axe diem.
Eſt capitis tegumen, duodeni circulus aſtri,
Datque ſedile tuo Delia clara pedi.
Exortæ deceant inſignia tanta Puellæ,
Quæ Virgo, Numen ſit paritura ſuum.

SUPER EADEM MATERIA.

Aſtruitur lætitia, & utilitas univerſo Orbi proveniens ex Natalitio tantæ Dominæ. Dies feſtivus 8. Septembris.

CAR-

CARMEN

NAſcere progenies, atro fatalis Averno
Orbis honor, ſummi Numinis unus amor.
Naſcere, Signiferæ ſidus lætabile zonæ
Et Patris, & Matris naſcere Pupa, lepor.
Cumæi fœlix venit nova carminis ætas
Aſpicis ut ſurgant altera ſæcla polo?
Te Naſcente: Deus dextrâ de vindice, fulmen
Ponit, cumque ſolo fœdus Olympus init.
Tu terram non calce teris, jamque atteris anguem
Quem facis ad ſtygios vertere terga lacus.
Magnus honor: Vix ingreditur terrena Maria,
Et jam cœleſtis tranſilit alta cycli.

AD DIVUM HADRIANUM

Martyrem. Cum eſſet Idolatra, videns conſtantiam Chriſtianorum in perferendis ſuppliciis: Chriſti fidem eſt amplexatus, opera præſertim Nataliæ ſuæ uxoris. Cæſus eſt nervis uſque ad mortem, & eſt amputata manus: Sic glorioſè dimicans pervenit ad palmam. Ejus dies natalitius 8. Septembris.

CARMEN.

DUm cędi nervis, alienos cernis Athletas
Tu vires, nervos, ò Hadriane capis.
Rapturus varias, Latio cum Cæſare luctas
Uxor, pro belli Dux tua ſorte venit.
Nil tibi certanti ſtimulus fuit acrior Illà;
Natalis nomen temnere funus agit.
Conjugis admonitu, fœlicia prælia comples
Egit Te fauſtè conſeruiſſe manus.
Sed mirum. Martis Te proſpera fata coronant
Hoſtili pugnax cum cadit enſe manus!

AD

AD DIVUM GORGONIUM

Martyrem. Invicta constantiâ pertulit vulnera à verberibus orta, nec minus craticulam ignis, paulatim comburentis, pro majore tormento. Demum laqueo ad collum injecto, ad Cœlos evolavit, stridentibus rabie, Diocletiano, & Maximiano Augustis. Ejus dies natalitius 9. Septembris.

C A R M E N.

Sanguine Gorgoneo (sic Vatum fabula lusit)
  Hinnitu resonans prodiit ales Equus.
Sanguine Gorgonii (sic verax pagina cantet)
  Prosiliit fundens plumea Fama sonos.
Quid canit hæc? palmas quas bino è Cæsare Martyr
  Obtinuit binas; verberis, atque facis.
Plausibus ò quantis Echo fuit Orbis ad illas!
  Una tot ad laudes buccina visa parum.
Fune suum frustrà tentarunt frangere guttur
  Augusti Proceres: irrita cura fuit.
Perdidit Herois vocem laqueus: stetit ipsa
  Vox celebris Famæ, sanguine nata suo.

AD DIVUM NICOLAUM TOLENTINATEM

Confessorem. Vita illius admirabili sanctitate refulsit, & Mors fuit pretiosa, quia per sex menses, antè discessum, singulis noctibus, cœleste melos Angelorum haurire meruit. Dies natalitius 10. Septembris.

C A R M E N

Nicoleos, mortem menses sex antè, Canentum
  Aligerûm, mulsâ Tu bibis aure sonos.
Hi Tibi victori plaudunt, epinicia texunt
  Inter Cœlituum cimbala, & inter ebur.

Præ

Prægustare facit Superûm Canor ille, Sonorque
Ætheris ambrosias, Empyreique favos.
Forsitan, & Mortis captasset Musica dextram:
Sed Mortem surdis auribus esse juvat.
Namque Ortus tibi Mors fuit, haud occasus: id ipsum
Testatur thalamo Stella revisa tuo.
Te vivente manet, Te decedente recedit.
An non Sol oriens sidus abire facit?

AD DIVUM PROTUM

Martyrem. Ipse cum Hyacintho, fuerunt Eunuchi, & Custodes Sanctæ Eugeniæ. Ductus Hic antè Jovis statuam, ut adoraret derisit, & increpavit; undè ad ejus aspectum corruit. Postmodò flagellatus, & bipenni percussus, martyrii palmam obtinuit fœliciter. Dies natalitius 11. Septembris.

CARMEN.

Virginis Eugeniæ custos ò Prote pudoris
Ausus es in mæchum probra vibrare Jovem.
Arguis incæstum cui sit (quid fœdius?) Uxor
Saturni proles Juno, simulque Soror.
Insuper insano ceù votum semper amori
Objurgas, auri sub specieque Cygni.
Thura negas meritò flagranti turpiter igne
Quem non Ara decet, sed stabulantis hara.
Hostia non melior tibi Juppiter advenit, inquis
Ipso cornigerum Te faciente bovem.
Hæc ubi dicta, Jovis simulacra ruère, pudentis
Ad sonitum, robur fulminis isse solo.

AD DIVUM HYACINTHUM

Martyrem. Alter fuit Eunuchus Divæ Eugeniæ. Hic autem cum Proto pro eadem religionis causâ illustre martyrium subiit.

ſubiit. Alludit Muſa ad nomen, quod cum conveniat, viro, flori, & gemmæ, æquum eſt ut conveniat ſideri. Ejus dies natalitius 11. *Septembris.*

C A R M E N

Quid potius floris, vel gemmæ ſtemmata ſignas
O' qui purpureis is Hyacinthe ſtolis?
Utraque Te decorant: æquo Tu munera tractu
Gemmæ more micas, floris, & inſtar oles.
Flos, es coccineus propè candida lilia Divæ
Eugeniæ Cuſtos lectus adeſſe vigil.
Gemma nites, proprio violacea picta cruore,
In quo ſcripta tuæ ſunt nocumenta necis.
Tu qui Vir, qui Flos, qui terris Gemma coruſcas
Non etiam radians Æthere Sidus eris?

AD DIVUM SACERDOTEM

Epiſcopum, & Confeſſorem. Lugduni, omnis ſanctitatis exemplo, ſuum paſtorale miniſterium adimplevit, illicque clarus meritis, evolavit ad perpetuas æternitates. Ejus dies natalitius 12. *Septembris.*

C A R M E N

Qui fuerat longâ purus cum veſte Sacerdos
Lugduni ſtringit Pontificale pedum.
Alma ſolet Virtus largiri dona gradatim,
Ordine promeritos & decorare Viros.
Mitra Sacerdotis nequiit procul eſſe Coronâ,
Purpura nec voluit longiùs ire ſtolà.
Utraque nam Patri connecti geſtiit Illi,
Qui tener, & cunis, nomine Flamen erat:
Scandere quid reſtat, niſi ſcandere culmen Olympi?
Additur hic ſaltus, cum ſua vita cadit.

En illic Agno, Paſtor, fruiturque Sacerdos,
Nullus & eſt ultrà qui ſaliatur apex.

AD DIVUM MAURILIUM

Epiſcopum, & Confeſſorem. Extitit digniſſimus Antiſtes Andegavenſis Eccleſiæ, & innumeris claruit miraculis, inter quæ illud celebrius, quod Renatum mortuum ſuſcitaverit, deſignaveritque ſuæ Eccleſiæ ſucceſſorem. Renatus poſteà cum veniſſet in Italiam, etiam Præſul fuit Surrentinorum in Regno Neapolis. Ejus dies natalitius 13. *Septembris*.

CARMEN.

HIc Eſt Maurilius portentifer ille, Renatum
Qui vitâ functum vivere rurſus agit.
Quem Succeſſorem Andegavi deſignat ovilis
Paſtor ubi trimi temporis Ipſe fuit.
Aptior hoc nullus, Viduis, puerisque miſellis
Tradere ſuppetias, æris, & oris ope.
Ah quoties per ſigna Crucis formata verendæ
Luminibus valuit reſtituiſſe jubar!
Non minus infernos aditus aperire loquendo,
Exuviis tumulos & ſpoliando ſuis!
Certè Naturæ leges eſt vincere viſus,
Sidereaſque ſuper jus habuiſſe plagas.
Maurilii virtute ſatus bis, biſque Renatus
Extitit Antiſtes: cætera Fama ſile.

AD SOLEMNIA EXALTATIONIS SANCTÆ CRUCIS.

Diù ſub humo latuit, poſtmodum pietate Divæ Helenæ inventa. eſt toto orbe exaltata. Dies feſtivus 14. *Septembris*.

CAR-

CARMEN.

Quæ latitabat humi, ſuper aera tollitur Arbor.
Quadrifidam ſurgens Sol, venerare trabem.
Omnis honor tibi ſit, Chriſti Crux ſparſa cruore
Purpureis Domini vermiculata notis.
Non decet Infernis Te ſedibus eſſe propinquam,
Quæ benè Tartareos es populata lares.
Te ſuper Orbis Amor, Vitæque pependit Origo
Lux monet, ad ſuperas ſurgere Teque plagas.
Auſpice Te tellus cum Cœlo fœdus inivit
Ulteriùs luteo quid tumularis humo?
Si pacatricem Mundi Te clamat Olympus,
Et ſi munus habes Iridis; Alta pete.

AD DIVUM NICOMEDEM

Presbiterum Martyrem. Cùm Sanctæ Fœliculæ Martyris corpus in cloacham projectum, ſepeliiſſet viâ Ardeatina, juſſus eſt à Flavio occidi, & in Tiberim mergi. Ejus dies natalitius 15. Septembris.

CARMEN

Ut fuit in fœdam Fœlicula jacta cloacham
Chriſtiadum toto ſanguine falſà fidem:
Suſtulit exanimes Nicomèdes Presbiter artus,
Clamque parentalem ſubter humavit agrum.
Funereos ſcivit Defunctæ, Flaccus honores
Exarſit rabie, ceù fera ficta ſparo.
Juſſit humatorem letho tradi Nicomedem,
Et juſſit mergi Tibridis inter aquas.
Hunc quàm fœlicem fecit Fœlicula Virgo!
Tobiæ ſatiùs ſors ſua digna fuit.
Ille per inferias meruit terreſtria dona,
Ætheris æternas Iſte lucratur opes.

AD DIVUM CORNELIUM

Pontificem Maximum, & Martyrem. Insectatus est Novati hæreses. De Decio Imperatore triumphum reportavit, quando Idolorum cultum postergavit, pro quibus gloriosè necatus est. Habuit necis Socium Cerealem sua constantia motum, qui non minus intrepidè ferro se vovit. Ejus dies natalitius 16. *Septembris.*

C A R M E N

Cornèli palmas amplecteris ubere cornu,
Porrigit è Cœlo quas tibi Dia Charis.
Quot libicus natale parit. nova monstra Novatus;
Amphytrioniades tot novus, Urbe teris
Hæreseos frustrà septem capita erigit Hydra
Auspice Te, colubri nulla venæna nocent.
Impietas etiam Decii, Tibi cedit, & ille,
Qua nece se retur vincere, victus abit.
Dum Marti dare thura negas, dum prodigis ævum
Non decies gemmis aucta corona tua est?
Cornèli ferro messem benè collige, duplo
Fœnore jam Socius, jam Cerealis adest.

AD DIVUM CYPRIANUM

Episcopum Carthaginensem, Martyrem. Rethor fuit eloquentissimus. Scripsit de laudibus Martyrum, & capitis decollatione meruit Purpurari. Dies natalitius 16.*Septembris.*

C A R M E N

Non Cypriæ Veneris ridet Cypriane venustas
Ore tuo; Cœli floret at alma Charis.
Sic intexta tuis rutilat sacra purpura chartis,
Ut par puniceos Mitra decoret agros.

Mar-

Martyribus calamum ſacras, quos laudibus ornas,
Quos fortunatâ vis quoque morte ſequi.
Vota manent: patriis laribus Carthaginis, inter
Concives toto, robore Martyr obis.
Jam non plura, foro meruiſti encomia fando,
Ut Famam, quandò vena cruoris abit.
Punica non alio poſthac ſe ſanguine pingat
Purpura, Pontificum ſi volet eſſe Chlamys

AD DIVUM GEMINIANUM

Martyrem. Trahebatur ad ſupplicium, Martyr Lucia Matrona Romana; cumque eſſet propè domum Geminiani, vidit Hic, ſuæ ædis ruere idola, quo caſu motus, deteſtatus ethnicam ſuperſtitionem, factus eſt comes fidei, & mortis Luciæ properantis ad coronam. Dies natalitius 16. Septembris

CARMEN.

Lucia ſola meat ſolis contecta catenis
Per vicos Urbis, ſed properante gradu.
Proxima ſupplicio, Vir tollitur unus, & inquit
Marmoreos vidi præcipitare Deos:
Cum prope Tu noſtros ires Matrona penates,
Et nunc deteſtor ſculptile marmor Ego.
Ænea ſigna procul, Fidei me jungo tuæque,
Pro qua velle mori, ſors mihi major erit.
Dixerat, & Fidei Comitis, Mortiſque meretur
Funus, cumque Viro fœmina nexa cadunt.
Geminiane mica Geminorum lumine Fratrum
Te lucere facit Lucia, luce ſuâ.

AD DIVAM LUCIAM

Romanam Martyrem. Accuſata ab Eupio ſuo filio, quod Chriſtiana eſſet, Infervens abenum liquati plumbi, & picis immittitur,

mittitur, in quo nihil læsa, abscissione capitis ad Cælos evolavit. Ejus dies natalitius 16. Septembris.

CARMEN.

OCcasam lucem Romanus vidit Orizon
Cùm fuit infandæ Lucia vota neci.
Proh facinus! proles Genitrici funera curat;
Nazareæ Fidei fatur ut esse ream.
Hinc grandæva Parens in ahenum mittitur, igne
Fevescens, plumbo, sulphureàque pice.
Sed negat Omnipotens liquidi quod massa metalli,
Sive necare queat, sivè nocere face.
Servatur gladio ferientis militis: Illa
Robore masculeo colla secanda vovet.
Non unus tibi Roma Nero fuit. Eupius aspis
Dans Matri mortem, tempora prisca novat.

AD DIVAM EUPHEMIAM

Virginem, & Martyrem. Crudelissima tormenta in Illam parata, quotquot fuerunt, omnia divinâ virtute non obfuerunt. Scilicet rota ærea, ignis accensus, immersio in mare, voraces feræ, & ferrati dentes. Cum tamen Ipsa voluit, fusis precibus impetravit à Domino suum à vita exitum. Ejus dies natalitius 16. Septembris.

CARMEN

OMnis in Euphæmam mortis cataclysmus inundat,
Dum coluisse nothos denegat una Deos.
Sed frustrà mala turba furit: rota frangitur æris
Fitque sui vindex orbita fracta fabri.
In flammas jacitur, flammis haud læditur Illa;
Sed sunt Carnificum membra perusta rogo.
Est etiam monstris data præda Virago marinis,
Sed mersam Pistrix elevat inter aquas.

Tra-

Traduntur ferræ refecandi dentibus artus;
Ferrea dentati ferra fed æris hebet.
Orbita, Phoca, Faces. Serræque quiefcite dentes
Non poterit Virgo ni volet. Ipfa mori.

AD STIGMATA
SANCTI FRANCISCI ASSISINATIS.

Commendatur impreffio facrorum vulnerum Crucifixi Domini, fuo Famulo impertita. Dies folemnis 17. Septembris.

CARMEN.

IN Te Sculptor Amor fculpfit fua vulnera; ferres
Ne fimulacra Tui, fed fimulacra Sui.
Saucia bina manus, binus fit pefque cruentus
Sanguineo lævum purpurat ore latus.
Stigmate cælatus quino, cœleftis Alumnus
Appares, noftræ non pereginus humi.
Hæc Infernales horrent infignia manes.
Heù memores cladis, prifca trophæa pavent.
Tu Francifce tuo infers vulnere vulnus, Averno
Inverfa es contrà Pelias hafta ftygem.

AD EUMDEM

Super eadem materia Magnificatur gratia divini Amoris, operantis triumphalem fieri Servuum, quando vulneribus fuit infignitus. Dies folemnis 17. Septembris.

CARMEN.

VIvus adhuc, fpiranfque; latus Francifcus apertum
Affervat, radio quod referavit Amor.
Hoc quia, flagranti maneant fpiramina Cordi,
Inveniatque fuas Vita liquata vias.
Fortunate pugil, verè fœlicius armis
Pugnas, conflictu quandò cruentus abis.

A' bel-

A'bello nunquam rediisses victor Amantum,
Ostentare datum ni Tibi vulnus erat.

AD DIVUM THOMAM DE VILLA-NOVA

Episcopum Toletanum. Commendatur ejus charitas erga pauperes, quæ quondam extitit prodigiosa, cùm exhausto borreo frumenti, repentè sit inventum integrum. Ejus dies natalitius 18. *Septembris.*

CARMEN.

PAuperibus dà quiquid habes, seù flava metalli
Pondera, seù mitræ gemmea texta tuæ.
Exhaurire sacram poterunt non munera dextram
Fata manum tangent prosperiora Midæ.
Porriget auriferas tibi prodigus Hermus arenas,
Atque suo Civi, gemmea dona Tagus.
Mendicis benè vota tuis, Ceres ecce recrescit
Ecce novas messes dilapidata, parit.
Non eget ut gliscat maturi temporis anni
Sufficit ut detur, surgat ut illa recens.
Servando Joseph custodiit horrea plena
Donando, Thomas horrea plena creas.

AD EUMDEM.

Vivus multiplicavit frumenta, mortuus resurgere fecit mortuum. Dies natalitius 18. *Septembris.*

CARMEN

AUrea num primæ redierunt tempora lucis,
Ut sine seminibus se ferat ultrò seges?
Non equidem: Quæ sæcla vetus circumtulit ætas
Somnia deliræ vana fuere lyræ.

At

At Thomæ Pietas hæc ditia munera præſtat
Frugiferas meſſes has, NOVA VILLa parit.
Eſt Hic verus ager, theſaurum viſcere condens,
In quo congeſtas invenit Emptor opes.
Nec mirum quod Vivus adhuc, ſua tritica rurſus
Succreviſſe dedit, vel duplicaſſe penum:
Si functum, Functus, vitæ revocavit ad auras:
Quid plus aucta ſeges, vel redivivus homo?

AD DIVUM JANUARIUM

Martyrem præcipuum Patronum Neapolitanæ Urbis. Jugiter Sanctus Præſul in Nos ſuum demonſtrat patrocinium, arcendo ab hac Civitate Veſuviana incendia, clades, & vaſtitates afferentia. Ejus dies natalitius 19. Septembris.

C A R M E N.

Quis Tibi det pariles Januàri carmine laudes?
Tu verè patriæ diceris eſſe Pater.
Quod Pignus generas, in lucem taliter edis,
Ut nuſquàm Genitum flamma rogalis edat.
Vesbius ah quoties irarum canduit æſtu,
Ut ſua Sirenem fax tumularet humi!
Sed fruſtrà ignitas erexit ad æthera linguas
Partenopes valuit non violare plagas.
Parce fero tandem genio Vulcane, nec oras
Januàrii fretas Numine, læde foco.
Credideram ſatis hoc Nolæ docuiſſe caminos
Auſos Pontificis non tetigiſſe comas.
At tuus alme Parens, in Nos amor undè probari
Poſſet, Vesèvo non jaculante faces?

A D E U M D E M

Sanctiſſimi Martyris ſanguis concretus, aſſervatur in ampulla vitrea, & ad aſpectum capitis, bullit, & effervescit, quod

portentum, semper ac sit; pignus est certum, incolumitatis Partenopes. Dies natalitius 16. Septembris.

C A R M E N

VIta propinatur mirùm cratere cruento!
Proh stupor à plagis est repetita salus!
Ille cruor, rabido quondam non tactus ab igne,
Illa nec accensis fibra vorata feris.
Scit modò frendentem mulcere furore Vesevum
Partenopes quandò bullit amore suæ.
Bulliat ò semper, sua sintque tripudia, nobis
Omina venturi prosperiora boni.
Nota loquor: cum Vena tumet, liquet, assilit, ardet
Terra stat, arma cadunt, fax perit, arva virent.

AD SANCTOS FESTUM, ET DESIDERIUM

Martyres. Fuere Beneventani, & Socii Divi Januarii in martyrio, Puteolis obtento, quo loco collis Phlegræus sulphureas flammas eructat. Eorum dies natalitius 19. Septembris.

C A R M E N

FEsta dies, Festo socialia carmina jungat,
Et Desiderio plectra cupita ferat.
Sit benè lapsa dies Beneventi lumina pandens
Funereo Phlegræ munere functa solo.
Olim sulphureis erumpens Flamma caminis
Roboris ostensi lingua diserta fuit.
Nunc Melior tubicen, redivivi est fama triumphi
Quam vehit Eois Sol benè lapsus aquis.

AD DIVOS PROCULUM EUTHYCHETEM, ACUTIUM

Martyres. Cives erant Puteolani, & in celebri martyio S. Januarii, nobiles natalibus, nobiliores meritis fuerunt Comites: Itaque in loco Phlegræo, ubi sulphur ardescit, & nunc ibi extat eorum Templum, propter martyrii coronam illustre, Eorum Sors est coronata. Die natalitio 19. Septembris.

CARMEN

PHlægra cruentatos olim speculata Gygantes
En ciet ad visus lumina læta novos.
Tres videt Heroes armis certare Dycharchos,
Ut redigant Superos sub ditione polos.
Terrigenæ, trifidi perierunt fulminis ictu
Nunc ubi sulphureo fumigat igne solum.
Christiades vincunt, ter suso sanguinis imbre
Hic ubi perpetuo fulget honore Locus.
Illis pro stellis, est vota bituminis urna,
Ætheris Hi verè promeruere Domos.
Titanes mansit graveolentis odoris acerra
Indigetum palmas thurea grana manent.

AD DIVUM EUSTACHIUM

Martyrem. Fuit illustris Dux bello, sed fortunatior Venator in silvis. Vidit enim persequendo Cervum, inter illius cornua Crucifixum, quo aspectu, factus est Christianus. Postmodum pro Fide objectus est leonibus, à quibus nihil est offensus. Sed demum in tauro candenti triumphi palmam, moriendo obtinuit. Ejus dies natalitius 20. Septembris.

C A R M E N

EUstachius castris fortunatissimus Heros
Victrices Aquilas fixit Hydaspis agris.
Venator sylvas fuit at fœlicior inter
Aucupio prædas nobiliore tulit.
Dum sequitur Cervum, Cervi per cornua cernit
Quadrifidam (vitæ nobile stemma) Crucem.
Illius aspectu lacrimarum fonte madescit,
Et melior Christi currit ad arma Pugil.
Sic hostem perimit, ceù Cervus conterit anguem
Sic celer ad Nemesim, Flumen ut ille petit.
Ad cædes etiam properantes Urbe Leones
Est quibus objectus, vincere scivit ovans.
Nam quia cesserunt telis, Nudoque sarissis
Quas habuit Sylvis, Hæc modò palma præit.

AD DIVAM THEOPISTAM

Martyrem. Uxor fuit Sancti Eustachii, & invictæ patientiæ in sufferendis laboribus specimen dedit. Ultimò pro Christi Religione in bovem candentem injecta ibi exusta obiit. Ejus dies natalitius 20. Septembris.

C A R M E N

EUstachii Theopista (viden) comes illa mariti
Robore par animi, par pietate Viro!
Fœmina prægrandes quot sustulit una labores
Tot palmas, stygio de Phlegetonte tulit.
Igniti demum Tauri damnatur ad alvum,
Ut sic ære cavo mox cinefacta flagret.
Ast ea, mugitu cœcum ter terruit Orcum
Illius à sonitu Dis, tremefactus abit.
Alcidi, victus Bos, spirans naribus ignem
Hesperio tantùm non fuit axe decus:

Quan-

Quantum Bos candens Theopiſtæ ſerta coronans,
Namque Illam cornu, Sidus ad uſque levat.

AD SANCTOS MARTYRES

AGAPITUM, ET THEOPISTUM

Fratres Conſanguineos, filios Divi Euſtachii, & Divæ Theopiſtæ. Hi pro Fide Chriſtiana, ſimul cum Parentibus in taurum ſubjectis flammis candentem injecti ſunt, in cujus ventre æneo, laudantes Dominum exuſti, Cælos lucrifecere. Eorum dies natalitius 20. Septembris.

C A R M E N

ASpice germanos Fratres, plus ventre juvenci
Tales, quàm Matris viſcere, quandò ſatos.
Hos Theopiſta ſolo peperit; ſed parturit Æthræ
Taurus, ſidereum quos Thimiama facit.
Signiferi Taurus reſerans cum cornibus annum
Talia non illis florida luſtra dedit.
Quantùm Bos urens, flammâ vel amabilis ipsâ,
Et dulcis, quamvis ænea corda fovet.
Ille aperit cornu perituri tempora veris
Æternos aperit Corniger iſte dies.

AD DIVUM MATTHEUM APOSTOLUM

Recenſetur breviter vocationis ejus ſeries, & commendatur à victoria obtenta de magicis draconibus. Dies natalitius 21. Septembris.

C A R M E N

HAuris ut auriferos Chriſti Matthèe profatus
Protinus eſt auri corde fugatus amor.
Viluit omnis opum, nummique proterva cupido,
Nec Vectigalis ſubdola cura fuit.

Pau-

Pauperies placuit Domini, meliora ferentis
 Munera, non ullo commoritura die.
Haud meruit pretium tua dextra, tributa notando;
 Cæſaris; At meruit, ſcripſit ut acta Dei.
Quis ſtupor aurigeris ſquamis viciſſe Dracones?
 Præſtigias auri vicerat, Ipſa priùs.

AD DIVOS MARTYRES FORTISSIMOS

Thebeæ legionis. Hi duce Mauritio ſub Maximino Imperatore, quia Chriſti Fidem ſunt confeſſi, ſunt bis decimatò occiſi, poſteà omnes indiſtinctè furori exercitus Cæſarei devoti, necem obtinuerunt. Eorum dies natalit. 22. Septembris.

CARMEN

ECquandò Thebæa phalanx generoſior armis
 Ni cum de proprio ſanguine tota mades?
Pugna recens, & palma recens. Non pila rotare
 Ira docet; Virtus at docet ultrò mori.
Fulmen erat belli non veſtrum Quiſque? ſed iſtud
 Exeritur robur, Quiſquis ut antè cadat.
Scilicet eſt ductum ſortitò nomen ab urna
 Proh quantum fœlix ſors venit illa necis!
Tu bis lætitiam Decimatus pectore pandis,
 Ut decumos fluctus bis ſuperaſſe putes.
Ejà purpureo de flumine Dives Agaunum
 Amne rigata ſacro, Lilia ſola pari.

AD DIVUM LINUM

Antiſtitem Maximum Martyrem. Primus poſt Petrum ſanctiſsimè rexit Eccleſiam. Statuit ut Mulieres templis ſuccederent, velatâ facie. Obſeſſos à Dæmonum ſervitute liberavit. Ejus dies natalitius 23. Septembris.

CAR-

C A R M E N

EN hæres Petri primus, cui fiſſa ſecundò
Porta poli: Aſtrorum janitor, Orbis Herus.
Debuerat Lini vertex extemplò liniri,
Leniret tenerum Paſtor ut Urbe gregem.
Hic jubet ingreſſas ad Dia ſacella puellas
Siſtere velatâ fronte, ſub æde ſacrâ.
Et meritò ut poſſint ardere pudore pudico
Nupſit conteſtis flammea ſancta genis.
Hic tamen Antiſtes, Chriſti Dux lectus ovilis
Eſt etiam ſtygiæ perdiùs hoſtis haræ.
Teſtetur Mulier, Lini quæ libera clave.
Dein Erebi clauſos carcere, novit apros.

AD DIVAM THECLAM

Virginem, & Martyrem. Præ virginitatis amore nuptias Conjugis reſpuit, à quo accuſata, quià profeſſione Chriſtiana: ſuſtulit idcircò terribilia ſupplicia. At ignem, beſtias, & cætera tormenta ſuperavit, à quibus minimè læſa fuit. Ejus dies natalitius 23. Septembris.

C A R M E N

JAm thalamo deſponſa Viri, Thecla virgo, jugales
Poſtergat tedas, corde nec ardet hymen.
Quin ruit in flammas, præ Virginitatis amore
Funereâ ſtructas urere membra pyrâ.
Veſtalis melior, reſtinguas lampada quamvis,
Et pereat potiùs Te properante rogus.
Quam non ignis edit, laniant minus ora Leonum,
Et venit obſequiis officioſa tygris.
Effera virgineos lingit dupla bellua talos,
Quid mirum ſi jam fugerat eſſe lupam.
A' brutis, Homines miteſcere diſcite ſævi.
Flexa genu, prædam lambit, amatque Fera.

AD

AD DIVUM SOSIUM

Martyrem. Erat Ecclesiæ Misenatis Diaconus. Inventus est à SanctoJanuario docens populum, & visa in illius capite est duplex ignita lingua, quæ visio portendit martyrii gloriam proximam. Verificatum est omen; nam cum SanctoJanuario, & Sociis, In Phlegræis Puteolorum campis martyrio celeberrimo, est coronatus. Ejus dies natalitius 23. Septembris.

CARMEN.

SOsius Euboicas Miseni nomine Gentes
 Edocet, & Domini cœlica dicta canit.
Erudiens populum, superæ sacra lingua favillæ
 Inseritur capiti, lambit & illa comam.
Januarius pyromanta pius mysteria noscens
 Martyrii auspicium præcinit esse facem.
Obtigit: In Phlegræ campis ubi flamma perennat
 Laurea serta meret sanguine nacta suo.
Non tubicen Misene, fuit tua buccina tanti
 Quam Misenatis clangere docta tuba.
Adversus stygios canit hæc fera bella Tyrannos
 Terret avernales, & sonus iste Duces.
Non decuit cantu meliore accendere Martem
 Verticis accensus Qui prius igne fuit?

AD DIVUM GERARDUM

Episcopum, & Martyrem. Primarius fuit cultor Dominicæ vineæ in Regno Ungariæ, qui cum strenuè pro illa laborasset tempore Stephani Regis: postmodum ex morte piissimi Principis, fuit Sanctus Præsul occisus ab ingratis hominibus, prope flumen Morisium: attamen crevit, & magis floruit Fides Christi, post suum obitum, Martyre deprecante, pro regno. Ejus dies natalitius 24. Septembris.

CAR-

C A R M E N

LAncea Te terebrat Præſul Gerarde, manuſque
Militis ingrati, ter latus ære fodit.
Proh ſcelus infandum: Siccare cruore Hierarcham,
Qui vitæ venas cœlite fonte dabat!
Non prior Hungaricam gentem baptiſmate lotam
Cœlitibus gratum niſus es ire genus?
Quid nunc Moriſii propè littora fluminis, Illa
Aſperior colubris in tua fata ruit.
Non eſt humanos quod plus offendat ocellos
Quam benefactori retribuiſſe malum.
Tu tamen haud mœres, ſed fundere ſpontè cruorem
Gaudes, ut terris frugifer ille cadat.
Non ſecus evènit: liquidis mox uda pyropis
Empyreo ſimilis, Pannonis ora fuit.

AD DIVUM HERCULANUM

Martyrem. Deglutiit generoſiſſimè mortem crudeliſſimam pro Chriſtiadum religione, & in ejus obitu, terra tremuit, ex quibus præponitur priſco Herculi fabuloſo, de quo gravidæ ſunt mendaciis græcæ pagellæ. Ejus dies natalitius 25. Septembris.

C A R M E N

INdiges Herculeus quàm clarior Hercule priſco!
Fabula cui tribuit ſuſtinuiſſe polum.
Poſſidet hic Cœlos, pretio quos ſanguinis emit
Dum pro ſidereâ Relligione perit.
Non clavâ domuit mendacia monſtra ferarum;
Monſtroſos vicit, ſed Pietate Deos.
Centauri ſanguis fuit illi lethifer; Iſti
Pro vita, ſecti vena cruoris iit.
Hoc moriente, ſolum tremuit quaſi Fultor abeſſet,
Stelliferos verè tunc tenuitque lares.

Herculeos I necte duos Heroas ut æquos!
Alter ovat fictis, factibus alter ovat.

AD DIVUM CYPRIANUM

Martyrem. Magicis deditus studiis, non potuit allicere cor Justinæ Virginis ad suum amorem. Noscens hoc oriri à Fide Christianæ puellæ detestatur ethnicas superstitiones. Cum quadam die videret Justinam torqueri, propter suæ fidei confessionem, fassus est se ejusdem Religionis esse compotem: quà propter cum indicibili gaudio cum Illa est coronatus martyrio. Ejus dies natalitius 26. Septembris.

CARMEN.

NIteris at frustrà, cypriis exurere flammis
Justinæ castas ò Cypriane fibras.
Fingere nil prodest ceræ simulacra, nec ore
Incantatrices mille ciere notas.
Virgo dolos ridet, Christi quià sponsa fidelis.
Tartarei Ditis nulla venæna timet.
Tu stupidus, stygias vires expertus inanes
Despicis Infernæ gymnadis omne scelus.
Verteris ad Numen, melioris compos amoris
Pro quo posse mori cœlica dona putas.
Non caret eventu Votum! nam vivere lege
Justinæ clamans, sis quoque morte comes.
Flectere quam nunquam potuisti Cypridos astu
En sociam fati, Dia pharetra facit.
Obduras pœnis unà cum Virgine, torret,
Ambos sartago, dulcior amnis aquà.
Hoc sit opus magicum, Ditis rextinguere torres
Igne tuo, Cœlos & rapuisse nece.

AD DIVAM JUSTINAM

Virginem, & Martyrem. Suâ sanctitate impetravit, ut Cyprianus

prianus Magus, & perditè amasius, ad meliorem frugem suam vitam converteret. Assecuta est effectum, pium desiderium; nam de via perversitatis, factus est constantissimus Martyr, fassus Christianam Religionem. Ejus dies natalitius 26. Septembris.

CARMEN.

TE nunquam Veneris Cyprianus amore ligavit,
 Is licet arriperet licia cuncta stygis.
Tu precibus Justina tuis; phlegetontide nodo
 Exolvis vinctum, fers & ad Axis iter.
Saga sagax equidem, sanctèque venefica Virgo,
 Quæ facis Heroes Numinis, ire magos.
Ars pia, tergeminæ non indiga fronte Dianæ,
 Ast uno Charitis facta magistra sono.
His Ego præstigiis, si Vates præditus essem,
 Parerent numeris, Disque, polusque meis.

AD DIVUM COSMAM

Martyrem. Arabs fuit natalibus, & medicus præstantissimus. Pro Christi fide, passus est primò ignis supplicium, deindè jacturam in mare, à quibus elementis non est læsus. Finivit demum vitam, securi percussus unà cum Damiano. Ejus dies natalitius 27. Septembris.

CARMEN.

VInctas Parca manus sensit, quo tempore Cosmas
 Arte potens medicâ, lustra trahebat humo.
At quantum potis est aliis inferre medelam,
 Tam sibi quà pereat, vulnus amatque necem.
Naufragium patitur lætissimus; Æquore mersis
 Morborum solitus, portus, & esse salus.
Intrepidus flammis succedit, sæpiùs ignes
 Expertus febrium, voce domasse suâ.

Permiſſum eſt ferro, protractam perdere Vitam;
Antidotum mortis quæ ferè ſemper erat.
Illa ſed in melius translata, perenniter ævum
Auſpicium Vitæ geſtit & eſſe polo.
Deduxit febres radio ſolare Prometheus;
Axe ſuo Coſmas ſed mala cuncta fugat.

AD DIVUM DAMIANUM

Martyrem. Frater conſanguineus fuit Divi Coſmæ, ejuſdemque profeſſionis medicæ. Inſtar Germani, inſanabiles morbos, plus divinitùs quàm humanitùs ſanabat. Idem genus martyrii ſortitus eſt, ac Frater, ſcilicet in ignis, & maris projectum denique ſecuri percuſſus ad Cœlos evolavit. Ejus dies natalitius 27. Septembris.

CARMEN.

NUlla tuum ſubigit robur Damiane Tyrannis
Amphytrioniaden quà fateare Deum.
Hinc ſurgant tumidæ latrantis Tethyos undæ
Indè crepet ſtructo ſtridula flamma rogo.
Tu medius tedas inter, pontique jugales
Infractum ſemper cor animumque foves.
Si per Te fines arctos, Mors ſubdita novit
Cur non imperium fax, timeatque latex?
Denique cum ferro præbes tua colla bipennis:
Hoc fuit æthereis ut potiaris agris.
Concinuit Sapiens, fluit omnis ab Axe medela;
Tu mihi de Cœlo ſis Damiane ſalus.

AD DIVUM VENCESLAUM

Ducem Bohemiæ Martyrem. A' matris impietate necatus eſt, & inhumatus relictus. Sed genitrix quantòcius eſt à tellure dehiſcente, miſerandum in modum abſorpta. Ejus dies natalitius 28. Septembris.

CAR:

C A R M E N.

MAgne cadis Dux Venceslàe inhumate, parentis
Victima, non meritæ Matris habere sonum.
Ecquandò partum sinuosus perdidit anguis?
Mortiger in catulos est Tygris? est ne Lupa?
Unde furor tantus maternis arsit in extis?
Est quià Tu Christi fassus es ore Fidem.
Sed scelus hoc odit tellus maculata cruore
Ulteriùs labem sustinuisse nequit.
Excutitur, fauces aperit, gremioque dehiscit
Exerto Matrem protinùs ore vorat.
Ultrix fit meritò, quia vivos ubere Natos
Nutrit humus, Functos funerat inque sinu.

AD DIVUM MICHAELEM ARCANGELUM

Commendatur virtus in Victoria rebellium potestatum, & imploratur auxilium ad Cœli comparatum. Dies dedicationis solemnis 29. Septembris.

C A R M E N.

ESt Hic Cœlivagi Michael lux aurea mundi,
Luciferi fregit qui furiale nefas.
Ausus erat Serpens, Æthram replere tumultu,
Credideratque parem se fore quippè Deo.
Signifer at damnat stulti consulta Dynastæ,
Et jacit in fatuos millia tela Duces.
Anguipedes armisficti, volvuntur in imum,
Lucifugasque capit lumine nuda domus.
Victori plausit, nutu qui concutit Axem;
Tutorem Sponsæ mandat & esse Sion.
Hanc igitur, quam bella decent, captare triumphum
Fac Michael, tanti si Ducis ala tegit.

Sic

Sit laus æqua, malos Pugiles depellere ſtellis,
Et ſtellis, Pugiles inſeruiſſe bonos.

AD DIVUM HIERONYMUM

Eccleſiæ Doctorem maximum. Elegit poſt incolatum multarum Urbium, & eremorum ſtationem, Bethlem, quam præpoſuit Romæ cæteriſque contuberniis, propter amorem ergà Domini Nativitatem. Dies natalitius 30. Septembris.

CARMEN.

LInque ſpecum, ſatis Antra tuas Hieronyme voces
Hauſerunt: Mundi te plaga cuncta vocat.
Antè tuos tacuit ſonitus Ægyptius Hermes
Penè nihil veritus maximus ille ter eſt.
Sed Tibi lar nullus, viſus jucundior illo,
Qui nati meruit Numinis eſſe domus.
Præponis meritò Domini incunabula, Romæ,
Eſt quæ funeribus ſemiſepulta ſuis.
Stà. Tua lacteſcat Sapientia limine Bethlem
Ubere pota ſacro non niſi mella pluet.

AD EUMDEM.

Æquâ lance pœnalitatibus incubuit ac ſtudiis. Saxo pectus tundebat, & calamo Hæreticos inſectabatur. Ejus dies natalitius 30. Septembris.

CARMEN.

UT fuget Auſoniæ phantaſmata lubrica formæ
Dalmata, tundenti pectora cautè ferit.
Sic ait in Venerem. Tu nectere vulnera cordi
Curas: curabo vulnere vulnus, Ego.
Te potiùs faciet, quam Me mea plaga cruentam
Illa medela mihi, vena cruoris erit.
Aſpice: Dè ſcopulo pectus, ferroque rigeſcit
Plus illo, quo tu viſcera noſtra feris.

Mol-

Mollefcet mihi crede, priùs marpefia rupes,
Illecebris quam fit cor modò lene tuis.
Hæc dicens: fua dextra feros fuper aggerat ictus.
Vindice fic faxo Cypria fpectra necat.
Quâ Te percutiens Pugil, æquâ laude coronem
Qui rapis, & faxum, qui regis, & calamum?
Hæreticos calamo; faxo Te vincis at Ipfum,
Quæ major, quæ fit nefcio, Palma minor.

AD SS. MARIÆ NOMEN

Interpretatur Stella Maris; fed non alia ftella, nifi Virgo medians inter Leonem, & Libram. Demonftratur æqua comparatio inter Nomen Virginis, & ftellam nomine Virginis. Ejus folemnitas in menfe Septembris.

CARMEN.

Quid Mariæ refonat Nomen? Marathonia ftella,
Quæ maris auguftâ luce ferenat aquas.
Huic benè Virgineum voci connectitur Aftrum,
Forfitan hoc Jacob nobile Sidus erat.
Ut radios illæfa fuos Fax mittit ab Axe,
Integra fic prolem parturit Illa Deum.
Non radius Stellæ minuit jubar, ulla nec haurit
Virginitas Partu triftia damna facro.
Erigone Tu Virgo parens, interque leonem,
Et Libram medias; proximitate pari.
Ergò Ego cum Mundi jactabor fortè procellis
Sideris Empyrei Nomine, tutus ero.
Vel fi Me contrà ftygii fremet ira Leonis
Compefcet jactas Vox Mariana faces.
Hoc faciat Nomen, nocuos Leo contrahat ignes
Effrænes itidem, mulceat Æquor equos.

AD

AD DIVUM REMIGIUM

Episcopum Rhemensem. Suam Ecclesiam moderatus est sanctissimè, & aqua baptismatis lustravit Clodoveum Regem Francorum, è cujus exemplo tota Gallia, Christi Religionem est professa. Ejus dies natalitius 1. Octobris.

CARMEN.

Remige virtutis pernici, navigat Æthram
 Remigius, velis nec sua dextra caret.
Rhemensem gemino navem moderamine ducit,
 Quò nec tempestas, nec mala vergit hyems.
Navarchus fœlix! Illi fera flamina parent,
 Pacatum vitreis sternitur æquor aquis.
Hoc Duce lustrali Clodoveus tingitur unda,
 Omnis Gallorum gensque lavacra capit.
Rex ope Remigii freta naufraga nesciit Orci
 Ex Erebo immunis Francia tota fuit.

AD DIVUM GREGORIUM

Pontificem, & Martyrem Propter hunc Armenia gentis populus fidei lucem accepit; Sed prius innumeros exantlavit labores. A Tiridate Rege quatuordecim annis exquisitissimis cruciatibus est tortus, in quorum mulctam, ipse velut alter Nabuchodonosor à Deo in bestiam est transformatus: Verumtamen facti pœnitens ad Gregorii pedes se statuit, à quo est baptizatus, & exutus porcinâ figurâ. Caput Pontificis, & catenæ sui martyrii, asservantur in Ecclesia Sancti Gregorii Monialium nobilium Civitatis Neapolitanæ. Ejus dies natalitius 1. Octobris.

CARMEN.

Aspice Gregorium lustrali fonte piantem
 Armeniæ populos, sub Tiridate Duce.

Hoc

Hoc Patre: quot vero ſurgunt delubra Tonanti
Tot pereunt falſis fana dicata Diis.
Sed prius innumeras eſt paſſus corpore pœnas
Heù tormentorum ſuſtulit omne genus!
Penè nihil Theclæ, viſa eſt Laurentis, & Agnæ
Paſſio, ſuppliciis æquiparata ſuis.
Criminis at mulctam Tiridates ſolvit in antris
Setigeri capiens mox ſimulacra Suis.
Quippè volutrabris inhiat, ſilveſtria membra
Induit, & Brutis annumeratur haræ.
Ah miſer: agreſtis deperdat ut ora figuræ
Offert præcipiti, terga, pedeſque neci.
Ne quidquàm tentat: Fato non finis acerbo;
Nabuchi voluit fata novare Polus.
Unus in Armeniis Senior qui præſidet arvis
Eſt potis ad Regem ferre ſalutis opem.
En ſtat, & opprobrium porci, vultuſque biformes
Hic fugat, humanas reſtituitque genas.
Sicque ait ò pietas! quis te pulcherrime nuper;
In barathrum tanti fecit abire mali?
Non ignoro quidem, potius miſereſco, Satorque
Rerum Me miſit, ſis Vir, ut indè prior.
Tu revoca in melius vitam, geniumque rebellem
Deſere: Te Chriſti veſtiat alma Fides.
Illi Virgineâ nato divinitùs alvo
Dirige vota, preces, templa, lareſque dica.
Dixerat, & Regem luſtravit Najade ſacrâ,
Is rehabet vultus, eloquiumque Viri.
O Pater, ætatis Daniel melioris & alter
Quàm benè Cœlicolum Te decet omnis honor!
Armeniæ fuſo ditaſti ſanguine gentem.
Feciſti votam, cœlite fonte Deo.
Nos etiam ditas, capitis cùm munera donas,
Et quæ ſtrinxerunt ænea vincla manus.

Fac precor ut Siren, caput ad cœleſtia ſemper
Erigat, & manicis Infera monſtra premat.

AD DIVUM ANGELUM CUSTODEM

Enumerantur illius beneficia, & adſtruitur Spes, quod ſua Cuſtodia ad beatam Patriam perveniatur. Ejus dies feſtivus 2. Octobris.

C A R M E N.

NI mihi ſufficiat pennas meus Aliger, unde
Cuſtodis poterit ſcribere digna manus?
Da plumas mi care Comes, bone mentis Achàte
Hoc tantùm calamo Muſa volare cupit!
O' qui cum ſubitò Matris ſum fuſus ab alvo
Nauclerus vitæ lectus es ire meæ!
Cœpit amor teneris, crevit iuvenilibus annis
Idem non cano crine ſeneſcet amor.
Per Te Dux animæ, ſæcli ſimplegadas atri
Auſus ſum validâ tranſiliiſſe rate
Per Te Carmeli ſum Divæ tectus amictu
Angelicos inter (non bonus ipſe) choros.
Sed precor affer opem, potiori robore, quandò
Communis moriens debitor æris ero.
Auſpice Te, fugiat Satan, victuſque pudore
Anguipedum Cuneus, ſub ſtyga carpat iter;
Noſter at æthereos peraget mox Spiritus orbes,
Sitque ſub alato tegmine, tuta via.
Da melior dorſo, meliores Dædalus alas
Sic Ego, ſed fœlix Icarus aſtra petam.

AD DIVUM FRANCISCUM BORGIA

Societatis Jeſu. Abdicato Gandiæ principatu, nomen dedit Societati Jeſu, in qua omnium exemplar virtutum, enituit. Ejus dies natalitius 3. Octobris.

CAR-

CARMEN

FOElix perjuri Franciſcus transfuga ſæcli
Borgiadis temnit ſtemmata cuncta domus.
Inſtinctu meliore, premit veſtigia Jeſu,
Præpetibus pennis ad ſua caſtra volat.
Deponit textas aurato ſyrmate veſtes,
Vixque tegit tantum trita lacerna Ducem.
Æthereis tandem moriens inſigitur Aſtris,
Romula nominibus ſervit & Ara ſuis.
Non illi plus culta jubar, famamque dediſſet
Quantùm ſplendoris Gandia ſpreta dedit.

AD EUMDEM

Humilitatis amore, lapidum cophinos ſuper humeros portabat, cum eſſet de regia ſtirpe germen. Ejus dies natalitius 3. *Octobris.*

CARMEN.

ALliſa ad petras eſt veſtra ſuperbia, Reges
Cùm lapidum, Princeps Borgia, portat onus.

AD DIVUM FRANCISCUM ASSISINATEM.

Protoparentem Ordinis Minorum. Nihil illo pauperiùs temporalium rerum, ſed nihil illo ditius ſpiritualium. Virtute ſua ſuæque prolis, bellum indixit Plutoni. Viſus eſt à ſummo Antiſtite quieſcente, fulcire ſuis ſcapulis Romanam Eccleſiam. Ejus dies natalitius 4. *Octobris.*

CARMEN

QUem lacerâ tectum Franciſcum veſte tueris
Siderei cunctas poſſidet Axis opes.

Aſpicis ut ſuperis locupletet mercibus Orbem,
Tot fundit gazas, Pignora quanta parit.
Eſt magni Regis Præco, clangore tubæque,
Orco perniciem, diraque bella canit.
Stant humeris innixa ſuis Sacraria Romæ.
Sic videt in ſomno claviger Axis Herus.
Firmior Herculeo non vertice ſubſtitit Æther
Quantum Dia fides, hoc Vade firma ſtetit.

AD DIVUM PLACIDUM

Primum Martyrem, Ordinis Sancti Patriarchæ Benedicti. Meſſanæ occiſus eſt à Manuchâ impiiſſimo piratâ, quia noluit adorare Luciferum ſtellam, cui ſuperſtitioni Ipſe erat addictus. Ejus dies natalitius 5. Octobris.

CARMEN.

ASpicis ut Placidus, Benedicti primus Athleta
Purpureo Siculos fonte decorat Agros!
Obſtitit intrepidâ piratæ fronte Manuchæ,
Luciferoque negat flectere velle genu.
Barbarus inſanit rabie, mortemque minatur,
Sed Placidus libico præligit enſe mori.
Quomodò ſub plantis non iret Lucifer ille,
Qui Venus eſt etiam, jam pede trita ſuo?
Quo Fœlix fato! qui non dum Civis Olympi
Stans, intempeſtè ſidera calcat humo.
Cum matutinos fundes Tu Phoſphore rores
Sit de deſpecto fletus honore tuus.

AD SANCTOS MARTYRES

Socios Sancti Placidi in laurea martyrii. Hi numero triginta ſeptem, eadem cruciatuum ſerie, qua Sanctus Placidus à ſæviſſimo pirata Manucha occiſi ſunt in Meſſanenſi Cœnobio prope Portum. Ejus dies natalitius 5. Octobris.

CAR-

C A R M E N.

Vos etiam Placidi Comites, exempla ſecuti
Spreviſtis, glaucâ juſſa latronis, aquâ
Fur erat ille latrans, Scylla latrantior ore,
Tangebat ſuperos & ſua lingua Deos.
Quid tamen, aut dentes in Vos valuere, vel ungues?
Non fruſtrà in Lunam ſpuma canina furit?
Hinc non Lucifero cultum tribuiſtis; at Illi,
Cui parent gemini Sidera cuncta poli.
Sanguine pinxiſtis Meſſanæ littora veſtro,
Creverunt illo gemmea dona mari.
Ex tunc Trinacrio ſunt aucta choralhia ponto
Ditior hoc oſtro, Sicelis unda fuit.

AD DIVUM BRUNONEM

Carthuſiani Ordinis Inſtitutorem. Prætulit in ipſo juventutis flore tacitas ſylvas, clamoroſis lyceis, in quarum penetralibus cœleſtem vitam duxit. Viſus eſt in ſomnis ab Ugone Præſule Ipſe cum ſuo ſodalitio ſub ſpecie ſeptenarii ſideris, quod fuit omen initii ſuæ Religionis. Ejus dies natalitius 6. Octobris.

C A R M E N

Bruno tibi primas aperit Carthuſia ſedes;
Poſtquam gymnadio falſus es ore vale.
Non ut Mortalis, teris illic luſtra Viator;
Aſt ut ſtelliferâ Miſſus ab Arce Comes.
Jugiter obtutus divino Numinis ori
Figis, Terrigenum cura nec ulla ciet.
Viſus es in ſomnis ſepteno Sidere ſeptus
Præſulis Ugonis Te ſtatuiſſe pedi.
Adfuit auſpicium, ſignatum cœlite linguâ
Cœligenæ ſobolis mox fore nempè Patrem.

Ad-

Adfuit: ò quantus Bruno, qui transtulit Æthram
In terras! imo traxit, & Astra solo!

AD EUMDEM.

Pro imagine Sancti Institutoris, depicta ab excellenti equite Maximo, quæ servatur, in ejus Monasterio Neapolitano. Dies natalitius 6. Octobris.

CARMEN

PInxisti telà Brunonis Maxime vultus,
Et pictum vivens esse videtur opus.
Agnosco motus animi, suspiria cordis
Quanta facer telo vulnera fecit Amor.
Audirem sonitus etiam nisi Bruno negaret
Vocibus, Harpocratis frangere jura sui.

AD DIVUM MARCUM

Antistitem Maximum. Pontificatum gessit tempore Flavii Constantini. Extruxit duas magnificas Basilicas. Sepultus est in cemæterio Balbinæ. Ejus dies natalitius 7. Octobris.

CARMEN.

ANtistes Romæ (quo tempore Flavius orbi
Jura dat) ipse lupos Marcus in Urbe regit.
Molitur binas ad honorem Numinis Aras,
Quas ut redditibus, sic locupletat agris:
Dupla domus surgit regali splendida pompâ
Hæc Superos lambit, lambit & illa Polos:
Templa tamen, formâ cum sint & maxima sumptu
Utraque sunr animo Marce minora tuo.

AD DIVUM SERGIUM

Martyrem. Interrogatus à Maximiano Augusto de ejus religione liberè professus est Christi fidem. Traditus est Antiocho Præ-

Præſidi Perſidis, ut cruciaretur, Ille pedes clavis foravit, & ſub curr um raptum exanimavit. Dies natalitius 7. Octobris.

CARMEN

O' Quem Te vidit luctantem, Maximianus
Pro Fidei cultu, relligione Dei!
Non minus Eois oris, Te novit ovantem
Perſidis Anthiochus, par feritate Tygri.
Detegat ille fores ubi ſint armaria mortis.
Proſiliat gladius, proſiliatque rogus.
Haud animos fortes, tua nec præcordia vincunt
Sergi. Quid ferrum, quid flagra cuncta valent?
Is terebret clavis plantas, ſub plauſtraque raptet
Non tardat palmas, nec vetat Axis iter.

AD DIVUM BACCHUM

Martyrem. Socium Sancti Sergii. Comparatur, & præponitur alteri Baccho, ex eò quià ſobrius, & ad triumphum ſui martyrii tigres habuit comites, non invitas, ſed ſuo modo obſequentes. Ejus dies natalitius 7. Octobris.

CARMEN

ALterius cecinit Bacchi præconia Fama
Vitis ut Authorem, dixit, & eſſe meri.
Ecce recens Bacchus, veteri præclarior illo
Non Semeles proles, Filius at Charitum.
Hic quoque pœnarum ſub prælo, ſanguinis imbrem
Expreſſit, Fidei tortus amore Dei.
Priſcus pampineâ redimitus tempora fronde
Auroræ populos ſub ſua jura tulit.
Iſte ferens palmam, totâ de clade Deorum
Aptavit capiti laurea ſerta ſuo.
Diſpariles ſed in hoc, Hic ſobrius, ebrius Ille
Illi invitè; at huic ſervilt ultro Tigris.

AD

AD SANCTOS MARTYRES MARCELLUM, ET APULEJUM

Hi primo fuerunt Discipuli Simonis Magi, præstigiis dediti, postea sectatores Petri Principis Apostolorum, Christianam fidem amplexi sunt pro qua lauream martirii adepti sunt. Eorum dies natalitius 7. Octobris.

CARMEN.

MAgnanimi Proceres, in vobis ultima primis
Haud responderunt, illa mala, ista bona.
Audet Vertumnos Erato vos dicere Divos.
In vestrâ fauste mobilitate sacros.
Artibus infernis sub Præceptore vacastis,
Cui nomen Simon, Floridiore die.
Posteà sub Petro divini Flaminis ære
Clarisono, Christi castra petistis Heri:
Usquè adeò conflixistis quòd vincere mortem
Flumine sanguineo, vestra corona fuit.
Gloria Petre tibi, siquidem Simonis alumnos
E' terrâ ad Cœlos scandere voce facis.
Audentem quàndò deducis ab axe Magistrum,
Et facis in duro rumpere crura solo.

AD DIVAM BIRGITTAM

Viduam. In utero Matris clausa, propter eam Genitrix liberata est à naufragio. Fuit hujus Sanctæ, vita piissima tota dedita contemplationi passionis Dominicæ. Idcircò peregrinanem Jerosolymæ, & Romæ suscepit; Ulfonem virum Principem Nericiæ, fecit suæ Consortem pietatis. Dies natalit. 8. Octobr.

CARMEN

MAtris adhùc utero latitans, Birgitta Parentem
Naufragio votum, liberat Oceani.

In-

Infans, Arctoas dio calefecit amore
Ursas, adque suam ferbuit Ulso facem:
Nulla (Genitricem demas) patientis Jesu;
Vividiùs cordi vulnera sculpta tulit.
Huic patuit numerus ferientis verberis, & quot
Vibices, veprium spinea fecit acus.
Quot colaphos, quot sputa bibit, totamque dolorum
Congeriem, Dius quam Cruce gessit Atlas.
Hic, Cor fœmineum, Fons unus amoris alebat,
Nec poterat passi non meminisse Dei.
Hinc Solimas terras, Romanas vidit & arces
Tangeret ut Domino limina tacta suo.
Haud opus, hos fuerat Mulier, percurrere tractus
Non fictum meliùs pectore Numen erat?

AD DIVUM DIONYSIUM

Areopagitam, Martyrem. Viso præter naturam, Solis eclypsi, veram fidem amplexus est. Dies natalitius 9. Octobris.

CARMEN

Prima Dionysius fidei dilucula novit,
Deliquii Solem vidit ut esse reum.
E' tenebris hausit lucem, vitamque recepit
A' nece, majoris quæ micat Axe Facis.
Machina vel Mundi dixit dissolvitur, aut nunc
Author naturæ, fama suprema subit.
Sic moriens Numen, cœcos illustrat ocellos,
Exuit ut solito lumine Lumen humi.
Tunc reor, haud solum templi velamina scissa;
Pectora lugentum scissa sed esse virûm.
Corpora nec tantùm tumulis exisse sepulta,
Ast Animas, veræ lucis adisse vias.
Nam Decuit Manes, Hominesque resurgere tumbis,
Et testes ambos mortis adesse Dei.

AD EUMDEM

Edoctus à Paulo Apostolo de verâ Religione, Gallias petiit, & ibi jacto fœliciter semine Evangelicæ prædicationis magnam messem collegit. Pro fidei veritate, capite truncatus, Ipse mortuus incessit, & suum caput in manibus gestavit. Dies natalitius 9. Octobris.

CARMEN

TRansfuga tu Patriæ, doctisque profectus Athenis
Fancigenas penetras Axe favente plagas.
Hic aperis superæ misteria Legis, & omne
Quod fecit tectus corpore Dius Amor.
Ad voces stupuere tuas insana licæa
Clamantum Druidum, nec potuere loqui.
Ipsa etiam sylvis stans Dodonæa columba
Liligeris Gallis Noctua visa fuit.
Sævitiæ tandem lictòris præda dehiscis;
Namque tuum Miles demetit ense caput.
At qui sedisti subter subsellia Vivens:
Mortuus incedis, Teque Caputque trahis.
Occiput alterius, non fers feritatis in omen;
Ornatum lauro sed geris Ipse tuum.

AD DIVUM RUSTICUM

Martyrem. Sacerdos datus est socius à Clemente summo Antistite, Divo Dionysio, ut Gallias in vera religione erudiret, quod egregiè præstitit, & cum illo coronam martyrii lucratus est. Ejus dies natalitius 9. Octobris.

CARMEN

RUsticus Urbanis Romæ se denegat Aris,
Excolat ut Cœli Parisiensis humum.

Erun-

Eruncat tribulos ferro, cremat igne vepreta;
Dilaniat falſæ Relligionis hydros.
Seminat hinc plenâ beneolentia germina dextrâ,
Et ſudore ſuo florea culta rigat.
Nec ſatis eſt, flores niſi ſanguinis alluat imbre;
Hoc facit, & Gallus Lilia gignit ager.

AD DIVUM ELEUTERIUM.

Martyrem. Fuit Diaconus datus comes Divo Dionyſio in miniſterio fidei propagandæ apud Gallos, cum quo, & Ruſtico martyrio eſt laureatus, Ejus dies natalitius 9. Octobris.

CARMEN

VIdit Eleuthèrus nunc diruta templa Deorum,
Nunc iterum falſis fana dicata Diis.
Uſquequò ait Stygis imperium, ſurgetque, cadetque?
In varias ſemper ſors ſua tendet aquas?
Non ita: Nunc certâ pereant Idola ruinâ
Naufraga ſint noſtri ſanguinis illa mari.

AD DIVUM LUDOVICHM BERTRANDO.

Ordinis Prædicatorum. Unica lingua Hiſpana, auditus eſt Concionator miſſus ad Indos Occidentales, non aliter ac ſi illorum lingua, ad Barbaros illos loqueretur. Sclopus pulverarius directus ad ſui internicionem, immutatus eſt in manibus Sicarii, in Crucifixi imaginem. Ejus dies natalitius 10. Octobris.

CARMEN

UBer es Indigetûm, quæ fluxit ab Æthere flammâ
In ſacram, linguæ ſub ſimulàcra domum.
Fervidus Occiduos hinc Flamine plenus ad Indos
Evolitas, Jeſu nomen ut ore feras.

Pangis Iberiaco Dias idiomate leges;
    Omnis at Hiſpanos Gens bibit aure ſonos.
Non aliter, quàm ſi propriâ myſteria linguâ
    Barbarus audiret, ſic pia verba capit.
Quomodò pulvereæ perimet Te lingua favillæ.
    In Te cum ſclopum Vir parat ille trucem?
Ignis non igni, nec linguæ lingua nocebit,
    In formas verti mallet uterque novas.
Hoc agit ardeſcens ſclopus, mutatus amanter,
    In Chriſti ſpeciem qui Cruce fixus erat.
Inſtrumenta necis, facis ò Lodoice Salutis.
    Quoque Tui monſtras Chriſtus amore flagret.

AD DIVUM NICASIUM

Epiſcopum, & Martyrem. Fuit inſignis in largiendo cenſus, ob divitem ſupellectilem ſuæ Eccleſiæ Rhotomagenſis, illam tamen plus ſuo ſanguine decoravit, quàm qualibet pretioſitate erogata. Ejus dies natalitius 11. *Octobris*.

CARMEN

NIcaſius, placido Præſul venerabilis ore
    Rhotomagi decorat divite Templa penu.
Fundit opes largus, congeſtum prodigit aurum,
    Surgant ut pariis ſtructa ſacella petris.
Stremata delubri geminos velantia muros
    Sunt è Seriadum texta, retexta manu.
Veſtem, quæ feſto tegitur majore Sacerdos
    Textricis Tyriæ, compoſuere manus
Cum tamen hac Atas gaza locupletet, amoris
    Non dat Munificus pignora cuncta ſui.
Tunc præſtat, cùm purpurei dat dona cruoris,
    Pro Chriſto fuſi, dum ſua jura fovet.
Non eſt theſaurus Theſauro ditior iſto,
    Siderei quiddam Sanguis honoris habet.

In-

Insere purpureis gentilia Lilia gemmis
    Rhotomagum, tantum vult tibi stemma Polus.

AD DIVUM MAXIMILIANUM

Episcopum, & Confessorem. Laureacensem Ecclesiam Regni Pannonii, summa pace rexit, quà propter suo tempore in ea floruit omnis virtutum venustas, omneque perfectionis incrementum. Ejus dies natalitius 12. *Octobris.*

C A R M E N.

Aurea Pannoniis Te Præsule sæcula terris
    En redeunt, Patriæ Maximiliane Pater!
Dirigis unanimi concordem fœdere Clerum,
    Astat oliviferas Pax redimita comas.
Auspice Te, Templis cultus reparatur, honosque;
    Quanta sacris hæret gratia! Quale decus!
Tu per circuitum lustras tua Fana quotannis,
    Quæ bona sunt auges, noxia cuncta secas.
Sic Sol signiferum collustrans aureus orbem
    Fœcundat segetes, dissipat igne lutum.
Undè triumphales, hæc ad magnalia Lauri
    Advenient, capiti quæ diadema parent?
Urbs tua, Daphniticas pariet tibi jure Corollas
    Agnomen Lauri ne sit inane suæ.

AD DIVUM EDUARDUM

Confessorem, Angliæ Regem. In statu conjugali integram servavit virginitatem. Fuit obsequentissimus Divo Joanni Evangelistæ, pro cujus amore, annulum largitus est pauperi. At mox Joannes annulum reddidit, mittendo nuncium suæ proximæ fœlicitatis æternæ, quam obtinuit nulla interposita mora. Ejus dies natalitius 13. *Octobris.*

CAR-

CARMEN

O'Nova lux, plauſtro gelidorum juncta Trionum
O' Eduarde recens Arctophilacis honor.
Tu nive, quam ſervas imo ſub pectore, vincis
Candorem, patrio quæ manet Axe nivis.
Hac nive ſed mixtus divinus nubitur ardor
Quo Geticis flagres non ſecùs Ætna jugis.
Urere neſcit hymen, Angli præcordia Regis.
Ignis Amor Superi nam nive fœdus habet.
Convivas ergo, cum Virgine conjuge, Virgo,
Ut ſtant purpureis lilia nexa roſis.
Hæc tibi Virgineus de Cœlo dona Joannes
Suppetiit, victor Cypridis, atque facum:
Cui Tu, cum gemmam miſiſti pignus amoris
Reddidit Ille tibi, quæ fuit arrha Poli.

AD DIVUM CALLISTUM

Pontificem Romanum. Hoc imperante Capitolium arſit, quod incendium Alexander Severus illi attribuit. Cumque à Palmatio ad necem quæreretur, ipſe Palmatius Chriſtianus effectus eſt. Calliſtus, poſtmodum præcipitatus, martyrio ſublimi, eſt coronatus. Dies natalitius 14. Octobris.

CARMEN

Auſpice Calliſto, divinitùs excita flamma,
Eſt Capitolinos depopulata lares.
Juppiter in primis, liquefacto concidit auro,
Poſt egit reliquos æqua ruina Deos.
Scilicet antiqui pœnas luit Ille reatus,
In pluvias auri cum reſolutus iit.
Arſit Alexandri quoque Cæſaris ira. Severus
Præſulis ulciſci Numina, morte putat.

Fal-

Fallitur, & palmas Maryr Palmàtius auget
Præceps Callistus scandit ad Astra nece.

AD DIVAM FORTUNATAM

Virginem, & Martyrem. Fortunatissima fuit in adipiscenda laurea martyrii. Tormenta sustulit innumera, tandem de Tyranno crudelissimo sua fortunata morte triumphavit. Ejus reliquiæ in Ecclesia Neapolitana Sanctimonialium Divi Gaudiosi magna veneratione asservantur. Ejus dies natalitius 14. Octobris.

C A R M E N.

SIstere Fortunam tibi Fortunata Viràgo
Obtigit, & rapidæ nectere fræna Deæ.
Illa volubiliter, nunc hunc, nunc erigit illum,
In præceps alios voluit ad ima rota.
Sors eadem, semper tibi constantissima perstat
Fortia Virgineo pectore fata manent.
Te fortunatam terris facit ipsa Tyrannis
Te fortunatam, Sponsus & Axe facit.
Quot fera Barbaries habet instrumenta dolorum
Calcas, & quantùm prosperiore pede!
Quotque triumphales alit Ætheris aula coronas
Arripis, & quantùm dexteriore manu!
Sed non Fortunæ modus hìc. Sirenis & Urbs, fit
Fortunata nimis, dum tua busta fovet.

AD DIVAM MATREM TERESIAM

Virginem, Restauratricem Carmeli Excalceati. Aspexerunt Ejus filiæ stellam de Cœlo labentem, propè ejus cellam dum se accingeret ad cœleste iter. Viderunt etiam stipatam Christo Sponso, Matre sua. Divo Josepho, & aliis innumerabilibus Cœlicolis. Ejus dies natalitius 15. Octobris.

CAR-

CARMEN

DUm properat carnis Therefia ponere pondus
Cernitur è fuperis deflua ftella plagis.
Quæ cellam lambens, lucis quafi dicere linguâ
Vifa fit, hic quid agis? Cœlica tecta pete.
Orta fuit Chrifti quondàm ad cunabula Stella
Nunc Chrifti Sponsâ Stella cadente cadit.
Sed mihi Sol obiens Tu Virgo videris Ibera
Tedarum fubeunt ipfa vel Aftra vices.
Ne fonet Aftronomus dominari Sidera Vivis.
Si morti Matris funt famulata meæ.

AD DIVUM GALLUM

Confefforem. Fuit patria hibernenfis, & profeffione folitarius. Mundo valedixit, ut afcetitiam vitam amplecteretur, in qua divinis precibus jugiter vacabat, & cùm primùm in fpelunca greffus figeret, abierunt feroces beftiæ, ipfeque Dæmon à fuis orationibus ululans terga vertit. Ejus dies natalitius 16. *Octobris.*

CARMEN

GAlle vigil volucris, non es vigilantior, Illo
Nomine qui Gallus Vir facer antra colit.
Cantor es, & lucis Matutæ nuncius ales,
Ille canit medium Nox ubi findit iter.
Davidicos modulos ad confcia dirigit aftra
Priufquam Pallantis fufcitet Axe diem.
Tu (nifi fit mendax fcriptorum penna) leones
Terres, inque fugam vertere tergus agis.
Afcetes, ftygias pavefecit voce leenas,
Funderet ad Superas cùm fua vota plagas.
Sique tibi plaudis, quod Solis alumnus es acer
Gallus Hybernenfi Sol velut Axe micat.

AD

AD DIVAM HEDUIGIM

Reginam Poloniæ. Commendatur ejus Natalitium quodammodò auspicatum per Angelum Tutelarem regionis Sarmaticæ. Ejus dies natalitius 17. Octobris.

C A R M E N.

Sauromatum lectus qui præsidet Aliger Axi;
Ad Natalitium sic Heduigis ait.
Ingredere aerias vitalis luminis auras
Infans. Sarmatici Tu jubar Orbis eris.
Tu Votum pacis, Tu lux ambita Gelonis,
Tu fulges gelidi lucida flamma poli.
Vistula, Mœnaliæ contempto frigore Stellæ
Adjiciet ripis laurea texta suis.
Mille novas capiet Cracòvia læta coronas,
Et totidem palmas Regia Vilna feret.
Dixerat: ex utero Matris, se prodiit Illa,
Cunctaque Plumigero vaticinata manent:
Cardine nam Mundi, rigido de cortice, sponte
Fluxerunt plenâ balsama larga manu.
Nectareas Charites stillarunt ubere guttas,
Lætior & pura cum face venit Amor.
Quantum Solaris demit de luce Planeta
Finibus Arcturi, Parrhasiisque rotis.
Tantum Virtutis largitur lampadis Irin
Inter hyperboreas Nata puella plagas:

AD DIVUM LUCAM EVANGELISTAM.

Laudatur à munere Evangelicæ historiæ, ab arte pingendi, & à medicinæ peritia. Ejus dies natalitius 18. Octobris.

CARMEN

PEniculi, calamique, Tibi laus effluit omnis
    Pictrix, & scriptrix est tua Luca manus.
Taliter eloqueris chartis, videatur ut Ille,
    Quem struis à Coo pictus Apelle liber.
Sic pingis tabulis, ut mox pictura moveri,
    Atque loqui pictum conspiciatur opus.
Ex quo Diviparæ pinxisti Virginis ora
    Non fuit Argolicis visa venusta Venus.
Non minus in medicâ fulsisti Nobilis arte
    Scilicet ægrotis es ratus esse salus.
Quà Medicus vitæ elongasti stamina, penè
    Lanifera Lachesis dilacerata manu.
Quà Pictor, per Te, plus vixit imagine Pictus
    Quam qui Nestoreos vixerat antè dies.
Efficis at Scribens, æternum degat ut ævum
    Signatus pennâ, Vir, Mulierque tuâ.

AD EUMDEM.

Non incongruè figuratus est in Sacris Scripturis specie Bovis, propter laborem in agro Dominico, & propter excaratam Evangelicam historiam. Dies natalitius 18. Octobris.

CARMEN

EXprimeris Vituli specie, quia vomere linguæ
    Splendenti, campum Relligionis aras.
Te Duce; sementis germen se tollit in altum.
    Ut veniat cornu fertiliore seges.
Frugibus, addetur duplicis tibi copia messis
    Ut Vir arans tabulis, Bos ut arator agro.
Impugnaturus cornutam Mempheos Isim
    Te quoque cum cornu muniit alma Fides.

AD

AD DIVUM PETRUM DE ALCANTARA.

Confessorem. Fuit Reformator Ordinis Minorum: Ex dono altissimæ contemplationis frequentissimè rapiebatur in aera. Ejus dies natalitius 19. Octobris.

CARMEN.

FRancisci molem reparat nova Petra vetustam,
Et facit ut surgat pulchrior Ædis honor.
Fabula, quæ cecinit, lapides pòst tergora jactos,
Humanum terris restituisse genus:
Nunc sileat: Tu Petre, Petra es, quæ Fata tuorum
Instauras, pridem qui periere Patrum.
O' Petra fæta Deo, terreni ponderis expers
Non secus, ac esses pluma sic astra petis.
Quid mirum? superæ quæ nutris semina flammæ,
Urgent ad sphæram Te volitare suam.

AD DIVAM IRENEM

Virginem, & Martyrem. Pro tuenda virginitate à furenti Amante, gladio transverberata est, ejusque corpus in Tagum, Lusitaniæ, flumen projectum. Verum ministerio Angelorum, in medio fluvii, constructum est Templum, in quo sacrum Cadaver servaretur, quod factum divinitùs est revelatum. Hinc semel accurrentes Populi, sicco gradu flumen intrarunt, ut hæc magnalia cernerent. Postmodum se clausit Tagus, mansitque sacra domus subtus labentes undas. Ejus dies natalitius 20. Octobris.

CARMEN

SUb sua regna Tagus, tibi glauca sedilia sternit,
Irene, liquido Te recipitque sinu.

Non Illi pretiosa magis foret aurea vena;
Vel de gemmigero prodita fonte seges:
Virgineos cineres, imo dum servat in alveo
Naturæ cunctas despicit Amnis opes.
Ecquis Sidereis non cederet omnia donis?
An non Cœlicolûm munere, fluxit opus?
Aligerum certè Cuneus, domicilia struxit,
Quæ voluit, refugis & latitare vadis.
Ostendit penetrale semel, reserando fluentum,
Post iterum clausit sacra Sacella Tagus.
Invidet ah tanto, Ganges, Hermusque favori,
Famosas æquè non habet Indus aquas.
Oceanus nullas augustius ebibit undas,
Illis, Irenes quæ tetigere lares.

AD DIVUM HILARIONEM CARMELITAM.

Confessorem. Juvenis solitariæ vitæ se addixit. In illa pugnas Dæmonum sustinuit semper tamen victor. Postmodùm in ultimâ vitæ periodo timuit. Exemplum pavoris cunctis, cum sit res insolens Sanctis. Ejus dies natalitius 21. Octobris.

CARMEN.

AGgrederis stygias, Juvenis, Tiroque cohortes,
Est belli campus, Martis arena, specus
Agmina prosiliunt Te contrà percita Ditis
Junguntur comites, bos, lupus, ursus, aper.
Auditur raucus circum virgulta susurrus,
Sibilat hinc serpens, infremit indè Leo.
Tu tamen imberbis quamvis, fera monstra repellis,
Cogis, ad inferos ire repentè lacus.
Sic audacter ovas Juvenis; Veteranus at ore
Terreris Parcæ, fata suprema times.

Num

Num paribus certas armis? hinc indè tremores
Jam redeunt Mortis, quàm Morientis eunt!
Tu pavitas mortem, quia finis nescius ævi:
Mors timet, ad Sanctis est quia vita metus.

AD DIVAM URSULAM

Virginem, & Martyrem; Pro fide, & pudore servando, tàm Ipsa, quàm ejus Sociæ non dubitarunt perire confictæ telis à barbara gente Hunniadum utrique formæ insidiantium. Ejus dies natalitius 21. Octobris.

CARMEN.

Virginei Dux alma Chori pulcherrima Virgo
Ursula, centenis puppibus æquor aras.
Fluctibus illisæ naves Germanica tangunt
Littora, Parthenios cœpit arena pedes.
Illic sivè fidem tutentur, sivè pudorem
De Gente Hunniadum clara trophèa ferunt.
Confictæ telis, omnes cecidere puellæ,
Astraque luminibus sunt cumulata novis.
Cœpit Amazonidum ex illo, vile agmen haberi,
Thermodontiacas gloria liquit aquas.
Ursula splendores umbravit Penthesileæ,
Veraque visa Poli Cassiopæa fuit.

AD SOCIAS DIVÆ URSULÆ

Numero undecim mille. Hæ, Ursula Duce, & comite, pro Virginitatis amore, lætanter martyrio occurrerunt, & duplicata palma sunt decoratæ. Dies natalitius 21. Octobris.

CARMEN

Oceani sulcastis aquas Heroides Anglæ,
Neptuno vestras aspiciente rates.

Clas-

Claſſis erat de bellatrici fœta Puellâ,
Et via quò navis nulla, peregit iter.
Nam non Mœnaliam Vos reſpexiſtis ad Urſam,
Sed melior vobis, Dux fuit Urſa comes.
Arcturus pigris gradibus timet æquore tingi,
Doridis & vetitos expavet ire ſales.
At vos alterius ductu Cynoſuridis Urſæ
Ocius in dubias aſſiliiſtis aquas.
Per mare ſanguineum ſuperas iviſtis ad Arces,
Unaque tot Stellas addidit Urſa polo.

AD DIVAM CORDULAM

Virginem, & Martyrem. Una fuit ex Sodalibus Sanctæ Urſulæ, quæ cum ſuppliciorum, & cædis timore ſe occultaſſet, poſtmodum bujus rei pœnitens ultrò ſe patefecit, & noviſſima cæterarum ſuo ſanguine purpurata, martirii coronam eſt adepta. Ejus dies natalitius 22. Octobris.

CARMEN.

Cordula telorum nimbo, fluvioque cruoris
Territa, ſub luco proximiore latet.
Fœmineum cor erat; ſed mox muliebria corda
Ejicit, ut Comitum fecerat ante cohors.
Evolat ad ferrum, ſocialis anhelaque mortis,
Hunniadum ſævæ, ſe vovet ultrò neci.
Sum rea confiteor dixit, quia ſpicula pavi;
Pœnitet at facti, pœnitet atque fugæ.
Vos in me cunctas Unam jaculate ſagittas,
Tot calamos, noſtrum fas abolere nefas.
Plumeus at turbo, citius conſcendere Cœlum
Me faciet, quamvis ultima digna polo.
Sic ait, & letho devota, noviſſma primis
Jungens ſe Sociis, laurea ſerta capit.
Cordula, fatalem numerum tua Fata coronant,
Totque Triumphantum perficis Una decus.

AD DIVUM SEVERINUM

Episcopum, & Confessorem. Vivens acerrimè insectatus est Arium hæresiarcham. Mortuus disperdit hostes Sicambros meditantes rapinas, & probris, suam Ecclesiam violare. dies natalitus 23. Octobris.

C A R M E N.

ECce Severinus sceleris resecator Arii,
Audentis Verbi diminuisse jubar.
Victor hic Antistes, trabeas, fascesque paternos
Illicò scit Soboli restituisse Dei.
Ore suo reticere facit, malesvada Docentem
Dedecori æterno verba nefasta vovet.
Arridet Cœlum: Vomitans & in Æthera virus
Hæresis, infernis est tumulata plagis.
Sed non in vitâ, micuit sua gloria tantùm,
Post obitus etiam fulsit ovalis honor.
Cùm sua Templa ferox vellet populare Sicamber,
Tendens furaces ad sacra vasa manus:
Is, terret, vincit, redigit sub jura Suorum:
Sic qui prædator, mox sua præda fuit.

AD DIVUM RAPHAELEM ARCANGELUM.

Ipsum nomen Raphaelis sonat medicina Dei; cujus charitas præcipuè enituit in Tobiæ adjutorium. Exorare nobis fas est Sanctum Arcangelum, ut opituletur ad ministerium vitæ immortalis. Dies festivus regulariter sub die 24. Octobris.

C A R M E N

MAxime Pennigerûm Raphael, medicina, salusque
(Vox Hebræa sonat) diceris esse Dei.

Quam

Quam citus auxilio Tobbæ descendis ab Axe!
 Quam fidus terris Te juvat esse comes!
Incolumem servas per aperta pericla viarum
 Immunem chelis piscis adesse patras.
Quin vade Te, piscis fel, lumina curat, & Orci.
 Serpentem, à Sarâ, corque, jecurque fugat.
Qui facis hæc, reducemque virum sanamque puellam
 Ad patrias ducis Te comitante plagas:
Me quoque fac validum Raphael super Æthera nantem,
 Nec Te de fragili corpore cura coquat.
Quò Genius, quò pars est immortalis itura,
 Sis Auspex vitæ, sis Medicina precor.

AD SANCTOS PROTHUM, GAVINUM, ET JANUARIUM.

Propter prodigiosas res, & celebrè martyrium, Turribus consumatum: Tres hi Indigetes patrocinium ne dum Turrium, sed totius Sardiniæ promeruerunt. Dies natalitius 25. Octobris.

CARMEN.

VOs tria Sardiniæ, Januari, Prothe, Gabine
 Sidera, perpetuùm postera turba colat.
Fœlices Socii, quos Ethnicus abstulit ensis
 Dum gentilitios vox negat una Deos.
Supplicii pondus, dulcem se vertit in escam.
 Nam colubri, virus dedidicere suum.
Imprudens hostis, Divûm vos sedibus almis,
 Addidit, ut cunctos pœna beàvit atrox.
Truncatos gladio, portus Balearidis undæ
 Excœpit gremio, reddidit indè solo.
Vos patriæ Turres, urnas, tumulosque parastis,
 Civibus, & cineres marmoris Ara tulit.
Indigetum celsis requiescite Turribus Ossa.
 Proximior Cœlo non locus aptus erat.

AD

AD DIVUM CHRISANTUM

Martyrem. A' Patre Polemio, concussus est, ut Christi desereret religionem, sed frustrà. Impetitus virgis, ad sui corporis contactum mollescere sunt visæ, ipsis Carnificibus obstupescentibus. Ejus dies natalitius 25. Octobris.

CARMEN.

IN Te, quis credat, Genitor movet arma Polèmus!
Quique dator vitæ, perditor esse cupit.
Ut reus argueris, Cœli quia Numen adoras,
Et fit delator, Proh stupor ipse Pater!
Cæderis hinc virgis, quæ sunt mollescere visæ
Dum torto Lictor verbere membra ferit.
Illæ ubi coccinei maduerunt sanguinis ostro,
Penè in purpureas eviruere rosas.
Dedidicit Natura Patris, tenerescere Nato,
Sed non Carnificum dedidicere flagra.

AD DIVAM DARIAM

Virginem, & Martyrem. A' templo Minervæ, in quo convivebat, extracta est, ut nuberet Chrisanto; sed ambo virginitatem coluerunt; quin Ipsa cæteras mulieres vitam cœlibem docebat. Ex hoc, à Præfecto in lupanar est deducta, sed mirabiliter Leo suum pudorem est tutatus. Dies natalit. 25. Octobr.

CARMEN

CHrisanti conjux, pulcherrima Virgo Daria,
Par formâ dives, quam pretiosa fide!
Desinis in templo Convictrix esse Minervæ,
Et Te Nazarei suscipit Ara Jovis.
Fœmineos cœtus, ad castius erudis ævum,
Et facis ut tota corruat Urbe Venus.

At Judex rabie frendens, intràre lupànar
Te cogit, fœdis deris ut eſca procis.
Te Leo tutatur; noceat ne læno: Leonis
Munere provenit, ne foret Agna, lupa.

AD DIVUM EVARISTAM

Pontificem Maximum Martyrem. Primus fuit, qui inſtituit titulos Eccleſiarum, qui deindè Cardinalibus ſunt aſſignati. Juſſit in ſacris Aris nuptias celebrari, & quo tempore inauguratus eſt Pontifex, templum Jovis deſtructum eſt. Ejus diès natalitius 26. Octobris.

CARMEN

ANtiſtes Romæ, Tu primus Numine fretus
Ornaſti titulis Fana quirina ſacris.
Scilicet hinc Procerum magnorum fluxit origo,
Quos nunc Purpureæ ſyndonis oſtra tegunt.
Publica juſſiſti fieri connubia Templis,
Ut Pietas eſſet pronuba, ſanctus Hymen.
Te quoque Relligio legeret cum Romula Sponſum,
Omine flagrarunt proſperiore faces.
Arſerunt ſiquidem, demiſſo cœlitùs igne
Protinùs Ammoni vota ſacella Jovi.
Inter Divorum cineres tua gloria fulſit,
Inque tuum ſaliit tota ruina decus.

AD DIVAM CAPITOLINAM

Martyrem. Illuſtrem paſſionis triumphum, conſecuta eſt Cappadociæ, qua propter Victrix cœleſte aſcendit capitolium. Ejus dies natalitius 27. Octobris.

CARMEN.

TE Capitolinam, currus circumſtat ovalis,
Omne Triumphantum ſubſequiturque decus.

Bis

Bis centum fasces, lauri totidemqne coronæ
  Certant Cappadocis ter redimire comas.
Sed Tibi nullus honor, fastigia porrigit æqua,
  Inferior meritis Gloria tota venit.
Palma manu, quam Martyr habes, tantummodò laudem
  Præpollet parili lance librare tuam.
Palma triumphalis, pretio quæ sanguinis empta
  Victricem propriæ Te facit esse necis.
Hæc agit, ut festi scandas Capitolia Cœli,
  Et sis purpureo conspicienda peplo.
Arx ea Cœlituum, Te plausibus excipit Æthræ,
  Insita si palmis ad sua tecta salis.

AD DIVUM SIMONEM APOSTOLUM.

Ingressus est Ægyptiacas, & Persicas regiones, quas sua prædicatione Christianæ Fidei addixit. Dies natalitius 28. Octobris

CARMEN.

INgrederis pharii fines Chananæe Canopi
  Nilus ubi septem cornibus, arva rigat.
Monstrorum gravidum propter simulacra Deorum
  Isiacum purgas Te penetrante solum.
Bubastis siluit, tacuit latrator Anùbis
  Dum tua Vox, unum personat esse Deum.
Persidis indè plagas, festinis passibus intras
  Sol ubi puniceos mane flagellat equos.
Conversos populos, Romanis Arcibus infers
  Sic oriens tellus est venerata Crucem.
Vindice Te solo, vidit nova Roma subactos
  Quos vetus extimuit tempus in omne Duces.

AD DIVUM JUDAM APOSTOLUM.

Suo munere prædicationis, innumeras lucrefecit animas Zoroem Magum confundendo. Detestatus est adorare Solem, & Lunam, propter quod à Persis occisus est. Ejus dies natalitius 28. Octobris.

CARMEN.

JUda decus Judæ, Machabęo major Judâ,
Qui Syrio patriam sanguine pinxit humum.
Non intrà angustos clausa est tua Gloria fines.
Splenduit Eois, Occiduisque plagis.
Te tremuit Zoroes, magica damnabilis arte,
Discerptus colubris, terque, quaterque suis.
Jussus es à Persis, Lunæ, Solisque planetis
Non secus ac essent Numina ferre preces.
Errat (ais) Divos erratica lumina credens:
Astrorum Cœli deprecor Ipse Fabrum.
Tu qui caligas Pagane, moraris & umbris
Tu poteris Triviæ fundere vota Deæ.
Ast Ego Justitiæ Solem venerabor, & Ille
Ex æquo lumen, Numen eritque mihi.

AD DIVUM NARCISSUM

Episcopum. In Urbe Hierosolymitanâ Pontificatus munere functus est, in qua celsitudine, omnium virtutum effloruit ornamentis, ità ut sibi fuerit illustris, & suo gregi ineffabiliter proficuus. Vixit annos centum, & sexdecim in sua sede. Dies natalitius 29. Octobris.

CARMEN.

FLos es Pontificum Solimâ Narcissus in Urbe
Numen ubi Superûm tot pupugere vepres!

Te

Te baculus fulcit, Te contegit infula, quandò
Indignam Christi terga tulere crucem!
Sed Te non melior Quisquam, qui pascat ovile,
Qui regat ad Domini compita sancta gregem,
Nec locus est ullus virtutum cassus odore,
Pastoris gressu, Te gradiente vias.
Fabula Narcissi pereat pereuntis, in undâ
Pingeret ut roseas prima juventa genas.
Tu Tibi longævus, pecori vitalior es Dux,
Quà fluxit Dii sanguinis humor humo.

AD DIVUM SERAPIONEM

Episcopum. Fuit natione Ægyptius, & ob suas virtutes creatus Antistes Antiochenæ Ecclesiæ, qua tempestate, Urbs, Cœnobiorum speciem præseferebat, & deserta eremitica formam æmulabantur florentium viridariorum Olympi. Ejus dies natalitius 30. Octobris.

CARMEN

ÆGypti ditare plagas, Cœlestibus hortis,
Præsulis hoc unum Serapionis opus.
Non Serapis jactet, nec talia munera Nilus,
Neuter eas nutrit, quas alit Axis opes.
Mugiat alter, aquas è gurgite proluat alter,
Terrigenæ Cereris germina sola dabunt.
Plantat at Antistes viridaria Cœlica sylvis,
Virtutum segetes nec minus Urbe creat.
Hinc Pietatis agri, populorum mœnia surgunt,
Et nemora Astriferi sunt simulacra laris.
Quisquis es, affinis sonus, haud te terreat Apis;
Rere sed ætherei sit fabra mellis Apis.

AD DIVUM QUINTINUM

Martyrem. Gloria hujus inclyti Herois, non solum in se ipso rese-

resedit, ob illustre martyrium passum apud Augustam Veromanduorum; sed se extendit in Urbem nomine S. Quintini nuncupatam, quæ licet hostilibus obsidionibus, non semel fuerit impetita, semper tamen in suo decore est restituta. Ejus dies natalitius 31. Octobris.

CARMEN

NOmine Quintini, decoratam Martyris Urbem
    Illustrem bellis inclyta Fama canit.
Influxisse reor sua ad ornamenta, Beati
    Gloria, pertingens Solis utramque domum.
Sustulit Hic etenim terebratis unguibus, æris
    Candentis calamos, visceribusque faces.
Est gladio cæsus vertex, projectus in amnem:
    Naufragio votum corpus in ima ruit.
Intemerata tamen dein flumen membra refudit,
    Et Fluvii solùm vulnera lavit aqua.
Sic Urbs Quintini toties obnoxia flammæ
    Martis, & igniferis non semel acta globis.
Mulciber haud aliud, nisi lucem reddidit almam
    Pulchrior ut Phœnix sit rediviva rogo.

AD SOLEMNITATEM
SANCTISSIMI ROSARII

Commendatur munus delatum à Sanctissima Virgine de suo Rosario, ex quo innumerabiles gratiæ prosiliunt. Festum additum mensi Octobris.

CARMEN

ALba quid imperium affectatis Lilia Veris?
    Cedite purpureis regia sceptra Rosis.
Primus amor florum, modò sit Rosa murice tecta
    Sitque coronandi verticis unus honor.

Cer-

Cernite, quæ Cœlo mandare Roſaria gaudet
    Ad nos Ætherei Numinis alma Parens!
Æmula deſpectæ (fatur) dabo Sidera terræ;
    Nec mora cœleſtes miſit ab axe Roſas.
Scilicet ex aſtris ad Nos venère Rosèta:
    Ut Nos aſtra ſuper, miſſa rosèta locent.
Quis ſtupor? Eſt ejus munus (Roſa myſtica) dictæ,
    Et cui de ſtellis eſt diadema comis.
Inſtar apis, cor ergò meum pete ſerta Roſarum,
    Si Cœli flores, ſidera ſuntque ſoli.

AD PATROCINIUM BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ

In ſola Virgine, Dei parente, quæ eſt fœderis Arca, & Turris Davidica ſperandum eſt patrocinium. Feſtus dies aſſignatus menſi Octobris.

CARMEN

QUam miſeranda dies, quæ Nos eduxit ad ævi
    Oſtia! non vitæ nomina vita meret.
Currimus inſanum monſtris frendentibus æquor,
    Et feriunt parvam pontus & aura ratem.
Si tamen inter aquas, ſi ſyrtes inter, ab umbrâ
    Diviparæ tegimur, non pavor ullus erit.
Pandemus placidis votorum vela favònis.
    Cæruleum verret quàm benè puppis iter.
Es Tu Virgo parens præfulgens ſidus Jacob,
    Vix geniti Solis lumine, flamma minor!
Auſpice Te Charites fundit, quot nutrit, Olympus,
    Nectaris in pluvias ſolvitur ipſe polus.
Ætas priſca ſile, delapſa ancilia Cœlo,
    Sed nec Palladii commemoretur ebur.
Illa eſt tutamen, cui vox eſt fœderis Arcæ,
    Et quæ Davidìcæ ſtemmata Turris habet.

AD

AD SOLEMNIA OMNIUM SANCTORUM

Eorum gloria, numquam ſatis eſt commendabilis, quippè cum iiſdem inſtrumentis, quibus paſſi ſunt in terris, fulgeſcunt immortales in Cœlo. Eorum feſtivitas 1. Novembris.

CARMEN.

COElicolas omnes, quis digno perſonet œſtro,
Uni ſi calamus vix ſatis eſſe poteſt?
Aurea lingua licet, Virtutes non canet æquè
Victrices ferri, quæque fuere facis.
Ænea gemmiferum, quæ Vox exhauriet ævum?
Quæ tuba Semideûm par ſonitura decus?
Vos Genus electum, timuit Phlegetontis abyſſus
Cùm premeret terras ſarcina carnis adhuc.
Quid nunc, qui Cœli Proceres, vincliſque ſoluti
Eſtis Olympiacæ ſidera viva domus?
En plebs Eumenidum veſtris lymphata ſepulchris
Clamat, & immenſo tacta dolore fremit!
Vos palmis gravidos, & lauris cernit onuſtos,
Quas ſecuit gladius, quo periiſtis humi.
Scilicet hoc ferro, callem ſtraviſtis ad Æthram
Alter ut Orion nunc ubi Quiſquis ovat.

AD SANCTOS MANES

Qui igne piaculari purgantur. Eorum ſtatus adſtruitur, illiſque Viatorum ſuffragia exhibentur, quà pœnitentiæ, quà indulgentiarum. Horum Commemoratio 2. Novembris.

CARMEN.

NOn mutos cineres, neque detrectantia buſta
Alloquor, at Manes, quos ſacra flamma piat.

Vos

Vos Ego quàm veneror, vitæ certamina functos,
Quos manet æthereæ Gloria sponsa domus!
Expectate tamen, donec Rhamnusia pœnam
Expleat, ad noxam, quæ venit apta suam.
Intereà, nostris ad Vos suffragia votis
Mittimus, hæc vestris sit medicina malis.
Accipe Sacrificum, purgans Agnatio munus
Accipe, quas grato fundimus ore preces.
Quid magè quam lacrimæ, quid plus, quam sanguis Jesu
Extinguent prunas, diminuentque rogos?

AD DIVAM SYLVIAM

Commendatur Matrona nobilissima, nè dùm ex propriis virtutibus; Verum etiam quia Mater fuit Divi Gregorii Magni, Romani Pontificis. Ejus dies natalitius 3. Novembris.

C A R M E N.

SYlvia Gregorii genitrix, Tu parturis Urbe,
Progeniem, cuncti quæ jubar orbis erit.
Arbore frugiferâ, manat benè nobile germen,
Et dulci, dulcis cortice fructus abit.
Quid promet gravidus nisi lucem Phœbus Eòam?
Quid Veri, flores ni generare datum?
Tu pietate tuâ, Sobolis virtute tuæque
Occiduis fulges Memnoniisque plagis.
Quod tibi Roma decus dat Sylva! venustior istâ,
Quæ gremio fovit non fuit illa Numam.
Scilicet illa rubos, lucos, pariebat & umbras,
Æneadum Solis splenduit ista Parens.

AD DIVUM CAROLUM BORROMEUM

Cardinalem. Ipso Oriente visa est lux, circumdans genitricis lectũ, quasi portendens suarum virtutum splendores. A' Sicario,

ignito sclopo impetitus ab ictu servatur divinitùs illæsus. Ejus dies natalitius 4. *Novembris*

CARMEN.

NAscitur Infantis Caroli nova lampas ad Ortum,
Et Matris rutilo circuit orbe torum.
Editus in lucem, lucem parit ipse Parenti,
Lucis & usuram dat Puer, atque capit.
Quid lux portendit, nisi quod sua gloria, Solis
Instar, Cœnomanos irradiarit agros?
Taliter effulsit: Nec lucem fumida teda
Læsit, nec nocuit pulveris ignis edax.
Non erat à duro pectus penetrabile ferro,
Cui erat una suo cura liquere Deo.
Nec consanguinitas illi cum pulvere, quandò
Hærebat soli proximitate Polo.

AD DIVUM FOELICEM

Confessorem. Ex regali Valesiorum familiâ, proximus coronæ Gallorum erat; præcidit tamen Sacerdotio, ascensum ad thronum, & sanctè vivere voluit in Eremo. In pervigilio Nativitatis Deiparæ cum ipsa Angelorum Reginâ matutinas laudes exoluit, Deo sic disponente. Ejus dies natalitius 4. *Novembris.*

CARMEN.

FOElix, Francigenum Regum, Valesia proles,
O' per virtutum culmina major Avis.
Proxima Tu spernis subtegmina regia, sceptrum
Non animos pulsat, non tua corda ciet.
Incola Deserti, cœlesti munere vivis.
Cana Fides, Pietas, Te sequiturque Pudor.
Nulla Venus, non ullus Hymen pia pectora mordet
Unaque Virgineus lilia Gallus amas.

Per-

Pervigilemque facit te Mater Virgo, Volucrem
Cùm media secum psallere nocte jubet.

AD DIVUM VITALEM

Martyrem. Servus erat Agricolæ, & cùm constantissimè martyrii agonem conficeret, ejus Dominus amore martyrii est succensus, & conjunctim Bononiæ sunt coronati. Dies natalitius 4. *Novembris.*

CARMEN.

DAt vitam Vitalis, Hero, dum fortis agone
Mortis, pœnarum sustinet omne genus.
Vicit servilem Servi constantia sortem,
Quin Domino Virtus est dominata suo.
Proh stupor! Exemplo pugilis Dux currit ad arma;
Conjunctim palmas, & meruere duas.
Vivere nobilius Vitalis nesciit ævum
Ni quandò Vitæ tempora deseruit.

AD DIVUM AGRICOLAM

Martyrem. Alludit ad nomen Agricolæ, cui pro labore martyrii, meritò fuerit retributa messis gloriæ. Ejus dies natalitius 4. *Novembris.*

CARMEN

AGricola accepit ferrum, messurus honores.
Et decorum culmos Gloria spontè dedit.
Indè rigaturus meritorum culta suorum
Non nisi sanguineis alluit illa cadis.
Pro bove Carnifices, pro rastris tela fuerunt,
Vomeris inflexi Crux subiitque vices.
O' fortunatum bibitâ pro morte Colonum!
Ipse Deus tanto fœnore messis erit.

AD DIVUM MAGNUM

Episcopum, & Confessorem. Moderatus est gregem Mediolanensem, in quo munere, nihil nisi magnificum molitus est. In se Ipso solum propter suam humilitatem agnovit pusillitatem, Ejus dies nataitius 5. Novembris.

CARMEN

MAgne Pater, moderando gregem, cultumque fovendo
Divûm, nil modici, nil mediòcris habes.
Non potes exiguis animos affigere rebus
Omne sonat magnum quod fabricaris opus.
Testis adest procèrus amor, quo Patria nullum,
Plus Te Pastorem, plus vel amarit Herum.
Et testes sunt templa novo molimine recta,
Mox largitrici magnificata manu.
Dantque fidem, Procerûm cineres, & busta locata
Sumptibus amplificis ad monimenta sacra.
Allobrogis idcircò tuis, populisque propinquis
Magnus ades, solum Tu tibi parvus eras.

AD DIVUM LEONARDUM

Confessorem. Fuit natione Gallus, & ejus patrocinium in dies experitur gens captiva; directis enim ad eum precibus, quicumque carceribus est addictus, libertatem Deo favente consequitur. Ejus dies natalitius 6. Novembris.

CARMEN

VIncula solvimini, miseros quæcumque revinctos
Stringitis, in ferrum jus Leonardus habet.
Illius imperio luctetur nulla catena,
Dediscat nodos agglomerare chalybs.
Captivi gaudete Viri, confidite votis,
Cum rumpi Gallus lora retorta volet.

Clausa

Clausa licet, cunctos referant ergastula postes,
Solarem noscit carceris umbra facem.
Alme Pater, cum talis eat pia Fama triumphi
Vadat ut ante tuas libera præda rotas:
Me tamen ut religes oro; sed amoribus Æthræ
Tunc magis Ingenuus, cùm magè captus ero.

AD DIVUM AMARANTHUM

Martyrem. Floruit Virtus ejus divinis odoramentis referta, apud Albigensem Urbem, in qua immortalitati inhians, exacto fidelis agonis cursu per martyrium ad immortalia Paradisi vireta translata est. Ejus dies natalitius 7. Novembris.

CARMEN

VEris honos, Amaranthe vires, floresque per ævum
Cum tua non pereat Gratia, forma cadat.
Cætera plebs florum, cum vix pervènit ad ortus
Luciferi primos, Vespere vita fugit.
Ast immortales Tu servas caudice frondes,
Ipsa vel hoc munus florida Diva stupet.
Nunc alter nobis Amaranthus odorior afflat,
Hic viret in Dio Relligionis agro.
Esseque perpetuum sibi quæsiit inter Olympi
Floriferos hortos, inter amena poli.
Se quoque purpureum fecit, cum sanguinis imbrem
Effudit, Christi pro Deitate sui.
Vive diù florum princeps Amaranthe: per ostrum
Te statuit Regem, murice tincta chlamys.

AD SANCTOS QUATUOR CORONATOS MARTYRES

Nomina eorum diù incognita, posteà patefacta sunt. Hi Jussi ut Esculapium colerent, negarunt, ideò plumbatis cæsi, unà die

die interierunt. Corpora objecta canibus ab illis non sunt violata. Eorum dies natalitius 8. *Novembris.*

CARMEN.

UNa Coronatos quatuor Lux intulit Æthræ,
Nec renuit tempus Nominis esse memor.
Bis binæ tandem Cœli patuere Coronæ
Nec latuit quadruplæ vocis ovalis honor.
Spreviſtis Chriſti Proceres, Epidaurica ſigna,
Et meritò ſtatuam non coluiſtis hydri.
Quid poterat coluber, mortis niſi fundere virus,
Quantumvis medicæ creditus Author opis.
Affulſit tandem, ſuperato funere Palma,
Et ſub plumbatis vita perire fuit.
Corpora tunſa, foras canibus ſunt juſſa vorari;
Sed tetigit nullos hæc laniena canes.
Vos equidem norunt in Numen herile fideles,
Et ſimul in falſos ritè latraſſe Deos.

AD DEDICATIONEM
BASILICÆ SALVATORIS

A Sancto Sylveſtro publicè conſecrata eſt Eccleſiâ in qua Imago Salvatoris in pariete, depicta populo Romano apparuit. Dies ſolemnis 9. *Novembris.*

CARMEN

HÆc quæ fulgeſcunt ſuperindita marmore, & auro,
Sunt Servatori vota ſacella Deo.
Numinis Effigies, ſe pariete quippè videndam
Obtulit, ut ritus ebibit Ara ſacros.
Tunc lateri junctus lar Imperialis adhæſit.
Jam Conſtantini nobilitatus aqua.
Salvete ò ſedes, Ego vos coluiſſe quotannis
Nitar, Romulei ceù coluere Patres.

Tu

Tu destructores Urbs oblivifcere Divos;
Sed Servatoris Te meminiffe juvet.

AD QUINQUE SANCTOS SCULPTORES
CLAUDIUM, NICOSTRATUM, SYMPHORIANUM, CASTORIUM, ET SIMPLICIUM.

Martyres. Hi celebres fculpendi magifterio, non potuerunt adduci, ut Idolorum ftatuas elaborarent propter quod neci funt voti. Eorum dies natalitius 9. Novembris.

CARMEN

VOs vitam faxis Sculptores quinque dediftis;
Et vitam vobis retribuere Petræ.
Verùm plus celebres, fulfiftis tempore nullo,
Quam cùm fugiftis fingere figna Deûm.
Non incifa, necis pepererunt marmora caufam;
Attamen æternos nex tulit illa dies.
Veftra manus fœlix, expers, compofque laboris,
Seù operi incubuit, fivè negarit opus.
Laudibus Artificum, ergò furgite maufolæa:
Integer, & fectus, vos peragatque lapis.

AD DIVUM THEODORUM

Militem Martyrem. Injecit flammas in delubrum Cybeles, propterea à Gentilibus eft neci traditus. Dies natalitius 9. Novembris.

CARMEN

INcendit Cybeles fanum Theodorus, ut igne
Interimat Natos cum Genitrice Deûm.
Siccafti generofe pugil lactentia Veftæ
Ubera, ne tibi lac funderet Illa fuum.

Tur-

Turriti crines, ſunt pabula tradita flammis,
　　Et celebres currus Mulciber edit edax.
Quos accendiſti torres pavere Leones
　　Clavis, & igniferis eſt cinefacta rogis.
Per Te bellipotens Miles, Berecinthia luxit
　　Tympana, quæ Famæ poſt ſonuere tuæ.

AD DIVUM AGRIPPINUM

Civem, & Neapolitanum Antiſtitem. Incubuit ad hæreſim abigendam è commiſſo ſibi grege, quod mirabiliter eſt aſſecutus. Mortuus, cum Civitas Neapolitana obſideretur, viſus eſt corporali ſpecie illi opitulari. Tanti beneficii memor Partenope, ſingularem Patronum agnoſcit. Ejus dies natalitius 9. Novembris.

C A R M E N.

Pontificum vittâ Pater Agrippine coruſcus
　　Te Duce, Partenopes Dia ſtat Urbe Fides.
Sibilet illa, licet ſeptem cervicibus Hydra
　　Hæreſeos, virus fundat, & uſque novum;
Tu ſemper Superûm galeâ protectus & haſtâ,
　　De Colubro victor, plena trophæa refers.
Servaſti patriam vivens, nec mortuus illam
　　Linquis, ad auxilium laberis Axe ſuum.
Armis obſeſſam fruſtrà Dux hoſticus Urbem
　　In prædatrices jurat habere manus.
Antiſtes Protector ades: furialia bella
　　Euxinum tradis per mare ferre Notis.
O' Siren fœlix, verè tibi militat Æther
　　Si dant functorum vivere Fata Patrum.

AD DIVUM TRIPHONEM

Martyrem. Paſſus eſt equuleum, nervorum verberationes, lampadas ignitas lateri, ungulas ferreas, tantâ conſtantia, ut Car-

Carnifices ipsi Occisores mirarentur, quibus monilibus decoratus ad Patriam transiit. Ejus dies natalitius 10. *Novembris.*

C A R M E N.

INsanis: Crucians furibunde Tyranne Triphonem,
Non infirmatur, qui super astat equo.
Enervem faciunt non crebro verbere nervi,
Torquèris telis tu malesane tuis.
Scilicet ad cursum præmunit ferreus unguis,
Incitat ad palmam fax populanda latus.
Omnia quæ reris Constantem vincere posse
Virtuti potius sunt documentà suæ.

AD DIVUM RESPICIUM

Martyrem. Suo imperio corruit fanum Jovis, & ideò ab hostibus Christianæ Fidei plumbatis cæsus. Ejus dies natalitius 10. *Novembris.*

C A R M E N:

REspiciente diespiteri simulacra Tonantis
Respicio: caderet jussit ut Ara Jovis.
Vox sua prosiliit, veracis fulminis instar,
Et fictum in centum fragmina fulmen abit.
Effecit nutus, quod non fecere Gygantes,
Conati frustrà vincere montis ope.
Is tandem plumbi, non victima concidit ensis
Inclyta quà plumbi stent sua gesta notis.

AD DIVAM NYMPHAM

Martyrem. Natalem habuit in Provincia Saxonica, & comes martyrii fuit Sanctorum Triphonis, & Respicii. Alliudit Musa ad nomen. Dies natalitius 1o. *Novembris.*

C A R M E N

ARcti Nympha decus, non es de fontibus una
Nayas, aut salsi Nereis ulla maris.

Sed comes ex illis es, quæ ſuper Aſtra, choreas
Ingeminant, victrix mortis, adhæſa polo.
Sanguine terſiſti Nympharum nomina fuſo,
Quæ polluta ſuis fabula fecit aquis.
Sæpè choros illæ ducebant amnis ad undas;
Sanguinis ad rivos ludis at Ipſa tui.
Nunc ſcio cur Nymphâ Tu ſis formoſior omni
Purpureæ lymphæ Tu quia Nympha nites.

AD BEATUM ANDREAM ABELLINATEM.

Ordinis Clericorum Regularium, inſignem Patronum Urbis Neapolitanæ, cujus corpus in Ara templi Divi Pauli aſſervatur. Athleta fuit nobilis in evincendis Dæmonibus, etiam corporali ſpecie apparentibus. Ad ejus ſacellum accurrunt Cives, & cæleſtia chariſmata reportant. Ejus dies natalitius 10. Novembris.

CARMEN

MOvit Abellinas, ſtygio fera bella Draconi
Virtutum toto pectore, menſus iter.
Imbellem quandoque Ducem ſe ſenſit Avernus,
Nec ſemel eſt caſus queſta Megèra ſuos.
Viſibili Satan ſpecie quoque vinctus adhæſit
Trunco, dum noctis Luna jugaret equos.
In belli rabie, quam noſtra pathemata gignunt
Nón etiam fortis Belligerator eris?
Fortis eris: Largitur enim tua (cernitur) Ara,
Omnia quæ Cœli dona precator amat.
Bellorophon Sirenis equi, ſis ritè Patronus
Sic Sonipes, Charitum Te duce fundet aquas.

AD DIVUM MARTINUM

Epiſcopum Turonenſem. Laudabilis viſus eſt, cum eſſet miles in tem-

temporali militia, laudabilior fuit in spirituali cum esset Episcopus, præsertim ergà pauperes summâ enituit charitate. Ejus dies natalitius 11. *Novembris.*

CARMEN

NOminis Auspicio salve Martine triumphans,
Nescio num galeâ clarior, anne mitrâ.
Marte pari Victor Tu visus utraque palestrâ
Palladis in castris, Numinis inque lare.
Sed cedant bello quæsita trophæa, trophæis,
Quæ dedit in templis Dia referre Fides.
Quid fuit exuviis Hostem spoliasse? Fuit plus
Te spoliis inopi consuluisse tuis.

AD EUMDEM

Visus est in templo radiantibus facibus coronatus. Dies natalitius 11. *Novembris.*

CARMEN

QUantumvis tecum, nomen commune Gradivus
Præferat; at meriti non habet ille decus.
Is caput, at falso tenuit fulgore coruscum:
Arâ, Te veræ circumiere faces.
Ast à Marte nihil Martino longiùs, illa
Re: Rem cum Cypria non habuisse Deâ.

AD DIVUM MENNAM

Militem Martyrem. Videns hic in honorem Deorum celebrari ludos, amphiteatrum intravit, ut argueret celebrantes, at post increpationem, Gentiles illum igni tradiderunt. Ejus dies natalitius 11. *Novembris.*

CARMEN.

MEnna theatrali pugnax succedis arenæ
Ridiculos ludas, Miles ut ore Deos.

Cesserunt subitò, Divûm in ludibria ludi
Aggressus fatuos increpuisse jocos.
Indè magis de Te spectacla celebria promis,
Cum placuit flammis victima vota mori.
Tunc verè immixtus circo, combustus arenâ
Militis est bellax visus ovare cinis.

AD DIVUM MARTINUM

Pontificem Maximum, Martyrem. Aggressus est lictor illum necare operantem sacris in templo à præsepe dicto, verum repentè cæcus factus est. Antistes posteà exul occubuit. Ejus dies natalitius 12. *Novembris.*

C A R M E N.

Custodem imperii Martem ne concine Roma
Martinus custos verior Urbis hic est.
Sed custos, & Pastor amans, non esse recusat
Carnificis ferro sacrificanda pecus.
Objecit jugulum gladiis, ubi Virginis Ara
Tollitur, à cunis nomen habetque Sacrum.
At Deus, haud illum sivit præsepe necari
Quo lactis vitam suxerat Ipse puer.
Protinus est captus geminata luce Satelles,
Ne detur morti, vulneribusque locus.
Disce pati tenebras Lictor, qui perdere Solem.
Tentasti Romæ: lumine cassus abi.

AD DIVUM DIDACUM

Confessorem Ordinis Minorum. Maximâ excelluit humilitate, in ministerio infirmorum. Ejus corpus mortuum, quasi jam induisset incorruptionem, odorem suavissimum mirificè efflavit. Ejus dies natalitius 13. *Novembris.*

C A R M E N

Hic minor, & major, famulus, dominusque scit æquè,
Esse solo minimus, maximus esse polo.

Aspi-

Aſpicis ut vivens, curam complectitur ægræ
    Gentis! ut ad ſordes ſit ſuus unus amor!
Cernis at ut moriens Reges ſupereminet omnes!
    Utque ſuper mortis jura, cadaver habet!
Vermibus ecce caret, Zephyrum benè perflat odorum,
    Et vernas buſtum flexile, ſpirat opes!
Quid portendit odor, Didacique fragantia? Dic Tu
    Euphroſine, Cœli quæ colis arva Charis?
Credo ego, nec fallor: Cupit, ut tua præda præhendi,
    Et ſic venandum ſe dat odore Minor.

AD SANCTAS MULIERES MARTYRES ANONIMAS.

Emeſæ emicuit paſſio glorioſa plurimarum Sanctarum Mulierum, quæ ſub crudeliſſimo Mady, Arabum Duce, ob Chriſtianam Religionem ſæviſſimè tortæ, atque necatæ ſunt. Earum dies natalitius 14. Novembris.

C A R M E N

AGmen Amazonidum video robuſtiùs illo
    In Scythicis auſo bella cière vadis.
Thermodon ſtupuit cum vidit ſanguine tela
    Tingere, fœmineum per ſabulèta genus.
Aſt hic in Arabicis pugnans Exercitus oris,
    Peltatas quantum præit honore manus!
Non petit hoſtili terras rorare cruore,
    Non Invadenti vùlnera ferre prius.
Sed gaudet tolerare necem placidiſſimus ore,
    Sanguinis exhauſtas geſtit habere fibras.
O' qui veſter honos imbellis ſexus! & ò quæ
    Gloria! par vobis Numinis Illa fuit.
Vicit enim mortem, cum ſe ſe tradidit illi,
    Hocque triumphali ſcandit ad aſtra gradu.
Sancta phalanx, veſtro pingit de ſanguine malas
    Nazareus, Cœli labra colorat Amor.

At

At rubuiſſe facit phlegetontis monſtra pudore,
Fœmineas palmas; Tartarus odit hydrus.

AD DIVUM LEOPOLDUM

Auſtriæ Marchionem Confeſſorem. Adeptus eſt cognomentum Pii, propter eximiam ejus pietatem, ob quam meruit habere progeniem Romanorum Imperatorum diù in terris, & gloriæ perpetuitatem in Cœlis. Dies natalitius 15. Novembris.

C A R M E N

AUſtriades, Leopolde, tuis aſſiſtere cunis,
Obſtetrix Pietas, viſa ſuitque Parens.
Hinc tibi ſtemma Pii, cognomen & hæſit Adulto
Indeque, Cœlicolæ, poſt breve lucis iter.
Quem Pietas operit, terræ faſtigia tollunt,
Scandunt ſtelliferos, & ſua Fata polos.
An non Cæſaridum meruiſti gignere prolem
Auguſtos dignam ſemper habere thronos?
An non poſt obitum, Summus tibi templa Sacerdos
Vovit, Olympiacis inſeruitque choris?
Scilicet has Charites Pietas dedit una Leoni,
Tam miti terris, quàm ſuper Axe pio.
Inter ſtà medius Cancrique & Virginis aſtra:
Indè geras placidos Tu Leo ſtella dies.

AD DIVUM ELPIDIUM

Martyrem. A Juliano Apoſtata, Vir Senatoriæ dignitatis, eſt juſſus indomitis equis raptari, ob præclaram Fidei confeſſionem, demum lampadibus lateri oppoſitis crudeliter aduri. Ejus dies natalitius 16. Novembris.

C A R M E N

ELpidius raptatur equis, paulò antè Senator,
Cornipedum teritur calceque, tantus Eques!
Huncque vovet flammis trux Cæſar Apoſtata Julus
Chriſticolis nullus plus inimicus homo.

For-

Fortè Augufte putas, raptatu, aut lampadis æftu
    Tam clari Herois dilapidare jubar?
Falleris. Illius ad laudes, decus atque triumphi
    Alipedum curfus gloria major erit.
Appofitæque faces lateri, quid agent, nifi lucem
    Addere præftanti per fua gefta Duci?
Tu mifer expecta ftygios ad Fata jugales,
    Atque voratrices in tua membra faces.
Experiere brevi Galilæi fulminis ignem,
    Ut te Plutonis currus, ad ima trahat.

AD DIVUM GREGORIUM THAUMATURGUM

Patrator fuit prodigiorum, ex quibus nomen accepit Thaumaturgi. Exiccavit paludem, feminarium difcordiarum. Licum fluvium continuit, ne damna inferret. Montem fecit retrogradum, ut locum daret templo ædificando. Ejus dies natalitus 17. *Novembris.*

C A R M E N.

EN Thaumaturgus, Thaumantias effet ut Iris
    Mira patrat, Cœlum conciliatque folo.
Pacifer hic, ftagni latices exiccat, ut indè
    Non fit difcordis cordis, origo palus.
Hic excurrentes etiam fine lege meatus
    Continuit fluvii per fata culta Lici.
Parva fero: verbo montes exterruit altos,
    Imperioque fuæ vocis, jere retro.
Edomuit ferro, collis faftigia Xerfes
    Retrogradum nutu fecit Hic, ire jugum.
Gregorii Tu cede fono, cava barbitus Orphei,
    Tu cautes nervis, movit at Ille prece.
Compulit Amphion filices, ut mœnia ftarent
    Ut furgat Templum, reppulit Ifte petras.

AD DEDICATIONEM

BASILICÆ DIVI PETRI

Elaborarunt honori hujus templi, primum Sylvester Papa, inde Urbanus, tertiò Alexander, hinc tam magnificum erectum est opus, ut omnibus tam Indigenis, quàm Alienigenis sit admirationi. Solemnis dies 18.*Novembris.*

C A R M E N.

Quæ Vaticani surgunt fastigia Templi
Sunt Piscatori fana dicata Petro.
Hic cineri sacro statuit Sylvester honores;
Hicque sepulchrales annuit esse lares.
Addit at Urbanus fastu majore, sacratas
Basilicæ sedes nobiliore tholo.
Complet Alexander decus, aptans mille columnas,
Antè fores, totam datque venire Paron.
Tanta columnarum moles sit debita Petræ,
Quæ Fidei fulctrix, prima Columna fuit.

AD DEDICATIONEM

BASILICÆ DIVI PAULI APOSTOLI

In via Ostiensi. Sylvester Papa hanc condidit; & quia depositum tanti Indigetis Apostoli sinu fovet est omnibus cum maxima reverentia, & amore frequentata. Dies solemnis 18. *Novembris.*

C A R M E N.

Ad tumulos Ego curro tuos, ò Paule, genuque
Curvato, veneror quæ loca corde colo.
Hæc est, quam quondam Sylvester condidit Ara,
Ossibus & bustò tam benè pacta sacro.
Semper odoriferis hæc floribus affluet Ædes,
Sitque inter festas hæc memoranda dies.
Omnibus hic fœlix lapis, est & dignior urnis
Electus cineres continuisse tuos.

Illius

Illius est siquidem vasum, gremioque recondit,
Qui Vas electum, Numinis ore fuit.

AD DIVUM PONTIANUM

Pontificem Maximum, Martyrem. Ab Alexandro Imperatore, relegatus est in Sardiniam ob Fidei nostræ confessionem. Ibi multas Deo lucrifecit animas, & in ipsis ærumnis, lætus ad cœleste capitolium evolavit. Dies natalitius 19. Novembris.

CARMEN

A' Ponto qui nomen habes (velut ille) procellæ
Compos es, & diri Te quatit ira Noti.
Durus Alexander, placidi ciet æquora ponti,
Ah vult Sardiniam, ceù reus, exul eas,
Tu pares; sed non tot parturit Insula fruges
Quot supero populus Tu paris ore polo.
Messe tuâ lætus gaudes, & talia faris
Sardiniâ in media, Tiburis Axe fruor.

AD DIVAM ELISABETH

Reginam Ungariæ. Orta est ex Regibus Pannoniis, nupta est Ludovico Lantgravio Hassiæ, & Turingiæ, in cujus throno miram exercuit pietatem. Infirmarum ulcera lingebat, & mortua suavem afflavit odorem. Dies natalit. 19. Novembris.

CARMEN.

O' De Pannoniis exortum germen Elisa
Regibus, Arctoi luxque, decusque poli.
Te nihil aspexit terræ sublimiùs Orbis,
Cum Te, ceù famulam palla retexit inops.
Arripuit tua læva colum, tua dextera lanam
His plus quam sceptro magnificata manus:
Suxisti roseis, ægrarum vulnera labris,
Plusque tuæ Phœbo tunc micuere genæ:
Ulcera tractasti vivens, sed mortua flasti
Suffimen superâ dulciùs ambrosiâ.

AD DIVUM EDMUNDUM

Regem Angliæ, Martyrem. De Saxonum sanguine Princeps, Regni Britannici moderatus est habenas, & adeò pius resplenduit, ut pro suorum subditorum salute, neci se devoverit, passæ à Danorum Rege. Caput suum projectum inter spinas emisit vocem, & corpus vulneratum apparuit integrum, absq; cicatricibus, sic Deo magnificante suum servum. Ejus dies natalitius 20. Novembris.

C A R M E N

Mundiùs Edmundo, non novit Saxone Virtus,
Molliùs haud Pietas ad probitatis opus.
Rex erat, & Regni fasces moderante Britanni
Non est se veritus spontè vovère neci.
Tantus amor servare alios, ut tela Tyranni
Maluerit Dani, corpore ferre suo!
Arboris affixus trunco, data præda sagittis,
Plumifero petiit cœlica regna gradu.
Abscissus vertex, inter vepreta sepultus
Illicò nativis addidit ostra rosis.
Et mox emissâ se pandit voce: latère,
Quomodò fas fuerat prodigiale caput?
Vulnerã, quæ steterant, passi vestigia fati
Aufugère, necis deperière notæ.
Auxilio sic fortè Suis sic Totus in hostes
Exeruit vires, integritatis ope.

AD FESTIVA SOLEMNIA PRÆSENTATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ

In Templo. Pupa Virgo, quæ Templum erat Spiritus Sancti, intrat Templũ, & ibi se Deo vovet. Dies solẽnis 21. Novemb.

C A R M E N

Pupa celer gressu, de cunâ pergit ad Aram,
Sedibus è patriis ad penetrale Dei.

Illa

Illa colit templum, templum veneratur at Illam,
Quandòquidem Pupâ se videt esse minus.
Concipiet Dominum, Numen parietque Puella,
Claudere quod potis est nullus in Orbe locus.
Quot sunt delubro, Triadis signantia laudes,
Sunt quoque virtutis tot monimenta suæ.
Bos, Leo, Vir, Volucer, vultu quadrifonte stupescunt
Penè incedentem sub laqueare Deam.
Ex quo, Flammeolo nupsit Virguncula casto.
Emicuit Templum lucidiore face.

AD DIVAM CÆCILIAM

Virginem, Sponsam, & Martyrem. Dicta est Apis in sacris pagellis, cui ministerio correspondit sua industria, ferens Sponsum, & Agnatum ad agnitionem veræ Fidei. Audiit Cœlituum organa. Posita fuit in siccis balneis suæ domus, in quibus non est adusta. Ejus dies natalitius 22. Novembris.

CARMEN

CÆcilia, instar Apis, florum, studiosaque mellis
Virgineâ dulces extruit arte favos.
Invigilans operi, Superis dat cœlica dona,
Dum geminos Fratres ducit ad Axis iter.
Organa Cœlituum quater, huic sonuere Melissæ,
Ille sed innumeros traxit ad Astra sonus.
Lædat apem quamvis fumus caligine cœca,
Huic tamen haud nocuit thermifer ignis Api.
Verè in delicias cessèrunt balnea Sponsæ,
Quam non Idaliis torribus ussit hymen.

AD DIVUM CLEMENTEM

Pontificem Maximum, Martyrem. Ad lapidicinas damnatus est, ob Christianam Fidem trans mare ponticum, in quo loco suis precibus, elicitus est fons ab Agni apparentis pede refi-

ciens laborantes Christicolas, & jam longa siti deficientes. Ejus dies natalitius 23. Novembris.

CARMEN

TOta in Clementem Feritas excanduit unum,
Vovit latomiis Urbis, & Orbis Herum.
A' Patre communi, communis viscera Matris
Excidi jussit, trans mare Bosphorium
Quale nefas illum lapicidæ munere fungi,
Qui Petra Romuleæ Relligionis erat?
Sed Pater à saxis fontanos excavat imbres,
Nè pereat longâ gens lacrimosa siti.
Fabula Pegasei, taceatur scripta caballi.
Est Agni verè fusus ab ungue latex.
Ille locus pœnæ, ceù mons Heliconidis instar
Est visus, Cœli Musa, fuitque Charis.

AD EUMDEM

Qui projectus in mare, postmodùm, mare recessit, demonstravitq; in loco sui naufragii templum marmoreum, tumulum Sanctissimi Martyris. Dies natalitius 23. Novembris.

CARMEN

LArgitus dulces, undis damnatur amàris
Clemens, & ferri pondere, mersus obit.
Ast Illi mora parva, Thetis pacata recessit,
Affectus pandit pignora certa sui.
Prodiga prodigii, nova mausòlæa refudit,
Exeruitque suis marmora, marmoribus.
Carius haud potuit Doris donare sepulchrum,
Quod dedit in proprio, compos amore, sinu.
Credo Ego Latomiis ex tunc tibi Fana struebas,
Quæ nunc in gremio dat tibi templa Mare.

AD DIVUM CHRISOGONUM

Martyrem. Ad aquas gradatas truncato capite est immersus.

Allu-

Alluditur ad nomen, quod græca significatione aurum importat. Ejus dies natalitius 24. Novembris.

CARMEN

CHrisogoni nomen, si nomen vindicat auri,
Plus tamen ex gestis aureus ipse fuit.
Aurea nectareo, quæ vena fluebat ab ore!
Quales virtutum corde fovebat opes!
Nobilius quandòque nocet fulgore metallum,
Pallentes ipsos non semel egit Heros.
Chrisogonus cunctis prodest, non pallidus antè
Lictoris ferrum, Carnificumque minas.
Est ad aquas mersus, truncatus colla gradatàs
Transiliit celsum tunc sua Fama gradum.
Tu non invideas Pactolo Pontus & Hermo
Hoc auro ditem te juvet esse Thetis.

AD DIVAM CATHARINAM

Virginem, & Martyrem. Damnatur Imperator Maximinus, construens rotam, quæ fuit instrumentum, non mortis, sed gloriæ. Dies natalitius 25. Novembris.

CARMEN.

QUæ Catharina tuis struitur rota ferrea pœnis
Ad discerpentem non venit apta necem.
Quin potius Fortuna, suis Te sistere giris
Appetit, & Fati Te super Axe locat.
Quod Tu Cæsar opus reris revolubile mortis
Est alter Divæ rursus ovalis honor.
Dant radii radios, Orbisque dat orbita sceptrum.
Est sua per tales Gloria vecta rotas.

AD DIVUM PETRUM ALEXANDRINUM

Episcopum, & Martyrem. Apparuit huic Christus dolens, ab Ario vestem scindi, quem impium Sacerdotem, Sanctus Episcopus

scopus est acerrimè insectatus, & pro impietate illa eruenda constanter mortem oppetiit. Dies natalit. 26. Novembris.

C A R M E N.

Petre tuæ cecidit spolium Virtutis, Arius
 Induvio nisus despoliare Deum.
Dedecus in pœnis, quod non est nactus Jesus
 Num Cœlo regnans glorificatus habet?
Hoc scelus attentat pejor lictore Sacerdos
 Numinis integram dilacerando togam.
Sed Tu Petre, tuo nudari vertice gaudes,
 Ut sit contectus tegmine Dius Honor.
Murice sanguineo vestis Hominemque, Deumque
 Purpura quæ Christo carior esse potest?

AD DIVUM MAXIMUM

Episcopum Rhegiensem. Primam juventutem, devovit Eremo, & cum Civitatis Rhegiensis esset creatus Episcopus, incolatum voluit in lyrinensi Cœnobio. Mortuos suscitavit, & ejus cadaver, odoriferam expiravit aurã. Dies natalit. 27. Novemb.

C A R M E N

Obsequio veniam da Maxime Præsul amanti,
 Fingere si magnum Te mea Musa velit.
Quis nam, Eratus melicæ, tenero non parcet amori
 Par quandò Heroem magnificare nequit?
Tu penetras sylvas, primævæ ætatis Eoo,
 Quodque viri pavitant, exul ephebus aves.
Illic cura manet, peregrinas Ætheris oras
 A' Mentis studio non procul ire tuæ.
Devoveris Christi lyrinensi victima claustro,
 Irradies quamvis clarus in Urbe pedo.
Umbra placet nemoris, plusquam Rhegiense sedile;
 At patet in luco plus trabeatus honor.
Excitos Orco manes, ad lumina vitæ.
 Reddis, non alia ni precis arte sacræ.

Cum

Cum peris: Exanimes artus, flant veris odorem,
Quis ſtupor? halitibus ſi modò tantus eras?

AD DIVUM RUFUM

Martyrem. Cùm eſſet Romanæ nobilitatis Patricius, martyrii gloriam adeptus eſt Ipſe, & tota ejus familia, tempore ſæviſſimi Imperatoris Diocletiani. Ejus dies natalit.28.Novemb.

CARMEN.

Romule Rufe pugil; Tecum tua Gloria ſiſti
Detrectat, totam vult decorare domum.
Tu prior exemplo, capit Illa ſequendo triumphum,
Qualia poſt abeunt ſubdita membra caput.
Ergò ubi ſigna tibi mandat Diocletius æris,
Cernuus ut gemino devenerere genu.
Cæſaris indignæ ſpernis parère loquelæ,
Et temnit conjux, verna ſequenſque negat.
Excipit hinc unà mox laurea Martyris omnes,
Udaque de tanto ſanguine Roma madet.
Sat fuit oh quantis unam legiſſe coronam:
Non tibi ſat; centum ni nece ſerta legas.

AD DIVUM JACOBUM

Ordinis Minorum Patronum Neapolitanum. Ejus corpus incorruptum ſervatur in Ara ditiſſima, ſuo nomini dicata. Stant à dextris, & à ſiniſtris, monumenta celebrium Ducum Foxii Lautrecht Galli, & Petri Navarro Hiſpani; quam diſpoſitionem minimè fortuito, ſed ſupernè factam, credibile eſt, ut demonſtraretur, Beatum Jacobum fuiſſe omni tempore veram Chriſti imaginem. Ejus dies natalitius 28. Novembris.

CARMEN.

Antè tuum Pugiles aſtant Jacobe ſepulchrum
Alter Sequanicus Miles, & alter Iber.

Si

Si Te ſola decent calicis monimenta, Cruciſque
Quid juvat ad tumulum, Martis adeſſe Duces?
Credo Ego quod Chriſti dum Vivus Imago fuiſti
Sic Chriſto ſimilis Mortuus eſſe velis.
Nec fallor: Degens, poſt ardua ſigna Magiſtri
Ipſi conformis, Crux, placuitque calix.
Non ſecus Immoriens periiſti præda dolorum,
Ut periit Genitus Numine, Numen homo.
Ergo poſt obitum cuſtodivere ſepulchrum
Chriſti, belligerâ de legione Viri.
Hæc eadem Te Fata manent imitanda Tonantem,
Ut ſemper Domini Viva figura fores?

AD DIVUM SATURNINUM

Martyrem. Muta reddidit Deorum ſimulacra, propter quod compreſſum eſt illi guttur, & pro Chriſtiana Fide necatus. Ejus dies natalitius 29. Novembris.

CARMEN.

Saturnine, novo ſaturnia ſæcula ſæclo
Reddis dum Divûm perdere fana ſtudes:
Per Te, Mercurius non fundit ab ore loquelam,
Et linquit Tripodas mutus Apollo ſuos.
Undè tuam mala turba gulam, cum reſte coarctat.
Faucibus ut redeant verba fugata Deûm.
Irrita Spes illis: ſiluere potentiùs omnes,
Ex quo vincta feris ſunt tua colla lupis.
Ipſo fune, magis religaſti guttura Divûm,
Qui de ſorte mala, nec potuere queri.

AD DIVUM ANDREAM APOSTOLUM.

Suæ prædicationis munere, diſſitas nationes ad Chriſti agnitionem traxit, & Crucis amantiſſimus in ea inverſa, biduò pen-

dere

dere voluit. Ejus oſſa prodigiosè translata in Amalphim; prodigioſiùs ſcatent nectare. Ejus dies natalitius 30. *Novembris.*

C A R M E N

REmiger Andreas, ad Achajam retia tendit,
Et venit ad caſſes Græcia tota ſuas.
Ad Thraces, & ad uſque Scythas, jacit inſuper hamos,
Et fit Marcomanus, fit ſua præda Geta.
Quacumque incedit, Crucis immortale trophæum
Erigit, & terras, & Jovis arva ſuper.
Crux Illi non alter amor, quà claudere vitam
Æſtuat, ut clauſit ſtipite Dius Amor.
Aſſequitur: Chriſti fatum Pugil acer adæquat,
Quadrifidâ moriens fixus & Ipſe trabe.
Aſt apud Argivos, Qui fudit ſanguinis imbrem
Nos penes, ambroſiam fundere geſtit aquam.
Proh ſtupor! oſſa Viri, pelagi ſalſedine creti.
Cœlitis irriguo nectaris amne ſcatent!

AD DIVUM OLYMPIADEM

Martyrem. Equuleo tortus eſt vir Conſularis, & ſua refulſit conſtantia, cum pacatiſſimè vitæ ceſſit caducæ, ut incboaret æternam. Ejus dies natalitius 1. *Decembris.*

C A R M E N.

COnſul Olympiades, curſum fœlicis agonis
Implet, Olympiacas intret ut indè domos.
Funereum non horret equum, ſua membra terentem
Quin citiùs, metæ dat tetigiſſe decus.
Nec gravis eſt illi finis, quià fortè juventâ
Aggreditur vitæ deſeruiſſe dies.
Neſcit enim, longum cur non vocitetur id ævum
Dans lucra mortali ter meliora bono?
Dicite Vos Tuiti, Palmæ data præmia. Centum
Vixit Olympiadas victor Olympiades.

AD DIVAM BIBIANAM

Romanam Virginem, & Martyrem. Redimita est duplici corona virginitatis, & martyrii. Elusit astus Rufinæ lenæ, conantis verberibus temerare pudorem Virginis. Fuit superior tormentis Prætoris, qui eam alligavit columnæ, & sub longis plumbatis fecit mori. Ejus dies natalitius 2. Decembris.

C A R M E N

Romuleas inter fulges Bibiàna puellas
Plusquam progenie, sanguine clara tuo.
Fœmineis olim meritis fuit aurea Roma,
Purpuream meliùs Tu facis esse modò
Te domus Æneadum stupuit tormenta bibentem,
Visere quæ Feritas nollet, & ipse Rigor.
Verberibus quantis noctu Rufina, diùque
Nisa est Virgineum lena nigrare decus!
Tu bibis indignam non fracto corde procellam,
Liliolique manet non temeratus honor.
Plumbatis Prætor, Fidei violare decorem
Urget, & oh quantis Te ferit ira flagris!
Conatur frustrà; siquidem religata columnæ
Plus tua firma Fides, Spes mage recta manet.
Te plumbum negat esse levem, stabilemque columna
Efficit, ut mortem sic Bibiana bibas.

AD DIVUM FRANCISCUM XAVERIUM.

Societatis Jesu, nuncupatum Indiarum Apostolum. Luget Crucifixum Dominum in mare mersum. Ejus dies natalitius 3. Decembris.

C A R M E N

A Missum Dominum, Francisci deflet ocellus,
Excipit & lacrimas Tethyos unda suas.

Ex

Ex tunc Oceanus, piſcaria fulſit ut ora
Cum Margaritas creſcere vidit aquis:
Ex Oriente rapit, pretioſas Advena baccas
Infert Saberides gemmea dona mari.

AD EUMDEM.

Dum conficit ſacrum rapitur in aera, ſicque videtur, dum miniſtrat ſacram ſinaxim. Ejus dies natalitius 3. Decembris.

C A R M E N.

FRanciſcus, Magno quantumvis pondere preſſus,
Utpotè Memnonii bajulus orbis Atlas.
Sacra tamen faciens Arâ, ſuper aera fertur,
Et potis eſt ſuperas advolitare plagas.
Saberidem ne mirer Ego, per inania nantem,
Tunc Cœlos adiens ignis amoris erat.

AD EUMDEM.

Victor impudicitiæ etiam in nocturnis phantaſmatibus, in quibus quandoque præ violentia expuit ſanguinem. Dies natalitius 3. Decembris.

C A R M E N

QUem non Æthiopis facies pavefecerat atra
Saberidem, ſomno terruit alba Venus.
Attamen ille ſopor, foribus quia lapſus eburnis
Virgineæ menti ſomnia vana tulit.
Vix Amor, & Morpheus afflarant leniter alas.
Cùm ſe manantem ſanguine, planxit Erix.
Inſidias contrà Cypridos ſopor excubat ipſe
Sopito potior num Vigil ullus erit?

AD DIVAM BARBARAM

Virginem, & Martyrem. Nomen Barbaræ meruit quia victrix paternæ barbariei; nam inhumanus Genitor, filiam ſua manu occidit, quia profeſſione erat Chriſtiana. Eſt hæc

Castrorum, & Turrium Patrona. Ejus dies natalitius 4. Decembris.

CARMEN

BArbara, barbaries, sua dat tibi nomina victa,
Africa Scipiadi ceù domitata dedit.
Tu quamvis captiva, Deûm simulacra nothorum
In centum scindi fragmina voce jubes.
Deturbare Deos minimè potuere Gygantes
Egit præcipitem turre, Puella Jovem.
Quam meliùs dici poterat Turrita Cybelle
Barbara Virgo, licet nescia prolis erat!
Edidit illa Deos, Hæc perdit: & undè Tonantem
Sternit, non nocui fulminis Omen habet.

AD DIVUM SABBAM

Abbatem. Amans sylvas mansuefecit leonem, at larvas infernas fugavit. Molitus est cœnobium, cui sanctissimè præfuit, ubi suâ oratione, è saxo aquas elicuit. Fregit invidi Dæmonis potentiam, conati incendere Monasterium. Ejus dies natalitius 5. Decembris.

CARMEN.

PUlchriùs ut Virtus reviresceret, Urbe relictâ
Silvestres penetras auree Sabba plagas.
Hospite Te, rabidæ gaudent mansuescere Tigres,
Ad Tibi parendum se Leo spontè tulit.
Monstra sed inferno quotquot vomit Orcus ab ore
Per nemoris salebras prælia mille cient.
Tu vincens veras, fictas & spernis hyenas
Ad stygios urges volvere terga lacus.
Moliris cellam penès asceteria tecta,
In quibua eligeris Cœnobiarcha Pater.
Non secus Aligeri vitam perducis Ephèbi
Norma tui factus quem regis ore gregis.

Hic

Hic Tu de ſaxo, precibus ſuper æthera fuſis,
Irrigui dulces elicis imbris aquas.
Sed Draco crudelis, cui plebs Cocitia ſervit
Invidet, & facibus vult violare lares.
Uritur in caſſum: flammas compeſcuit Idem,
Qui latices petris proſiliiſſe dedit.

AD DIVUM NICOLAUM BARIENSEM.

Epiſcopum Myræ. Liberat à periculo gehennæ tres nobiles, & pulchras puellas munificentiâ ſui elargiti auri. Ejus dies natalitius 6. Decembris.

CARMEN

TRos Anchiſiades, ſtygias intravit ad oras
Aurea geſtaret cum ſua dona manus.
Tu Pataræe vetas Erebi, quod currat ad aras.
Auro quod donas trina puella triplo.
O' quot divitias Cœlum tibi præparat, auro
Non ditem Ditem ſi facis eſſe tuo!

ADEUMDEM

Qui ore potens dum viveret, & demortuus non minus celebris oſſe ex eo quod manna ſcateat in ſuo ſepulchro. Ejus dies natalitius 6. Decembris.

CARMEN.

AUrea fudiſti vivens ex ore fluenta,
Mortuus ambroſias deſilis in ſcatèbras.
Oſſis honor magnus! nectar manare perenne,
Eloquii Gangem ceù priùs oris erat.
Rumpitur ad geminum munus, Stix oris, & oſſis
Oris tùnc timuit, Nùnc pavet oſſis aquas.

ADEUMDEM

Puellis tribus ſuccurrit triplici largitione auri; ſed clam & noctis tempore, ut vanam aufugiat gloriam. Dies natalitius 6. Decembris.

CAR-

CARMEN.

AUrum dum noctu fundis, tibi plaudit Olympus,
Totque oculos aperit, sidera quotquot habet.
Sed tua purpureo flammescunt ora pudore
Ast hoc nobilius quale pudore decus?
Posthàc Tutorem nactus verecunde pudentem
Auro venalem ne Pudor esse time.

AD EUMDEM

Qui Virginitatis, & charitatis eminentissimus, utriusque virtutis reliquit in sacra religione veneranda specimina. Dies natalitius 6. Decembris.

CARMEN

EGit Amor, pluvium se transformaret in aurum
Juppiter, ut turpi posset amore frui.
In melius Virgo Pataræus solvitur aurum,
Ut triplices servet Virginitatis opes.

AD EJUSDEM DIVI OBSEQUIUM

Musa prosequitur materiam, rememorando encomia, quæ passim de Divo Nicolao recitant orantes, quandò petunt gratias, & implorant ejus patrocinium, ut ab infernalibus ignibus liberentur. Dies natalitius 6. Decembris.

CARMEN

PAx vobis: Pataræus adest, nolite timere.
Semper Nicoleos auxiliator ero.
Ad Vos Empyreâ Numen me misit ab arce,
Ut sim præsidio, sim cynosura mari.
Sic ait Antistes, subitòque malacia fulsit
Navifragis Nautis, Doridos inter aquas.
Salve lux Miræ, Charites tibi tradidit omnes
Rex Superûm, ut terris mira patrare queas.
Imperiis Natura tuis haud obstitit umquam
Largiri pernix, obsequiale decus.

Lucinæ

Lucinæ faciles sensit Paritura labores
    Quandò tuam supplex ore poposcit opem.
Obtinuit plantas Claudus, sua lumina Cœcus,
    Ipsaque Mors, hebetes luxit habere manus.
Ter Te Tutorem, fuso ter largiter auro
    Novit Virginitas floris adesse tripli,
Hinc tibi gemmiferæ defert donaria gazæ
    Advena, seù tumulo, sivè locanda tholo.
Nunc etiam latices, tua rorant ossa perennes,
    Omnis & ex illo Gratia fonte fluit.
Najade Dive potens, incendia pella gehennæ
    Legifer ignis eas, ut dominaris aquæ.

AD DIVUM AMBROSIUM

Episcopum. Ecclesiæ Doctor Hic sublimis effulsit. Ad ejus pedes supplex se stravit Theodosius Imperator, irretitus anathemate ob cædem Thessalonicensem. Ejus dies natalitius 7. Decembris.

C A R M E N.

NOn fugit Ambrosii Cæsar succumbere calci,
    Qui templi clausas viderat antè fores.
Pontificis fulmen, Diademata laurea terret
    Augustos fasces Infula sacra domat.
Non fuit antè Aras vittata, vel Hostia major,
    Cædere qui posset vel meliore manu.

A D E U M D E M

Mulcebat suum gregem nectareâ Suadâ, sed Imperatorem admonens acriter, ad Antistitis poplites fecit pronum. Ejus dies natalitius 7. Decembris.

C A R M E N

GRæcia nè solo jactet de Nestore nectar:
    Ambrosii labiis, nectaris amnis abit.
Sed benè mellifluo se miscet aculeus ore
    Cum necis Augustum clangitat esse reum:

Tunc

Tunc timuere Aquilæ, minitantis verba Columbi,
Cæſar & Ambroſii ſe tulit antè pedes.
Ut terrâ rueret, Vocis plus pondus adegit.
Imperii tergo quam quod habebat onus.

AD DEIPARAM SINE LABE CONCEPTAM.

Antequam prodiiſſet culpa, jam divinâ mente erat Deipara amor Dei: idcircò immunis æſtimanda eſt à quacumque macula. Ejus ſolemnitas 8. *Decembris*.

C A R M E N

NOn reſerarat adhuc maculoſum Delia cornu,
Ponderibus nec erat terra librata ſuis.
Et jam divino prodiverat ore Maria
Fatidici ſonuit ceù Sapientis ebur,
Quomodò, vel terræ ſordebis labe Viràgo?
Vel Lunæ maculas experiere tetras?
Aſperitas pomi prior eſt, an Gratia floris?
Non culpæ illa rea eſt, quæ quaſi Virgo Dea eſt.

AD EAMDEM IMMACULATAM DOMINAM.

Adſtruitur convenientia, ut Beatiſſima Virgo fuerit concepta ſine labe originis. Ejus ſolemnitas 8. *Decembris.*

C A R M E N

EXpectaturæ divini Flaminis umbram
Eſt ne nocere potens arboris umbra malæ?
Non equidem: nec virus Heram temerabit Averni,
Quæ Phlegetontæas vincere venit hydras.
Illam ſublimis ſi tollunt nomina Palmæ
Non fas eſt culpæ ſuccubuiſſe ſolo.
Fata Dei ſe ſe famulam, quæ magna profata
Si priùs Tartareâ ſerva ſtetiſſet harâ?

Non

Non igitur Fati tabulis ut obediat æquum est,
Illa, cui Genitus paruit indè Deus.

AD EAMDEM
SUPER EADEM MATERIA.

Annumerantur aliæ decentiæ; undè fuerit æquum. Deiparam fuisse conceptam à labe immunem. Dies solemnis 8. *Decembris.*

CARMEN

QUod Te tot Charites ornent quid Diva juvasset?
Scilicet è genito Te tumuisse Deo.
Quid dextris solio Nati sedisse Tonantis,
Adamidumque Polo conciliasse genus?
Si stygii pridem flesses ancilla Tyranni,
Ex tunc Tænariis, & data præda feris?
Totius hæc labes, laudis deleret acervum.
Dedecus hoc, Mâriæ velleret omne decus.
Non potuit sordes fraternæ tergere cædis
Roma, nec Æneadum gloria cuncta Ducum.
Stravit Alexandri Calistenis una triumphos
Mors, Macedi palmis intulit illa necem.
Sic Tibi, si compos primævi criminis esses
Unica tot Solum perderet umbra jubar.

AD BEATAM LEOCADIAM

Virginem, Martyrem. Inclusa carcere, & exquisitis torta tormentis, de nihilo dolebat, nisi de aliorum Martyrum utriusque sexus suppliciis, quo angustiata dolore, in oratione immaculatum Deo tradidit spiritum. Ejus dies natalitius 9. *Decembris.*

CARMEN

NUlla Leocadiæ cuspis plus pectora findit,
Improba Christiadum quàm laniena Virûm.

Ingemit, ut pœnas audit, velletque flagella
    Irent, trans ponti marmora, fisa Notis.
Non sua damna dolet, quamvis sub carcere cœco,
    Abdita, supplicii glutiat omne genus.
Illos morte suâ cuperet subducere morti,
    Aut in se, ferri vertere cuncta flagra.
Inrereà quidquid fidos divexat Athletas,
    Est fera Virgineum, quæ cor adurit hyems.
Una igitur centum gladios, & sustinet ignes.
    Victima millenæ sacrificanda neci.
Deficit innumero tandem lacerata dolore
    Uda oculis, flexo poplite, curva genu.
Attamen haud geminam capit aurea Virgo Coronam
    Laurea pro quot obit stemmata pro tot habet.

AD DIVUM MELCHIADEM

Summum Antistitem. Sanctus hic Pontifex durissimas ærumnas voravit sub Maximiano Imperatore; sed tandem redditâ pace Ecclesiæ, in laudabili senectute, beato fine quievit. Ejus dies natalitius 10. *Decembris*.

CARMEN

MEl tibi Melchiades servat Libitina, senectæ
    Tempore, fel quandò verna juventa dedit.
Scilicet ætatis mandisti flore cicutas
    Esset dum Romæ Maximianus Herus.
Attamen Augusti letho, dat proxima Clotho
    Mellitâ pleno nectare pace mori.
Hoc melius si Te dedidicisset amaror:
    Dulcior est portus post mala passa mari.
Sic Te terra levis tandem suscepit in ulnas,
    Mellis & æternos obtulit Æthra favos.

AD DIVUM DAMASUM

Pontificem Maximum, Hispanum. Fuit Vir exquisitæ eruditio-

ditionis sacræ, nec non, elegans Poeta. Ejus dies natalitius 11. Decembris.

C A R M E N

HIc micat Occiduo, prognatus Damasus Orbe,
Gemma Tagi, Pindi flos, Heliconis olor.
Aspice Romuleâ micet ut Thaumantias Urbe!
Fulgat ut Hesperio Tibride, major honos!
Inserit Hic baculo citharam, sponsatque tiaræ
Laurea serta, mitræ barbita, plectra pedo.
Quem Te Fama canit? Fidei, fidiumque Magister
Par Hippocrenes, par Anienis amor?
Davidi similem celebrat; tua dextera namque
Regia plectra gerit, musica sceptra regit.

AD DIVUM HERMOGENEM

Martyrem. Stipatus sodalitio viginti trium Athletarum, Ipse lætior omnibus ad coronam properabat, patefacto illi desuper præmio. Dies natalitius 12. Decembris.

C A R M E N

ADvolat Hermogenes, Comitum stipante catervâ
Ad loca supplicii lætus honore necis.
Non magis ad thalamos Sponsæ, festinat Amator;
Dilectæ thalamos Mortis, ut Ipse petit.
Illi, dum properat, cœlestis panditur Aula,
Fertque duplâ lauros cœlica turba manu.
Fœlix sorte suâ si proxima præmia cernit,
Sertaque victrices implicitura comas.
Auguror: irriguus truncati verticis imber
Illo stelliferas nutriet amne rosas,
Immortale Cruor pariet diadema, coronas
Gignere sidereas purpura fusa sciet.
Vota manent; membris patitur quot vulnera Martyr,
Tot reserat portas, intret ut Ipse Polos.

Ne ſtupeas ergò celeres ad funera greſſus
Dant alas pedibus viſa theatra ſuis.

AD DIVAM LUCIAM.

Viginem, & Martyrem. Vicit Syracuſana puella, ethnicæ ſuperſtitionis, adverſantia inſtrumenta, conantia ſuam labefactare conſtantiam, nec non ignes admotos ſuo corpori à ſævo Tyranno. Ejus dies natalitius 13. Decembris.

C A R M E N.

NOmina Tu lucis, geminæ tutamina lucis,
Et decus, & radios Lucia lucis habes.
Orbus ad hanc lucem, fit Apollo, Diana, Cithèra
Omnis caligat Relligioque Deûm.
Hanc ubi conſumi præcepit ab igne Tyrannus
Stultè egit: luci flamma nocere poteſt?
Tu tamen admoto fulſiſti illuſtrior igne,
Cum tibi Sicanæ nil nocuere faces.
Cœca ſuperſtitio quid deſipis? Ejice prunas,
Lucia non equidem, Tu patiere pyram.

AD BEATUM AGNELLUM

Divum tutelarem Neapolitanæ Urbis, cujus erat Civis. Fugavit vexillo numerum innumerabilem Saracenorum. Ejus dies natalitus 14. Decembris.

C A R M E N.

BArbarus Auſonias hoſtis perruperat oras,
Et jam Partenopes moverat arma plagæ.
Arripit Agnellus vexillum, mœnia ſolus
Tutatur, labaro perfida caſtra fugat.
O' mirum! Innumeros en Signifer ejicit unus.
O' ſtupor! os Agni punica monſtra pavent!
Siren: Hic Agnus, qui vellere promicat albo
Ferrum propellens, aurea ſæcla vehet.

AD

AD BEATUM JOANNEM A' CRUCE.

Primus Religiosorum fuit Instaurator Carmeli, qui cum moreretur, splendidus lucis globus illum excepit. Ejus dies natalitius 14. Decembris.

CARMEN

DUm moritur, modico Joannes stramine tectus
  Desilit æthereo splendidus orbe globus.
Investit pulchro fulchrum fulgore, Cubantem
  Circumdat, tereti limina luce replet.
His septus faculis Alcides deperit ille,
  Cui mons Carmeli, sarcina visa levis.
Sic fas Eliadum Phœnicem, cedere terris,
  Ut mox æternos inchoet Axe dies.

AD EUMDEM

Primas filius S. Matris Teresiæ, primusque Pater excalceati Ordinis, cum puellulus esset, decidit in profundum puteum, à quo mortis periculo, ope Virginis Mariæ, servatus est, & propte rhoc Mosy comparatur. Dies natalitius 14. Decembris.

CARMEN.

FLuctibus expositum, Pharaonis filia, Mosen,
  Eduxit; Nili nè foret esca vagi.
Incolumem servat Superi Regina Senatus
  Joannem, putei ne tumuletur aquis.
An non ereptus morti, Puer iste triumphis
  Surget? non labaros? non sua castra reget?
Auspicor: Eliæ populos, Ascetica regna
  Carmeli rursùs sistet, ut antè jugo
Pro virgâ, calamum rapiet sua dextra: volatu
  Æquabit pennæ virgea monstra suæ.

AD

AD DIVUM VALERIANUM

Episcopum, & Martyrem. Præsul octogenarius, jussus est à Genserico Rege Ariano, ut supellectilem Ecclesiasticam traderet: renuit, idcircò denegata fuit Illi omnis habitatio, sivè in Urbe, sivè in agris, quæ in barbarie, in publica via mortuus, martyrio, tàm insolito coronatus est. Ejus dies natalitius 15. Decembris.

CARMEN.

VAndala barbaries, tibi tecta, negatque penates,
Et vetat agresti figere signa casâ.
Sævities non visa prius; cum gaudeat Ales
Nido, cum teneant, antra, specusque Feræ.
Tu Pater æde cares, nudusque sub aere nudo
Cogeris immeritâ claudere sorte dies.
Non tamen assequitur quod Gensericus id ardet
Nempè sacrum tradas sub sua jura penum.
Te juvat exutum, potiùs Jovis aspera ferre,
Quàm sic templaris proditor esse pepli.
Macte animo: Cùm vita cadet tua Valleriane.
Pandetur Cœlum, liberiore viâ.

AD DIVUM ADONIDA

Episcopum Viennensem. Ecclesiam rexit, quam ad omnium charismatum spiritualium floriditatem concinnavit. Ad Cœlibatum præcipuè incubuit; condidit enim plura Virginum Ginecæa. Ejus dies natalitius 16. Decembris.

CARMEN.

IMperii floret sedes, Urbs alma Viennæ,
Plus tamen è dono floridiore micat.
Est suus Antistes, Pastorque venustus Adonis,
Quem dedit è Cœli, provida poste Charis.
Præsul hic, Arctoos montes, Germanaque valla
Efficit Elysium moris odore nemus.

Pu-

Pubet ibi virtus, pietas viridaſcit, & omnis
 Gratia ſiderei luxuriatur agri.
Heſperidum colles, & reris Adonidis hortos
 Prædia, Parrhaſio ſemper onuſta gelu.
Hoſtis non illi major, quam ſubdola Cypris,
 Terrigenis, dulci perniciosa face.
Hanc procul ejecit, paphiaſque remiſit ad oras
 Virgineis tribuens candida clauſtra choris.
Cum tamen illacrimans iret Venus inquiit: ergo
 Cauſa mihi planctus ſemper Adonis erit?

AD DIVUM JOANNEM DE MATHA.

Inſtitutorem Religionis de Redemptione Captivorum. Huic apparuit Angelus medius inter captivum album, & captivum nigrum, quà apparitione ſignificavit ut à Joanne Ordo ad tale munus erigeretur. Ejus dies natalitius 17.*Decembris*.

CARMEN

COElitus edoctus, generoſum colligis Agmen
 Moturum ſcythico prælia Matha Cani.
Non tamen hujus erit, pugnax manus enſe rotato,
 Liberet ut miſeros de trucis ore feræ;
Sed bellare ſciet, fuſum cum prodiget aurum.
 Fecit ut Hyppomanes, victor ut inde foret.
Hoc docuit munus, de Cœlo viſus Ephœbus,
 Cui ſtetit hinc albus ſervus, & indè niger.
Ales quàm meritò docuit; namque Alitis ore
 Ferratæ Petrum deſeruere feræ.

AD DIVUM ADJUTOREM

Martyrem. In Africa celebri martyrio coronari dignatus eſt. Collegas enim habuit, Victurum, Victorem, & Victorinum. quos ad palmam mirabiliter incitando, fœliciter adjuvit. Ejus dies natalitius 18. *Decembris*.

CAR-

C A R M E N

O'Adjutor ave, victrices inter Atlantes;
Visus ut Alcides, dans tribus Unus opem.
Gestiit ad triplices hilaris Victoria palmas;
Quæ fuit Adjutrix plus at amata fuit.
Quarta magis placuit, quia forte juvamen ovali
Suffecit Cuneo, suppetiitque Fidem.
A'Jove Paganæ gentes abolete juvandi
Nomina, fabellis nulla dicanda fides.
Hunc Adjutorem fateatur Fama Tonantem,
Laurigeros pugiles si quoque morte juvat.

AD DIVAM FAUSTAM

Matrona fuit Romana, & nobilitate, & pietate insignis, insuper resplenduit quia Genitrix extitit Sanctæ Anastasiæ. Ejus dies natalitius 19. Decembris.

C A R M E N

FAusta nimis fuit illa dies tibi Romula Tellus,
Faustæ quæ sobolis dona superna tulit,
Urbi Tu fasces, trabeas, titulosque curules
Largiri terræ munera sola potes.
At Matrona tuos septenos munere colles
Implet cœlesti, Tybridis arva beat.
Virtutum cumulo, pietatis odore refertam
Fœlicem Superûm Te facit esse domum.
Nec satis hoc: Uteri partus Te ditat honore,
Cui mox & Templum jure vovere voles.
Cæsareos, Tu Roma Deos, super astra locatos.
Despice, qui Patriæ non nocuere semel.
Fausta tibi duplices, fausto dabit auspice Divas.
Ipsaque cum Genitâ fastus ovalis erunt.

AD DIVUM BAJULUM

Martyrem. Multiplicibus monilibus redimitus Romæ martyrio coro-

coronatus ad Cælos evolavit. Ejus dies natalitius 20. Decembris.

C A R M E N.

BAjule Tu tergo vectas fortissime Miles
Instrumenta tuæ, quanta fuere necis;
Scilicet hamatos ungues, ærata flagella
Igniferos torres, vincula, saxa, crucem:
Sunt ea victricis palmæ præclara trophœa
Dantia Cœlicolis, & Tibi grande decus.
Jam non inflentur Nemeæi pelle Leonis
Amphytrioniadis dorsa torosa Ducis:
Fœminei portare jubam potuere lacerti,
Ludicrus exuvias & maculavit amor.
Sed monimenta Tui, tua solum mascula virtus
Gestat, quæ Cœli dant meruisse lares.
Stemmata proh quantum fœlicia! Tuque beatus
Ponderibus, levior qui super astra volas!

AD DIVUM THOMAM APOSTOLUM.

Primò incredulum, mox divino amore affluentem, adsciscentem suâ prædicatione, Orientalem plagam divinæ Fidei. Ejus dies natalitius 21. Decembris.

C A R M E N

ILle fide occiduus Thomas, mirabile dictu
Eoo primus firmat in Orbe fidem!
Ad labarum rediit, post vulnera visa Dynastæ;
Ut tetigit plagas, arsit amore manus.
Fortunata manus, penetrans sacra pectora: Regum
Lustrali meritò diluit imbre caput.
Candorem Æthyopes sensere ubi dextera lavit
Lymphis, quæ costâ prosiliere Dei.
Fama est arentem vitem, revirere quotannis
In Dydimi digitis, & generare botros.

Si non rumor iners: Indi dediſcite Bacchum,
Qui vos edomuit concelebrare prior.
Palmes, qui palmâ Thomæ gemmaſcit, ad Illum
Veſter honor tendat, laus Orientis eat.

AD DIVUM ZENONEM

Martyrem. Hic cum Diocletianum Cereri immolantem deriſiſſet, Imperatoris juſſu, dentibus excuſſis, & maxillis confractis martyrii lauream rumpente Auguſto promeruit. Ejus dies natalitius 22. Decembris.

CARMEN.

AUguſtum Cereri dantem libamina rides,
Nec pateris Zeno, tartara monſtra coli.
Infremit aſt odio Ceſar, tibi vellere dentes
Lictori mandat, præcipit ora teri.
Illicò maxillas fractas, denteſque revulſos
Ferratus forceps fecit abire ſolo.
Principis ò nimium ſtulti, magis ultio ſtulta!
Rodere num Cererem cui Ceres oſa volet??
Tu certè trucibus ſemper roderis ab iris,
Et numquam poteris ſanguinis eſſe ſatur.
Sævitiamque tuam raptus dens, arguet omni
Tempore, quo ſæclis dedecorandus eas.
Feciſti Serram fatuus Tibi dentibus æris,
Quæ tua perpetuò ſindere corda ſciet.

AD DIVAM VICTORIAM

Virginem, & Martyrem. Cum eſſet deſponſata Eugenio pagano, neque nubere vellet, nec ſacrificare Idolis, à Carnifice percuſſa eſt gladio in corde, rogatu ſui ſponſi. Ejus dies natalitius 23. Decembris.

CARMEN

DEſpicit Eugenii tedas Victoria Virgo,
Nec tua cujuſquam pectora flectit hymen.

De-

Despicis, & gladii durum ferientis acumen;
 Et quid Te contrà dira tyrannis agit.
His geminis lauris, non est Victoria major.
 Exornat meritò dupla corona comas.
Celsior at quis honor quis sit majorque triumphus
 Nescio? præferri poscit utrumque decus.
Tollite dissidium; par Palma sit ignis, & æris
 Hos hostes, æquus sit domuisse valor.
Sed modus haud similis. Sunt victa Cupidinis arma
 Cum cor Virgineum spicula nulla forant.
Sunt victæ ferri vires, cum dirigit ictus
 In tenerum pectus, cor laniatque mucro.

AD DIVUM DELPHINUM

Episcopum, & Confessorem. Burdigalensi præfuit Ecclesiæ, in qua insigni claruit sanctitate, Crevit sub ejus regimine divinus cultus, & in eadem Civitate omnium mœrore, beato fine quievit. Ejus dies natalis. 24. Decembris.

CARMEN

EMicat æquoreis Delphin argenteus undis
 Est & squamigero de grege primus honor.
Splendet Signifero Delphin radiosus in Orbe,
 Influit & placidâ prospera fata face.
Sed melior terris Delphinus fulget utroque,
 Est qui Burdigalæ Præsul, amorque gregis.
Cœlitis Hic pecori largitur Flaminis ignem,
 Influit & pluvias queis madet axe Charis.
Hinc est quod Populus virtutem crescat in omnem
 Gallus; ut ad lactis pabula, crescit ovis.
Quæ dabitur sedes Delphino Musa Hierarchæ?
 It super Oceanum, Zodiacumque præit.
Musa ait: Empireæ trascendat culmina sedis
 Sidera sintque suo debita scamna pedi.

AD NATIVITATEM

INFANTIS JESU

In Bethlemico Præsepe jacentis. Tanguntur incommoda nati Domini, quæ pro nostro amore pati voluit. Dies solemnissima 25. Decembris.

CARMEN.

DEsilit in terras Infans, qui Virgine natus
Ventorum pennas dicitur ire super.
Si venturum Austro recinunt oracula Vatum
Cur Oriens nobis ex Aquilone tulit?
Mirum! qui vitæ flamen spiravit in Adam.
Brutorum hic animis ut calefiat eget!
Qui generat messes, palearum stramine sidit!
Heù rostro mordent hospita fœna Deum!
Ast ultrò brumis, ultrò cruciatur aristis,
Sufferat utque nives, æstus amoris agit;
Frigora si nescis, nostræ sunt orsa salutis,
Dumque riget, rigidus desinit esse Deus.

AD EUMDEM

Prosequitur supra dicta materia, & astruitur Amor Dei pueluli erga homines, & apparitio Stellæ super præsepe. Dies solemnissimus 25. Decembris.

CARMEN

NOcte oritur mediâ, nostris ut cordibus, Eos
Nascatur, noctis quæ tenebrosa fuget.
Aspicis Eoliâ, nudus Puer ut tremat aura!
Ast ubi plus alget, fortius ardet amor.
Nancisci prunas inter, Puer iste pruinas
Scit, simul & flammis fœdus inire gelu;
Cùm gemit est aliquid vagitu dulcius illo?
Ad se Cœlicolum non rapit ille lyras?

Ne

Ne vilem credas, quem bos, quem mulcet asellus
Spontè inter pecudes, limina Pastor habet.
Cernat ut Infantis species oculatior Axis
Apparet, fulmen vertit in Astra Pater.

AD EUMDEM

Recensentur prodigia eventa in Dominicâ Nativitate scilicet floriditas terræ in hyeme, & emanatio fontis olei trans Tiberina fluenta. Dies solemnis 25. Decembris.

CARMEN

VEr oritur terris, quamvis Caper algeat Æthrâ
Cùm Genitrice Deus Virgine prodit Homo.
Ecce Patris Verbum, nasci vult nocte silenti,
Sed ruit Aligerum nocte silente canor.
Funditur in fontes olei Mavortia tellus,
Ne Nati desint pabula lampadibus.
Auguriis olei, Capitolia noscite Regem.
Unge tuum Christum Roma: liquor scatuit.

AD DIVUM STEPHANUM

Levitam, Protomartyrem. Saxis impetitus est, & pro lapidantibus rogans, coronatus Cœlos ascendit. Ejus dies natalitius 26. Decembris.

CARMEN.

CAutùs ut ad cautes non illidatur Ulysses,
Sirenum surdâ despicit aure melos.
Tu cautes inter, Siren prædulcior, illos
Invitas cantu, quos juvat esse petras:
Non Levita novus solimo micat Orpheus agro
Ad se dulcisonâ cùm prece saxa trahit?
Sed si saxa trahit, lapidescunt corda furentum
Horum plus saxis, est lapidosa manus.

AD

AD DIVUM JOANNEM

Evangelistam, & Apostolum. Figuratus est in sacris pagellis per Aquilam ob sublime ejus meritum. Ejus dies natalitius 27. Decembris.

C A R M E N.

JOannes præfers Aquilam. Quàm nobilis Ales
Est typus, & meritis apta figura tuis!
Luminis obtùtu, pennæ celerique volatu,
Solis ad excelsam duceris usque rotam.
At cur non Phœnix dicèris ab igne superstes,
A' letho quamvis, sarcophagoque procul?
Permaneant Aquilæ tibi stemmata, fulmina veri
Fers Jovis, ut tonitrus, sensile nomen habes.
Tu tamen haùd affers Ganimedem cum ungue Tonanti
Quin potius Matrem credidit Ille tibi.

AD SANCTOS INNOCENTES

Flores Martyrum. Damnatur malitia Herodis frustrà quærentis inter stragem puerorum, necem Christi. Eorum dies natalitius 28. Decembris.

C A R M E N

MEntis inops furit audito Rex munere Regum
Mille suo colubros pectore Livor alit.
Sideris ad lumen monstrans præsepe Dynastis
Ardet Idumeus mille ciere neces.
Lucis ad exortum super aeris arva recentis
Usurâ lucis Pignora bima carent.
Herodes frustrà perfundis sanguine cunas
Tot Puer Ille inter funera salvus erit.
Non it ad Ægyptum, Libitinæ vitet ut ictum
Te tantum Monstrum, ne tueatur abit.

AD

AD EOSDEM

Enunciatur fœlix eorum Sors pro causa tanta. Commutarunt ævum labile, cum illo æternum fœlici. Eorum dies natalitius 28. Decembris.

CARMEN

FOElices Pueri, quos funere mersit acerbo
Ad primas vitæ ferrea Parca vias.
Occurrit vobis properè fœlicius ævum
Occasus expers, & sine morte dies.
Ignari fraudis, gladiis lusistis, & hosti.
Ridentes madidâ sic cecidistis humo.
Fudistis nato Domino, præconia primi
Hocque cruore fuit, sin minus ore fuit.
Deserti sermone, diserti laude micastis;
Nam meliora sono pondera sanguis habet.
Obtulit ingentes Vobis Victoria Palmas,
Ad captum quamvis non erat apta manus.
Lactea Vos eritis Legio, regione Galàxæ
Lactentis terrâ prima Corona Dei.

AD EOSDEM
SUPER EADEM MATERIA.

Morientibus Pueris pro Christo nato, unusquisque illorum visus est penè alter Christus in internicione. Dies natalitius 28. Decembris.

CARMEN.

MArtyrii palmâ, Insignes ætatis adultæ
Pro Christo Heroes oppetiere neces.
De vobis, hoc Bima cohors sit dicere dignum
Unusquisque Puer, Christus ut alter obit.

AD DIVUM THOMAM

Cantuariensem. Æquè insignem, Infula, & martyrio, in cujus nati-

nativitate, exortum est in patria Urbe incendium. Ejus dies natalitius 29. Decembris.

CARMEN

AD lucem Thomas oritur, cum Patria flammis
Uritur: haud casu, tecta favilla cremat.
Auspicor: Illustrem portendit Fama Puellum,
Ignis non aliud fervida lingua notat.
Scilicet esse suam renovandam moribus Urbem;
Ut renovat Phœnix sæcula cana, rogo.
Hoc egit Thomæ eloquium, egit pectoris æstus:
Hinc est nacta recens terra Britanna decus.
Tanta sed Henrici lux obcœcavit ocellos
Lucifugam lædit ceù Phaetontis equus.
Rex jubet ad mortem damnari lucis Abyssum
Occidat ut veræ Relligionis amor.
Innocuam Princeps quid tingis sanguine mitram,
Quid juvat ire sacro sparsa cerèbra solo?
Sæve, triumphalem sic reddis murice Thomam:
Purpureâ tectus syndone, Præsul ovat.

AD DIVUM LIBERIUM

Episcopum Ravennatem. Fuit in pastorali officio sedulus, juvando pecori semper incubuit, idcircò innumeras conciliavit animas. Alluditur ad nomen Liberii, cui triplicis laudis etimologia potest appingi. Ejus dies natalitius 30. Decembris.

CARMEN

LIberius verè liber, benè compedis expers
Est sæcli, nunquam vinctus amore soli.
Sed si liber humo, Cœli sacra vincula stringunt,
Fœlix quem Superûm sola catena ligat!
Huic ad Sidereos via libera panditur Orbes,
Numinis ad Sedem semita lata patet.
Nec solum facilis cursu Illi subditur Æther,
Sed commendatum sic patrat ire gregem.

Nam

Nam liber est pariter, divino pollice scriptus,
In quo mite bibit cœlica jura Pecus.
Quandoquidem Cœli præfert monumenta volumen;
Et movet exemplo viva tabella suo.
Est demum Liber, regni non victor Eoi
Non potus pressi pocula prima botri:
Sed dominans carni, subigensque pathemata, solum
Ebrius ætherei visitur esse meri.
Liberii quàm grande decus, si Nomen ad unum
Tergeminæ laudis pondera Fama librat!

AD DIVUM SILVESTRUM

Romanum Pontificem. Ejus natalis est occasus anni. Hic fuit illustris baptismate Constantini habito imperio Occidentis in Urbe Româ, & morte Draconis ad suam vocem extincti. Ejus dies natalitius 31. Decembris.

CARMEN

Silvestrum silvâ Soractis, Musa latentem
Exere, dum plenum perficit Annus iter.
Hujus ab auspiciis verè fuit aurea Roma
Dedignata, ferâ lac habuisse lupâ.
Sugere lac cœpit, Procerum, Regumque mamillis,
Crevit & Imperium sidus ad usque suum.
Vidit Tarpejus, subdentem colla Monarcham
A' Sene lustralis quærere fontis aquam.
Vidit, & Occiduum Silvestro cedere sceptrum
Casurum nunquam de ditione Petri.
Dicitur immanem silvâ mactasse Draconem:
Antistes, cædis voxque ministra fuit.
Idem quàm meritò peragrantem conficit Annum
In se conversus, qui velut Anguis abit.

AD EUMDEM


Recensetur quandò Constantinus renuit balneum cruoriferum, & amavit aquam lustralem baptismatis, à qua mundatus est leprâ, ministerio Sancti Silvestri, & Christiana Religio toto orbe crevit. Ejus dies natalitius 31. Decembris.

CARMEN.

EN Constantini de lepra munda; sed unda
Non ex Infantum facta cruore Caro.
Erubuit facinus sua Purpura, respuit illam,
Innumerâ vitam, quæ rea morte foret.
Demisit pronus cinctam diademate frontem,
Lustralisque Caput fontis adhæsit aquis.
Purior in sacro radiavit gemma lavacro,
Quam cum nativi gurgite Gangis erat.
Lactenti parcens, Cœlo meret esse renatus
Cæsar, & ætherei nectare lactis ali.
Parvulus ut fieri voluit, non parvula mansit
Dia Fides; terris crevit ut Orbis Hera.

FINIS.

Ad Laudem Beatissimæ Virginis Mariæ, ac omninm Sanctorum.



IN-

INDEX

Nominum veteris testamenti Patrum, qui in hoc volumine continentur ordine alphabetico disposito.

Sal-

INDEX

Nominum novi testamenti Sanctorum, qui in hoc volumine continentur, ordine alphabetico dispositus.

An-

Caii

D

Fœ-

Irenes

Na-

Pe-

Re-

So-

Novi Testamenti Sanctorum.

FINIS.

ERRATA CORRIGE

	ERRATA	CORRIGE
Num. 20. v. 7.	abit	abiit
Num. 91.173.185.	prodroma	prævia
Num. 58. v. 2.	influxit	influit
Num. 39. v.20.	moxitura	moritura
Num.152. v. 7.	leget	luget
Num.188. v.21.	exmines	exanimes
Num.184. v.21.	fasceque	fascesque
Num.314. v.22.	proposuisse	præposuisse
Num. 44. v.	fuit illa Salomonis	Salomonis ditior
Num.281. v. 2.	sint	finit
Num. 8. v.19.	victatus	vittatus
	fontia	fontica

Cætera benevolus Lector corrigat.



